JOANNIS PETRI FRANK

DE

CURANDIS HOMINUM MORBIS

EPITOME,

JUXTA EJUS PRAELECTIONES

IN CLINICO VINDOBONENSI HABITAS

A NONNULLIS SUORUM AUDITORUM

CONTINUATA.

EDITIONEM CURAVIT ET PRAEFATUS EST

JOSEPHUS EYEREL, M. D.

LIBER SEXTUS

DE RETENTIONIBUS

SECTIO PRIMA.

VIENNAE AUSTRIAE, 1805.

SUMTIBUS ALOYSII DOLL, BIBLIOPOLAE

IN FORO S. STEPHANI.

PRAEFATIO.

Præclara Illuſtriſſimi Frankii *in ſcientiam medicam merita, quam non ſolum ipſo artis exercitio in variis Germaniæ Provinciis, & in Inſubria auſtriaca utiliſſimam ſuis civibus reddidit, ſed doctrina etiam, cum in celeberrimis academiis, Gœttingenſi, Ticinenſi & Vindobonenſi, publico medicinæ clinicæ profeſſoris munere fungeretur, plurimum promovit, univerſo eruditorum orbi notiſſima eſſe arbitror. Præterquam enim, quod juniores medicos ad ægrotorum lectos manu duceret, ut morborum cauſas, ſedem, indolem cognoſcere, aptamque illis facere medicinam ab ipſa natura, optima medicorum magiſtra, ediſcerent, filum quoque ariadneum diſcipulis tradere conſtituit, quo duce ampliſſimam de cognoſcendis curandisque morbis doctrinam accuratius perſcrutari & probe intellecta artis præcepta in proprios quondam uſus convertere queant.*

Epitomen nempe artis medicæ elaboravit, opus egregium certe, & ab eruditis ſumma cum laude acceptum, ut quod in ordinandis morborum familiis novam auctoris diſpoſitionem complecteretur, & aphoriſticum inter prolixiusque dicendi genus medio quaſi tramite incederet. Integrum opus ſeptem libris abſolvere auctor ſibi propoſuit. Primus horum, qui de febribus agit, anno 1792 *) *comparuit, quem mox ſecundus de inflammationibus, tertius de exanthematibus, quartus de impetiginibus, quintus tandem anno* 1794 *de profluviis, ſequebantur. At hic quintus liber nonniſi duos primos ordines, profluvia ſeroſa & mucoſa continet, tertio nempe profluvio-*

rum

*) De curandis hominum morbis epitome, prælectionibus academicis dicata. Liber primus de febribus. Manhemii 1792. apud C. T. Schwan & F. G. Goez, maj. 8.

rum sanguineorum ordine; *in alteram partem asservato. Ut itaque præter hunc tertium profluviorum ordinem, liber sextus de* retentionibus, *quibus summa* debilitatum genera, scorbutum, luem venereum, & phthisin *in prælectionibus subjungere solebat auctor, & septimus denique, de* neurosibus *agens liber, universam hanc epitomen debuisset absolvere.*

At dolendum sane est, utilissimum opus duobus fere abhinc lustris interruptum, ob plurimos gravesque illustrissimi viri *labores adhucdum finiri non potuisse, & post ejus præsertim ex imperio Austriaco in Imperium Rossicum discessu parvam solumodo & longinquam perficiendæ hujus epitomes spem nobis affulgere. Dolent id omnes, qui ill. viri auditores quondam in academiis exstiterunt; dolent id præcipue juniores medici, qui ultimis duobus lustris illius prælectionibus in clinico Vindobonensi interfuere.*

Hac re permoti diligentes nonnulli Frankii *auditores prælectiones Viennæ habitas calamo exceperunt, scripta sua inter se comparaturunt, & desideratam librorum seriem continuarunt.*

Continuata *hæc* epitome *bibliopolæ tradebatur, ut eam, utpote desideratissimam, mox typis divulgaret. Editionis autem curam mihi oblatam eo lubentius in me suscepi, ne opus utilissimum hiulca oratione, aut sphalmatibus vitiatum in lucem prodiret.*

Cum præterea ultimo labente decennio famigeratissima Brunonis *doctrina longe lateque incresceret, & non pauca insuper celeberrimorum virorum observationibus & laboribus arti nostræ incrementa accesserint, haud aliter fieri potuit, quin* ill. *quoque* Frankius *multas in prioribus quinque libris prolatas sententias suo modo immutaret, aut omnino eliminaret, novamque non raro abstrusioribus doctrinis lucem afferet. Bibliopola has quoque prælectiones eadem cura scriptas typis edere, & tali modo uniformem integramque* retractatæ & continuatae epitomes *editionem lectoribus offerre constituit. Germanica operis versio propediem sequetur.*

GE-

GENERALIA

DE RETENTIONIBUS.

Ubi quæ ſecernenda fuiſſent, non ſecernuntur, aut ſecreta quidem non excernuntur, Retentionem adeſſe dicimus.

Retentiones quidem ex ſolidorum fere vitiis contingunt, illarum tamen diviſionem a diverſitate humoris retenti deſumentibus, ſequentes erunt retentionum Ordines.

I. Retentio humoris vaporoſi, ſeu gaſeiformis ſub nomine pneumatoſis, quo emphyſema, tympania, meteoriſmus pertinent.

II. Retentio humoris ſeroſi, ſeu lymphatici, huc retentio materiæ perſpirabilis, urinæ.

III. Retentio humoris mucoſo-lymphatici, huc retentio bilis, muci, narium.

IV. Retentio ſanguinis tum menſtrui, tum epiſtaxi, hæmorhoidibus per conſuetudinem evacuari ſoliti.

V. Retentio peregrinorum ſolidorum, ſive organicorum, qualia vermes ſunt, ſive inorganicorum, puta calculos &c.

Hanc de retentionibus doctrinam veteres pro maxima parte obſtructionum titulo complexi ſunt.

Retentionis Diviſio fieri poteſt in primarias ſeu originarias ab alio morbo non pendentes, & in ſecundarias ſeu ſymptomaticas, qualis eſt urinæ retentio, febris nervoſæ comes.

In idiopathicas & deuteropathicas seu consensuales v. g. retentionem lactis in puerperis ob uterum inflammatum.

In acutas & chronicas.

Denique et quidem πρακτικότερον (praktikoteron) in retentiones ab universi systematis vitio seu sthenico sive asthenico vel a vitio locali, vel etiam ex utrisque composito, qui v. g. retentione urinæ laborat, tum ob febrim asthenicam, tum simul ob contusionem pubi illatam.

Obstructionum, quas veteres assignarunt causas, eædem retentionum assumi possunt.

Obstructio vera in venis & vasis lymphaticis, vix vero in arteriis, nisi aneurismaticæ, aut ex inflammatione prægressa induratæ, aut suppuratæ fuerint, locum habet, quia vis vitalis arteriarum major, majorque cordis in illas actio obstructioni contraria sunt.

Obstructionem canalis præcedit lentior humorum per illum motus, stagnatio, Congestio dicta, quæ fere contingit ex debilitate solidorum, vel universi systematis, vel ipsius partis obstructæ, ut sub contusione. — Circa congestionem magni momenti doctrinam vide *Pathologiæ Sprengelii* tomo I. §. 416.

Sub motu fluidorum lentiori non tamen omnino cessante, canalis instar farciminis extenditur, ac functio illius libero a circulo pendens suspenditur infarctus; sic in ophtalmitide albugineam tumidam, vasa illius varicosa conspicimus.

Si motus ita cessaverit, ut humor stagnet in vasis, ac in massam densam coëat, obstructio habetur.

Verum diu stagnare humores in corpore possunt, quin corrupti mutationes illas subeant, quas extra corpus subire cito solent. Secundum *Joannem Hunterum de sanguine & vulneribus* vasa, in quibus lympha stagnat, vitalitatem diu retinent, quæ stimulo admoto pareant, resolvique se patiantur.

In

In scorbuto sæpe crura tument, saxique instar rigent a sanguine in telam cellularem extravasato & coagulato, qui tamen herbis aromaticis adplicatis resolutus cito sæpe resorbetur. *Frank* ex tumore 7 annos durante, sanguinem minime corruptum educi vidit. Idem e genitalibus puellæ nunquam menstruantis, cui hymen impervium fuit, sanguinem menstruum, qui duodecim mensibus in utero hæsit, ad 8 libras partim fluidum, partim congrumatum, sed blandnm, hymene perforato manare vidit.

Ablata vero partis obstructæ vitalitate tumor durus, scirrhosus enascitur, nulla arte solvendus, quique stimulis majoribus tractatus in cancrum abit.

Pars obstructa volumine plerumque augetur, interdum tamen minuitur, ita ut ad obstructionem tumor necessario non pertineat. Hepar, lienem *Frank* vidit durissima, sed pugni magnitudinem vix excedentia.

At volumen partis auctum non mox illius obstructionem loquitur, sic viscera spongiosa, qualia sunt hepar, & lien, quæ ob texturam laxiorem facilius cedunt, volumine sæpius multum augentur, quin obstructa sint, nam sanitatem, nisi forte partes vicinas pondere suo comprimant, haud lædunt, & post mortem consistentiam, & colorem sanum ostendunt, injectionemque plenariam admittunt. Volumen hoc viscerum ceterum sanorum auctum visconiam *Sauvagesius* appellat. Visconia lienalis frequens in Insubria vide *Reziæ specimen observationum anatomicarum pathologicarumque* Ticini 1784.

Quemadmodum viscera spongiosa ita, & glandulæ lymphaticæ sæpe tument, præsertim in pueris, quin morbosum id sit, aut ex obstructione pendens.

Circa infarctus, & obstructiones legendi *Joannes Kæmpf de infarctu &c.* 1784. *Cok de infarctu vasorum infimi ventris* Argentorati 1751. *J. Friderici Elvert novæ observationes de infarctu venarum*

abdominalium Tübingæ 1754. Opuſcula duo poſteriora habentur apud *Baldingerum in operum medicorum* ſylloge III.

Obſtruuntur autem canales, & cavitates

1. Emphraxi, quæ eſt cavitatis obturatio per viſcoſum, craſſum, grumoſum, inflamatorium, calculoſum, gypſeum, adipoſum, ipſa vaſorum cava occludens.

Huc pertinent corpora peregrina in cavitates immiſſa: v. g. turunda ano commiſſa, & in inteſtinum rectum delapſa, pulveres reſpirando in pulmones attracti, ibique humoribus uniti, calculus cyſtidis felleæ, aut renalis motus, ductum choledochum, ureterem obturans, polypus arteriæ aneurysmaticæ, vel ſponte vel iniqua preſſione in arteriæ lumen propulſus, illud elidens, circulationem ſuffocans, gangrænam inducens, vermes copioſi, & glomerati omne inteſtinoſum cavum replentes, alvique exonerationem intercipientes, vel ſinguli ductum choledochum intrantes, atque anxietatem, convulſionem, icterum cauſantes, ſebum in glandulis ſebaceis abundans.

Huc pertinet canalium obturatio a lympha coagulabili in lumen eorum tranſudante, ibique coagulato, & adcreto, ſic aneurysmata pluribus ſæpe ſtratis materiæ coagulabilis ex progreſſa inflammatione replentur, quæ dum cavum replent, pulſationem intercipiunt.

Sic in inteſtinorum inflammatorum, aliave ratione laceſſitorum cavitate ſecretiones morboſæ contingunt, quæ coëuntes canalem anguſtant, unde frequens abdominis dolor, intumeſcentia, alvus clauſa, donec vel ſub lypothymia larga fæcum excretio cum temporario malorum levamine ſuccedat.

Sic in dyſenteria, ubi inteſtinum rectum habetur inflammatum, humor puriformis carunculārum pſeudomembranarum ſub ſpecie eliminatur, quæ vel ſolæ, vel ſanguini mixtæ recedunt.

Du-

Dubium vix eſt, quin methodo Kæmpfiana, quæ infarctus nomine evacuantur, ipſius ſæpe methodi ſint producta, & quid mirum, cremati-bus irritantibus ſæpius de die injectis, inteſtina ad ſecretionem morboſam exſtimulentur.

In cynanche denſa ſæpe membrana vias aëreas occludit, quæ niſi ejiciatur, dyſphagiam perpetuam relinquit.

Sic poſt otitidem auditus interdum perditur, ubi poſt mortem cavum tympani lympha coagulabili repletum deprehenditur.

Sic in cadaveribus ex peripneumonia de-functorum ſæpe cavum thoracis lympha reple-tum tremula, aut in membranam jam mutata, pulmones cum pleura nectentem. Nam pars inflam-mata facile cum vicinis concreſcit ope lymphæ coagulabilis tranſudantis, quæ in coagulum pro-niſſima eſt, citoque vaſa generat. Talis concretio non amplius ſolvenda, quia naturam organicam aſſumpſit.

Vaſa hæc in pſeudomembranis pulmones, v. g. cum pleura nectentibus, non ſunt prolongationes vaſorum pulmonalium, qui ſeparari absque viſce-ris læſione pſeudomembranæ poſſunt.

Obſtruitur interdum antrum Highmori, an quod humores illuc ſecreti lege chemica fuerint al-terati, eorumque reſorptio impedita? an quod ſub inflamatione mutata ſit humorum ſecretorum in-doles?

2. Stenochoria, quæ eſt anguſtatio viæ, quando enatus tumor in ſubſtantia propria mem-branæ conſtituentis cavitatem, meatum arctat, & impedit.

Huc pertinet obturatio canalium per membra-nas ipſas conſtituentes ſecretione morboſa tume-factas & induratas. — Membranæ inflammatione craſſiores minusque ſenſiles redditæ, minus in humores agunt, unde ſtagnatio &c.

Talis membranarum induratio fieri poteſt in bronchiis, inteſtinis &c. inflammatis, ſic & veſicæ uri-

urinalis, aut urethræ membranæ in gonorrhoea sic dicta inflammatæ incrassantur, cavumque suum angustant, sic arteriarum ossescentia sæpe pendet ab inflammatione prægressa, qua secretio morbosa intra substantiam earum facta sensim induratur.

Huc pertinet obturatio canalium per varicositatem venarum per illos decurrentium, v. g. ani, vaginæ, vesicæ urinariæ, per hæmorrhoides.

Huc pertinet obturatio cavorum per membranas laxiores in carunculas, excrescentias varias dilatatas: v. g. narium per polypum, huc obturatio canalium per se ipsos prolabentes, v. g. uteri, illius vaginæ, intestini recti: item in se ipsos parte majori reversorum, exemplo volvuli intestinalis.

3. Thlipsi, quæ est laterum mobilium compressio a causis mechanicis sive extus admotis, sive intus generatis, unde cava non simplici pressione arctantur, sed & distractione, dum e sede sua pelluntur, obliterantur.

Huc vestium arctiorum usus pertinet, quo thoracis, abdominisque viscera comprimuntur, apoplexia, hœmoptoë, menstruorum anomalia inducitur.

Glandula parotis, thyreoidea ex utroqne latere turgens, venas jugulares comprimit, unde capite repleto apoplexia insurgit.

Emaciantur interdum homines ob ductus thoracici per glandulam quamdam lymphaticam compressionem, qua chylo in venam subclaviam iter negatur.

In peripneumonia sanata, sub qua impeditam subito deglutitionem *Frank* vidit, quin tumor in faucibus compareret, brachium sinistrum redditur œdematosum, tumet mamma sinistra, — post mortem inter æsophagum, & asperam arteriam abscessus deprehenditur, qui venam subclaviam sinistram compressit, quare e venis brachialibus mammariisque sanguis redire non potuit.

tuit. — Idem fere contingit humero ad inferiora luxato.

Ubi ſpina vertebralis gibbo male conformatur, aorta quoque incurvatur, unde ob circulationis difficultatem difficultas ſpirandi, & non raro hœmoptoë.

In puellis rachiticis pelvis cavum ita nonnunquam imminuitur, ut utero gravido continendo impar reddatur, unde abortus, aut impoſſibiltas pariendi.

In ovariorum hydrope ſemper uterus in longum deducitur, ſituque ſuo movetur.

Uterus retroverſus, ut fundo ſuo inteſtinum rectum, ore vero veſicam urinariam premat, utramque excretionem retinet, mortemque obſervante Huntero inducit, niſi digito immiſſo, atque utero in ſitum debitum reſtituto eam averteris.

Hæc uteri retroverſio tertio fere graviditatis menſe contingit, menſibus enim ulterioribus ob auctum uteri volumen non facile ſuccedit.

At graviditate provectiore ipſe uterus magis tumens, eadem ſæpe facit, ubi interdum urina fluit, tum dorſo gravida incumbit, aut vaſa lymphatica in pelvi decurrentia comprimit, unde œdema pedum, varicoſitas venarum cruralium exiſtit.

Frequentius vero ſub ipſo partu fœtus capite urina retinetur, quæ igitur ſemper ante capitis in inferiorem pelvis cavitatem deſcenſum mittenda, aut extrahenda, ne partu diutius protracto paralyſis, aut ruptura veſicæ ſuccedat.

Proſtata multum tumens inteſtinum rectum comprimit, alvum retinet, hœmorrhoides excitat.

In herniis incarceratis nulla in teſtino ſtrangulato circulatio, cita gangræna.

Ab adipe copioſa in abdomine, ſub cute collecta comprimuntur viſcera, atque vaſa, unde arteriis compreſſis fictitia ſæpe pulſus debilitas. Huc ſteatoma pertinet in cavo mediaſtini anteriori Boerhavio viſum, quod ſuffocationem induxit.

Com-

Comprimuntur item partes ab aquis ſub cute vel alibi ſtagnantibus, ubi eadem pulſus fallacia evenire poteſt.

4. nicesi, qua dicuntur vaſa inanita collapſa ſuas cavitates amittere, intelligi poteſt in iis, quæ ultra tonum diſtenta per morboſam materiam nimia Keneangea evacuantur ſubito.

Stante ſanitate ſtricte loquendo nullum in corpore ſpatium inane eſt, ſed quodvis, aut humore circulante, aut vapore ſecreto repletum, qui partium contiguarum concretionem impedit.

Plenitudo vaſorum pulchritudinem corpori largitur, atque dum ſtimulo vaſis eſt, motum tumorum promovet.

Dum vero inedia, evacuatione nimia, metu, terrore, frigore, animi deliquio minuuntur liquida, canales ſubſident, circulatio, ſecretioque lanquent.

Sic aquis in anaſarca ſubito evacuatis cutis laxa, rugoſaque pendet, contrahi neſcia, ſic aquis paracentheſi ex abdomine absque compreſſione eductis circulatio ſuſpenditur, ſyncope ingruit.

Partu citius abſoluto, dum uterus non ſatis contrahitur, aut ſyncope neſcitur, humoribus in uterum vel máxime ruentibus, aut vaſis illius non ſatis reſiſtentibus, hæmorrhagia lethalis ſuccedit, quæ item ſub verſione & extractione fœtus tumultuaria contingunt.

Sic veſica urinaria multo lotio diſtenta ſæpe non contrahitur, ſed paralytica concidit, dum cathedere ſubito evacuatur.

Alvus ſub victu potuque tenuiore plerumque tarda, ſicca, caprilla, qualis ſæpe in hypochondriacis, hiſtericisque; nec his facile reſpondens erit, niſi plus comederint, ut ſtimulum majorem inteſtina experiantur.

5. Symphyſi, quando latera cavum formantia vel thlipſi, vel emphraxi ita coalescunt, ut omnis aboleatur capacitas interior.

Plu-

Plurimum arctati, & compressi canales, ut nuda se tangant superficie, cito concrescunt, labia vulneris recentis unita absque suppuratione coëunt, sic apex nasi ita solutus, ut sola cute haereret, repositus concrevit, sic crista galli abscissa alterius cristae adaptata cum illa unitur, quemadmodum frondes arbori insitas uniri videmus.

Quamprimum vero vitalitas superficierum ablata fuerit, concretio non amplius succedit. Sic labium leporinum, quod callo id est superficie emortua tegitur, non unitur, nisi callo ablato; sic vulnus aëri diu expositum ita mutatur (vitalitate privatur) ut coire absque suppuratione nequeat; sic vulnus, in quo sanguis coagulatus, vel corpus aliud peregrinum latet, non coit, nisi vulnere puro prius reddito.

Sanguis in celulas effusus partes non unit, quamdiu non corrumpitur, & licet lympha secesserit, modo vitalitatem amiserit, concretio non succedit, nec succedit, ubi materiae in cannalibus haerentes exsiccantur. Atque haec ratio est, cur inveteratae saepe obstructiones ope stimulantium solvantur, cum concretio nondum contigerit.

Ut igitur concretio fiat, duo requiruntur: A. ut humor stagnans per secretionem morbosam sit mutatus, qualis est lympha coagulabilis sub inflammatione transudans, quae primum mutatur in gelatinam mollem, dein in pseudo-membranam, atque vasa acquirat, quae singula in vulneribus contingunt.

Digiti laesi, nec abvoluti morbosam ob secretionem cito coalescunt, quoties enim pars viva irritatur, inflamatur, secretio mox habetur morbosa (nisi nimia fuerit inflamatio, sub qua nulla secretio) qua novae partes generantur, ut adeo nisus generationis in animalibus semper adsit. Vulneris v. g. ampli recentis labia si uniuntur per stimulum, secretio morbosa contingit, & concretio, sed in superficie cicatrix remanet coloris sensusque sani expers, ibi enim aëre accedente mechanica solum unio succedit. — At ubi humor puriformis in super-

fi-

ficie vulneris hærens, aut continuo aufertur, aut cito nimis reſorbetur, nulla concretio. —

Eroſæ ſub variolis nec ſæpius apertæ palpebræ facile concreſcunt agglutinatæ; concrescunt alæ narium filis carptis non repletæ, labia eroſa inter ſe, lingua eroſa cum palato, vel cum buccis concreſcit, niſi linteum ſubtile interpoſitum fuerit. Sic puncta lacrymalia inflamata, tuba auditoria, genitalia lue venerea corroſa ſæpe coaleſcunt, ſic vena per lanceolam ſauciata, & in ſuperficie ſua interna inflamata, interdum ſuppuratur, ac concreſcit. Sic pulmo inflamatus cum pleura, inteſtina inflamata, vel inter ſe, vel cum peritonæo coaleſcunt.

B: ut ſolidorum vitalitas vigeat; qua nimium lanquente nulla concretio.

Sic in multis inſectis, reptilibus, aliisque animalibus, quæ ſenſibus per hyemem deſtituta mumiarum inſtar rigent, humores certe ſtagnant, nec tamen concreſcunt, quia ſolidorum vitalitas fere ſilet, & humores ſtagnantes ſani ſunt, ſecretione morboſa non mutati. Admoto calore tanquam ſtimulo vitalitatem ſolida reſumunt, circulationem reſtituunt, vitæque ſigna redeunt. Sic in aſphyxia per dies protracta, nec humorum motus, nec reſpirationis ulla ſigna comparent; admoto vero calore aliove ſtimulo cor quaſi e ſomno excitatur, humoresque movere reſumit.

In fœminis, quæ jam concipere per ætatem non valent, mammæ flaccidæ ſubſident, canalesque lactiferi concidunt, at non concreſcunt ob vitalitatem multum imminutam. Docent hoc quædam vetularum exempla annis bene multis non amplius lactantium, quæ dum pueris eos placandi gratia ſugendas mammas præberent, ab admoto hoc ſtimulo lac ſenſim fuderunt.

Habentur exempla, ubi urina in veſica hominum retenta per urachum fuit excreta, adeoque hic canalis, qui diu hoc officio non fungebatur, manſiſſe debuit apertus.

Fœ-

Fœtu excluſo ductus arterioſus Botalli ſanguine aliorſum ducto, collabitur, non tamen ſemper concreſcit, nam in adulta interdum ætate invenitur apertus — ex quanam binarum allatarum cauſa? —

Canales, qui in vita ſenſim obliterantur, per humores obſtruuntur ſtagnantes, ſed non facile concreſcunt, quia ob vim vitalem infarciuntur debilem. — Mors ſenilis ex vaſorum an obliteratione, an concretione, nataque inde rigiditate conſequitur. — At ſi irritatio acceſſerit, ſecretio morboſa ſuccedit, ſed materiæ vivæ cito coëuntis & concreſcentis. Sic gangræna ſicca eſt collapſus, corrugatioque partium ob vim vitalem infractam.

Sic ſevum in folliculis adipoſis absque concretione ſtagnat, vermiculique inſtar exprimi poteſt.

Sic in venis varicoſis diu ſanguis ſtagnat, quin concreſcant, niſi inflammatione accedente lympha mutata ſecernatur.

Hinc chirurgi, ut novam aquarum in ſcroto collectionem prævertant, aquis per aperturam emiſſis, ſtimulando partes inflammant, ut concretionem efficiant.

6. Contractione fibrarum nimia. Si ſtimulus juſto major applicatus fuerit, vaſa magis contracta circulo humorum remoram ponunt, ſecretiones, excretionesque turbant.

Si musculus, cujus contractio a voluntate pendet, valide contractus diu manſerit, interdum recte laxari amplius nequit, quia paralyſis in vicinia nata eſt. Sic urina diutius retenta mitti dein ex voluntate non poteſt, non tam ex pſeudoſphincteris nimia contractione, quam ex veſicæ paralyſi. Interdum tinctura cantharidum hic juvat pubi, perinæoque inuncta, aut juxta Gilchriſt mercurialia — nam in urinæ retentione ſæpe veſicæ parietes craſſiores ſunt.

Morboſa canalium, cavorumque contractio, nunc a ſtimulo — juſto majori, nunc a minori, ſed in partem ſenſiliorem agente pendet.

Sic vaſa cutanea in febre ſthenica licet cutis turgeat, rubeatque, non perſpirant, venæ ſectione, aliisque debilitantibus adminiſtratis, ſudores dimittunt.

A frigore, terrore, cutis vaſa contracta diſparent, annuli ex digitis labuntur, urinæ mittuntur aquoſæ.

In tetano, epilepſia, ſub intermittentium frigore, valido ſæpe maxillæ opprimuntur, ut aperire eas nequeas, dentesque diffracti cadant, ita per intervalla clauditur æſophagus, ut deglutitio impoſſibilis reddatur, ita anus, ut imitti clyſter nequeat, ita veſica urinaria, ut catheterem non admittat. — Opium cum mucilaginoſis ſpasmum plerumque ſolvit.

Sed dantur etiam contractiones morboſæ a vitio locali. A calculo veſicæ urinariæ continua illius contractio dolorifica, urinæ retentio, tum ob ipſum calculum, tum ob morboſam ſphincteris contractionem.

Valide item contrahitur annulus abdominalis circa partes prolapſas, pro quarum repoſitione annulo diſſecto ſæpe opus eſt.

Ingens ſæpe uteri circa caput fœtus aut placentam conſtrictio, ut ne manu quidem ſuperari poſſit. — Opium largius datum plerumque auxilio eſt.

Humero luxato valida, vel in homine debili muſculorum contractio, ut poſt horam inflammatione nedum præſente, repoſitio amplius fieri nequeat.

7. Atonia, ut profluviorum ita & retentionum frequens eſt cauſa, quod tum ratio docet, tum facilis unius in alterum tranſitus, tum proficuus, utrobique robantium uſus.

Sic hiſtericæ quædam menſtrua patiuntur nimia, dum eorum retentione laborant aliæ, quin in eodem ſæpe hiſterica menſtrua modo nimia fluunt, modo omnino ſilent.

Solus vaſorum collapſus, qui effectus atoniæ eſſe poteſt, plenariam in debilibus retentionis cauſam non ſuppeditat, atonia vero poſita concipitur, quomodo roborantibus adhibitis vaſorum dilatatio fluidorumque in illa actio ſequi poteſt.

In

In venarum varicibus, pedum œdemate, opem ſæpe faſcia largitur, quæ premendo tonum vaſorum auget.

Debiles apud homines vaſa ſæpe multum dilatata pulſumque ob nimiam arteriarum dilatationem reperies plenum. Talis ob hanc cauſam apoplecticorum ſæpe pulſus eſt, dum interea cor, debilitatis nondum particeps, valde in ſanguinem agit. Male hic vena ſecatur. Ita ſcorbutus, morbus cum debilitate ſane incedens durum ſæpe pulſum exhibet. Plenus ſæpe pulſus circa mortem eſt, qui ſub morbo parvus fuit, — v. g. in enteritide lethali, ubi gangrænam cetera ſymptomata loquuntur, hic certe pulſus non a viribus, ſed a debilitate vaſorum pendet.

In veſicæ paralyſi urina extracta collabuntur latera contrahi impotentia, at cauſa ulterioris retentionis non in collapſu quærenda ,ſed in atonia ex nervorum compreſſione. Nec incontinentiam ſimul adeſſe repugnat, nam dum pſeudoſphincter non ſatis reſiſtit, pars quædam effluit, dum vero veſica non ſatis urget urinam contentam, pars longe major remanet.

Quas veteres aſſignarunt retentionum cauſas, in vaſorum vitiis quæſitas, hæc quidem ſæpe obtinent, ſed ad vitia ſolum localia pertinent. Sic in chloroſi conceperunt humores tenaces uterum infarcientes , quos ſolvere adlaborarunt non attendentes ad debilitatem ſolidorum, cujus effectus plerumque ſunt humorum vitia, vitiaque localia.

Certe pars major retentionum ex totius ſyſtematis culpa pendet (quod veteres præterviderunt), ſive cauſas prægreſſas & ſymptomata concomitantia, ſive methodum medendi proficuam ſpectes, & quidem plerumque debilitatis univerſalis effectus eſt.

Hinc raro retentio menſium &c. ſuperatur medicina ſoli parti retinenti applicata, niſi, & toti ſyſtemati, quod plerumque ſimul laborat, una admoveatur.

In-

Interdum debilitas univerſalis cum retentione cujusdam humoris incedit, dum interim copia excedente fluunt alii, v. g. cum retentione menſium adeſt galactirrhoea, cum perſpirabili ſuppreſſo diarrhoea.

Prognoſis.

Non omnem retentionem ægritudinis mox premunt pericula. In ſanis ſæpe humor quidem retentus exit per vias, humoremque analogum ſecernunt; v. g. perſpirabile retentum cum urinis exit, ut hyeme contingit; æſtate juxta Hippocratem alvus ſicca, cutis laxa, & hyeme contra.

Ipſa quoque profluvia cruenta tum naturalia, tum præternaturalia, quorum conſuetudo eſt, vias alias periodice legunt, ſic menſes epiſtaxi ex mammis ſtato tempore evacuari ſunt viſi absque ſanitatis læſione.

At copia, quo minori aut loco; quo minus opportuno humor retentus, v. g. ſanguis menſtruus e pulmone evacuatur;

Quo magis neceſſarius fuerit humoris retenti ad alias partes affluxus, ſic ſi obliteratis meſenterii glandulis, aut compreſſo ductu thoracico chylus in venam ſubclaviam fluere impeditur, tabes ſequitur.

Quo citior humoris retenti corruptio, ut urinæ, fœcum alvinarum, placentæ, lochiorum ob os uteri obliquum retentorum;

Quo major intra breve tempus humoris retenti eſt copia, urinæ in veſica;

Quo major, magisque ſubita cavi recipientis extenſio, quia partes pejus habent ab extenſione ſubita, quam lentiori, cui ſenſum aſſueſcunt. Sic in aſcite ſubito reſpirationis difficultas, aliaque mala longe graviora, quam ſi ſenſim ad majus licet volumen diſtentum fuerit abdomen. Sic *Frank* in convaleſcente ex peripneumonia diram absque data cauſa vidit colicam cito lethalem. In meſenterio de-

deprehenſa eſt arteria meſeraica in aneurisma cordis magnitudinem & figuram referens dilatata; quod aortam comprimens circulationem ſuffocavit. — Hinc intelligitur, ſi *Frank* ſub fœtus extractione manum torpidam ad oſſis ſacri protuberantiam reclinaret, cur aorta compreſſa parturientes de viſus obnubilatione mox quererentur: repleto nempe cerebro apoplexia ſuboriri cœpit.

Quo citius cavi diſtenti vis contractilis perit; exemplo iterum eſt veſica urinaria, tum, & uterus per fœtum grandiorem gemellum aquas largiores plus juſto diſtentas, partu excluſo non ſatis contrahendus, hoemorrhagiamque admittens, quin ipſa cutis abdominalis maculas poſt partum pellucidas velut cicatrices oſtendit, cum nimis diſtracta minus acurate coëat.

Quo nobilius eſt viſcus, magisque ad vitam neceſſarium, in quo humor retentus ſtagnat, ſic ſi empyema in cellulas pulmonum ruptum fuerit, compreſſis ramis bronchialibus cita ſuffocatio.

Quo viſcus nobilius vicinum fuerit compreſſum, ſic non fluentibus hoemorrhoidibus vaſa thecæ vertebralis nimium repletæ premere medullam poſſunt, unde urinæ retentio, extremitatum inferiorum paralyſis &c.

Quo difficilius collecta reſorberi, abducique poſſunt: v. g. ſanguis ruptis varicibus in cerebrum effuſſus.

Quo magis periodice humor nunc retentus evacuari antea ſolebat, evacuatio ſive naturalis fuerit, ut menſtruorum, ſive habitualis præter naturam, ut hoemorrhoidum, epiſtaxis, quæ cum paucarum unciarum fuit, ob earum nunc retentionem plethoram accuſare vix poterimus, ut alio igitur ex fonte læſio inſequuta repetenda videatur.

Quo intricatior vaſorum in parte affecta congeries, ut in pulmone, meſenterio;

Quo minor, aut rarior anaſtomoſis ſic exſtirpato brachii aneurismate tabes illius ſuccedit,

quia rami laterales nimis parvi ſunt, quam ut nutrire tantam partem valeant.

Quo minus auferri cauſa poteſt: v. g. calculi ex veſica fellea, ductu choledocho &c

Eo etiam majus ubique periculum.

Curæ momenta generalia.

1. Videndum, num culpa totius ſyſtematis, num partis ipſius retinentis, num vero utriusque vitio nata ſit retentio.

Atque ubi univerſum ſyſtema peccare conſtiterit, num morboſo virium augmento per ſtimulos nimios inducto, num vero earum decremento ob ſtimulos juſto minores applicatos natos retineantur excernenda.

Exceſſu ſi vires peccaverint, methodus debilitans adhibenda, concilianda nempe quies corporis, animique: aër frigidiuſculus admittendus, excretio alvina, aliorumque organorum obſervanda: vena item ſecanda, quibus ſingulis imminuuntur, retineri quæ poſſunt.

Juvant hic item evacuationes topicæ ad partem retinentem per hirudines admotas, Scarificationes cruentas factæ, quæ & maſſam humorum univerſam imminuunt, & evacuationem vicariam efficiunt. Sic in hœmorrhoidum retentione morboſa ad anum, menſibus reſtitantibus ad genitalia, in urinæ ob veſicam inflammatam ſuppreſſione circa perinæum applicantur hirudines.

In retentione aſthenica, quæcunque pars retineat excernenda, maxime quidem parti affectæ, at non huic ſoli, ſed etiam univerſo ſimul ſyſtemati conveniens ſtimulus applicandus. Sic in menſium ſuppreſſione ex debilitate nata non juvant ſolæ in uterum factæ injectiones, balnea pedum, aut emenagoga ſpecifica, ſed omni ſyſtemati ſimul proſpiciendum diæta nutriente, ſecretionum aliarum v. g. ſudoris juſto moderamine, exercitiis viribus accommodatis, non debilitantibus, bal-

balneis tepidis, frictione, inunctione, linimentorum volatilium stimulantibus internis, primo volatilibus, dein fixis.

Sin cum partis cujusdam retentione partis alterius profluvium adsit, profluvium prius sistendum v. g. si digitalis purpurea ob hydropem exhibita per alvum ruat cum hydropis augmento, diarrhœa opio addito moderanda, jamque urinæ respondebunt, aquasque collectas educent.

Ubi vitium mere locale retentionem induxerit, idipsum fieri si possit, auxiliis, sive medicis, sive chirurgicis auferendum, hernia v. g. fœces retinens reponenda, annulo abdominali relaxato discisso, venæ sectione, si opus fuerit præmissa, anus prolapsa alvi excretionem impediens reponenda; uterus retroversus alvum, & urinam suspendens reponatur digito in anum vel vaginam immisso.

2. Respiciendum ad indolem humoris retenti, num serosus, lymphaticus, cruentus, heterogeneus &c. sit — & ad partem, quæ retinet. Sic serosi humoris per cutem impedita evacuatio per renes, alvumque suppletur, & contra.

Secretio morbosa cutis herpetica &c. quæ quamdiu adfuit a malo quodam liberum tenuit hominem, at nunc retro pressa morbum induxit, in cutem reducenda.

Si pueri verminosi in febrim incidant, vermium respectu ad febrim habito, expulsio tentanda est.

Pure materiave puriformi exitu prohibita, & in sanguinem resorpta, nisi renibus, aut alvo excernatur, fonticulus in parte affecta excitandus, ut ulcere artificiali nato materia peccans evacuetur. Quod ni fiat, febris accendi potest ex vitio cert- humorum licet secundario — & depositio pseudoabscessus (abscessus in parte quadam absque inflammatione prævia, absque substantiæ deperditione subito natus, nec pus fundens, sed humorem puriformem alio ex loco allatum) eventu vario nasci. Sic sæpe post variolas suppuratas febris accenditur, sub qua varii abscessus, aut exter-

ni, aut interni nascuntur, huc recte medici, nisi alvus diarrhæica sit, aut urina sedimentum puriforme ponat, excoriationes artificiales maxime ad illum locum suadent, ubi copiosiores variolæ fuerint, ut materia puriformis hac via evacuetur.

Pro quovis humore retento e collatoriis educendo propria remedia venditavit antiquitas pathologiæ humorali innixa, atque hypothesi favens, quasi humores secretione obtinendi, v. g. bilis, jam ante secretionem tales in sanguine existerent. Sic multus de bile per sanguinem diffusa sermo est, licet bilis alvo secedens vias apertas loqueretur. Sic erysipelas ob colorem flavum a bile derivarunt, licet non omne, quod flavet, bilis sit, nam guttula sanguinis cum quadam muci quantitate unita colorem flavum refert, echymosis ex colore ruberrimo in flavum sensim mutatur.

Interim negari nequit esse quædam corpora, quæ licet in omne systema agant, hoc tamen organon secernens magis stimulent, quam aliud. Sic therebintina, salia media, cantharides in omne quidem systema agunt, quod pulsus post eorum usum incitati &c. loquuntur, magis tamen in renes, quemadmodum materia lucis oculum, aëris motus vibratorius aurem — ob organismi differentiam — magis afficit. Ast vero cum non in partibus solum retinentibus, sed in universo systemate hæreat, retentionum causa male utique agit, qui prætervisis universi systematis vitiis in solas partes retinentes animum advertit.

OR-

ORDO I.

RETENTIONES AËRIFORMES.

Fluidum illud elaſticum, transparens, in quo vivimus, movemur, ſpiramus, aër atmosphæricus, corpus animale non modo ambit, gravidate premit, ſed qua parte licet, attrahitur, penetrat.

Etſi ſummam in corpus animale auctoritatem aër atmosphæricus exerceat, non tamen ut veteres voluere partem corporis noſtri conſtitutivam efficit ibidem fixatus, ut aëris qualitates exſerere non poſſit.

Nec ſimplex aër atmosphæricus eſt, ſed compoſitus ex partibus 27 oxygenii, partibus fere 73 Azot, & principio pauco carbonico.

Aër atmosphæricus non phyſicis ſolum qualitatibus in corpus agit, ſed proprietatibus etiam chemicis, unde compoſitio, decompoſitioque varia. Sic ſi aërem ex vitro inſpiramus, oxygenium illi eripi obſervamus, quod retinemus. Atque aër hic oxygenio ſuo orbatus aliam nunc naturam habet, donec idipſum rurſus reſumpſerit.

In ſolidis noſtris, atque fluidis ſingula aëris principia continentur præter caloricum, quod fluiditatem humorum conſervat, & principium illud, aquam, quod conſtituit. Nec mirum videtur, hæc aëris principia certis ſub conditionibus evolvi poſſe, nec ſola certe putredine evolvuntur, ſed affinitate item mutua, ſic mucus accedente oxygenio induratur — an quia pars muci aquoſa expellitur?

Cum vero, & in ſanitate, & in morbis humores diverſiſſimi ex eodem fonte communi ſecernan-

tur, atque a venis lymphaticis — probabiliter antea mutati, reſorbeantur, cur materia aëriformis ſola decompoſitione pararetur? cur non, & ſecretione, quæ decompoſitione mutata iterum abſorbeatur?

Cum cibis aſſumptis certe aër atmosphæricus ventriculum ingreditur, haud tamen omnem materiæ aëriformis expulſionem, quæ ructibus, & flatibus contingit, a deglutito hoc, atque per digeſtionem extricato aëre atmosphærico repetere licebit, nam in ſanis flatulentia, flatuumque ſeceſſus locum vix habet, & ſi contingit, mox a paſtu contingit, nec multus, nec diu durans. Et licet concedamus, in debilibus ob tardiorem imperfectioremque digeſtionem aërem illum loci calore evolutum, atque rarefactum parere incommoda multa poſſe, non tamen ideo in vado res eſt.

Ructus certe hypochondriacorum, ac hiſtericarum, dum diu ventriculum a cibis gerunt vacuum, ſic explicare non audebimus; nec illam aëris copioſi expulſionem, quæ dum podagra ventriculum afficit, locum habet; nec ſonoram illam, ac involuntariam ex utero quarumdam, quæ contingit fœminarum, aëris expulſionem, nec illum etiam, quem *Hunterus* vidit tumorem aëreum, repetere ab aëre externo licet, cum læſio nulla præceſſerit, nec a ſuppuratione, quæ nulla fuit. Atque ſi ſecretio morboſa locum non habeat, unde aërem copioſum ſubito ſæpe generatum repetemus!

Quid vero ſi per animi pathemata ſubito inflatur abdomen, borborygmi continui murmurant, & non multo poſt abdomen ſubſidet, quin aër per ſuperiora, aut inferiora ſeceſſerit, an non hic materia aëriformis ſubito ſecreta decomponi debuit, atque reſorberi?

Nec aër atmosphæricus ſanguinem intrare poteſt, niſi decompoſitus, vita enim conſiſtere non poſſet, nam canes, quorum venis jugularibus aër inflatus eſt, cito perierunt.

Aër ille, qui in veſiculis natatoriis piſcium reperitur, cum juxta *Gotthelf Fiſcher* Azoto, & principio pauco carbonico conſtet, nec atmosphæricus dici poteſt, nec putredine natus, in piſcibus ſcilicet ſanis. Si jam in piſcibus ſtante ſanitate, ut debet, hic aër ſecernitur, cur non in homine morboſe ſecerneretur?

Emphyſemata variarum partium in quibusdam febrium nervoſarum epidemiis viſa, viſa in ſcorbuto, ſub tuſſi convulſiva, a perfrigeratione continuata valida, unde demum niſi a ſecretione morboſa repetemus? aut undenam caſus ſequentes explicabimus?

Haënnius rationis medendi Tomo VII. capite 2. — hominem habet, qui, licet id prævidiſſet, rudius apprehenſus, ructus quam plurimos edidit.

Sallaba fœminam nobilem ad *Frank* adduxit, quæ cum a viro quocum ſaltatura erat, aliquando prehenderetur, prima vice ructus multos cum impetu edidit, quod illi dein contigit, quoties ſaltatura tangeretur. Serius interdum doloribus artuum velut rheumaticis vexari cæpit, cumque dolorum leniendorum gratia partem dolentem comprimeret, ructus ſemper cum dolorum ceſſatione edidit. Denique ſi a quopiam ubicunque tangeretur, ructus edidit, ita, ut ſine hoc incommodo ne pulſum quidem tangendum præbere poſſet. — Num ſanata ſit, *Frank* ignorat.

Aliam item nobilem *Frank* vidit non ſanatam, quæ ructus edidit in quacunque corporis parte per pilum traheretur.

Vidit mercatorem 40 annorum, qui ructus edidit, quotiescunque tubercula dura quaſi gummata in parte capitis capillata ob dolorem comprimeret; ructibus exploſis dolor ſiluit.

Tumorem quemcunque aëreum compellare *Frank* placet

Pneu-

Pneumatosin.

Ita ut tumorum aëreorum unicum ſit genus, ſub quo, & emphyſema & tympania tanquam ſpecies militent.

Pneumatoſis, emphyſema, inflatio latinorum, empneumatoſis *Cælii Aureliani*, tympanitis univerſalis *Schenkii* — eſt corporis intumeſcentia tenſa, elaſtica, ſub manu crepitans.

Emphyſematis exemplum nobis laniones præbent, qui quo facilius animalium mactatorum cutem detrahant, celuloſam ſubcutaneam per vulnusculum factam inflant. (Quodſi folle faciant, concedi quidem poteſt, non item, ſi proprium ipſi ſpiritum inflent, forte phtiſicum — ad minimum nauſeorum) Nec ſola celluloſa ſubcutanea ſic intumeſcit, ſed ob celluloſæ totius corporis communicationem ipſa etiam viſcera replentur.

Sic fraudulenti cutem inflant equorum, pinquiores ut appareant, at aëre intra paucos dies decompoſito, & reſorpto, cutis iterum ſubſidet, ut oſſa quævis protuberent.

Fuere parentes ſcelerati, qui prolium cutem retro aurem inciſam inflarent, ut hydrocephalum effingerent, hominumque miſericordiam moventes elemoſinam referrent.

Pro emphyſemate formando non opus, ut aër in cellulas vi adigatur, nam ipſe ſibi data porta viam quærit, atque ubi intravit, locique calore expanſus eſt, ipſe ſibi interdum egreſſum negat, quod in vulneribus tracheæ thoracis contingit.

In pinquibus aër minus facile intrat vulnera, quia cellulæ pinquedine repletæ habentur.

Emphyſema traumaticum poſt vulnus enatum — circa quod legi meretur *Malouet in actis pariſinis*, überſetzt von Beer, Leipzig, im zweyten Theile.

Exemplum habetur emphyſematis meſenterii venarum, cordisque ipſius poſt contractionem in-

ta:

ti: aër enim athmoſphæricus corpus per vulnus intrans emphyſema non ſemper ibi excitat, ubi intravit, ſed in loco ſæpe diſſito emphyſema univerſale viſum a coſta fracta an cu em vulnerante?

Imo a ſola contuſione, quin vulnus adeſſet externum, viſum eſt emphyſema, v. g. poſt coſtarum fracturam, qua fors ramuli bronchiales lacerati aëri in cellularem egreſſum conceſſerunt. At viſum quoque emphyſema ſub thoracis contuſione absque coſtarum fractura, an quod cutis per contuſionem debilitatæ, diſtractæ, pori inorganici ampliati viam aëri conceſſerint? an quia ipſa concuſſione ramuli bronchiales lacerati ſunt, quod & videtur factum iis, qui ſub tuſſi phtiſica convulſiva emphyſematici ſunt facti.

Exemplum ipſius pulmonis emphyſematici habet *Störk anni medici* tomo II.

Singulare eſt, quod cum ſæpe mala graviſſima ſint obſervata ab aëre vulnus ingreſſo, Chinenſes ad ſanandam tabem, hypochondriaſin, arthriditem chronicam, iſchiadem nervoſam, artificiali utuntur emphyſemate, quo excitato potus largos diaphoreticos ingerunt, currereque ægrotantes cogunt, ſudorem ut excitent. Vide *acta ſocietatis Harlemenſis* tomo VI. & Sammlung auserleſener Abhandlungen ꝛc. Band II. Stück. 1.

Emphyſema artificiale cum fructu adhibitum dicitur ad boves pinquiores reddendos, et ad lac in vaccis augendum.

Emphyſema ſpontaneum a cauſa interna natum, fit vel ſecretione morboſa, vel putredine, ut in gangræna, vel a quibusdam venenis, juxta *Williſium de tympanitide.*

Juxta *Sydenhamum* occurrit in hiſtericis, quibus ad tibias potiſſimum tumor durus comparet, digito prementi non cedens, qui majoris mane quam ſub veſperam molis eſt, & juxta *Rolain* cum diabethe & paroxismis hiſtericis alternat. *Frank* quidem ſub paroxismis hyſtericis tumorem colli &c. mag-

magnum vidit, ſed ita durum, ut emphyſematicum vix putaret.

Pneumatoſis inteſtinalis *Cullenii*, Tympania *Sauvageſii*, tympanitis aliorum, hydrops ſiccus, flatulentus quorundam.

Tympaniæ vocabulum *Frank* non placet, quia dum aër in inteſtinis hæret, abdomen percuſſum non ſemper tympani ſonum edit; edit vero interdum ſub hydrope abdominali.

Nec tympanitis nomen, quod tympani inflammationem Græcis dicit, ipſi arridet. Hydrops vero ſiccus, denominatio videtur abſurda.

Sauvageſius ſeptem tympaniæ ſpecies habet: 1. Inteſtinalem. 2. Abdominalem. 3. Enterophyſoden. 4. Aſciticam. Interdum enim tympania cum aſcite incedit, ubi aër ſuperiora petit, aquis inferiora tenentibus. 5. Spasmodicam. 6. Verminoſam. 7. Saburralem?

Cullenius duas ſolum ſpecies habet, pneumatoſin inteſtinalem & abdominalem — illa rariorem.

Frank diviſionem hanc quidem retinet, ſed diviſiones ſequentes addendas putat.

A cauſa in pneumatoſin, a vitio locali, v. g. a ſaburris & a vitio totius ſyſtematis pendentem, pneumatoſis enim febrium aſthenicarum ſymptoma frequens eſt.

A decurſu in acutam, meteorismum dictam, & chronicam, tympania appellatam. Apud *Caſimirum Medicum* exempla quoque tympaniæ periodicæ occurrunt.

A parte affecta in pneumatoſin ventriculi, cardialgiam flatulentam, inteſtinorum tenuium, craſſorum & entrophyſoden, utut raram, *Hallero* tamen & *Combalouſiero* viſam, dum aër intra inteſtinorum membras hæret, qui læſa membrana villoſa ex inteſtinis penetravit?

Denique & pneumatoſin aliorum viſcerum. — An non forte optima pneumatoſis diviſio eſſet in abdominalem & viſceralem?

Jux-

Juxta *Gren*, Journal der Physik, Band II. aër ex vitulorum recens mactatorum ventriculis collectus per gas nitricum non mutabatur, adeoque respirabilis non est; cum aqua vero calcis turbatus est, voluminisque partem septimam amisit, hinc acidum carbonicum continuit; aër vero intestinorum crassorum inflammabilem se comprobavit cum principio pauco carbonico.

Male sentire videntur, qui in ventriculo & intestinis aërem atmosphæricum quærunt, atque ab illo fermentationis ope, quam in animali sano negavit *Spallanzanius* — digestionem repetunt, cibos mechanice quasi dividente.

Aër in ventriculo repertus non semper atmosphæricus, aut alius idem est in debilibus, quibus digestio languet; rarefieri potest aër atmosphæricus cum cibis deglutitus, & evolvi, partim ciborum constitutionem efficiens.

(Rosa medenensis arterias & venas, quin evacuatio ulla facta sit, non perinde semper plenas esse docuit, hujusque phænomeni diversitatem a materia vaporosa forte aëriformi repetit.)

Aëris in sanorum ventriculis præsentiam omnino negavit *Gokelius*, über die Luft in den Därmen im gesunden Zustande. — propterea, quod in animalium sanorum subito mactatorum ventriculis aër non reperiatur.

Nimirum asserere videtur, nam si non saltem vapor aëriformis adsit, unde aëris eructatio, quæ vel in sanissimis interdum mox a pastu contingit.

Jam quædam circa pneumatosin intestinalem nomina sunt exponenda.

F l a t u s est intumescentia intestinorum a materia halituosa, aëriformi, elastica, in expansionem tendente.

R u c t u s est flatus per superiora secedens cum sapore vel sine illo.

P e d i t u s est flatus absque sono per anum egressus.

Crepitus est flatus sonora per inferiora explosio.

Cholera sicca est, si cum ventris inflatione, strepitu, torminibus, lumborum laterumque dolore, alvi obstructione sursum & deorsum flatus cum impetu fugiunt. Hippocrates de victus ratione in acutis.

Borborygmus est, ubi citra dolorem flatus per intestina volvuntur.

Colica flatulenta est dolor intestinorum a materia aëriformi.

Meteorismus est abdominis a materia aëriformi intumescentia acuta.

Scriptores circa pneumatosin intestinalem:

Fiennus de flatibus molestantibus 1682. — *Cambalousier* de affectionibus flatulentis. Parisiis 1747. — *Zeviani* de hypochondriasi, flatibus &c. 1775. — *Carolus de la Fons* de tympanitide. — *Stahl* de flatulentia. — *Fik* de hydrope sicco.

Pneumatosis intestinalis *Cullenio* est abdominis intumescentia tensa, elastica, sonora, cum alvo adstricta, & partium ceterarum macie.

Distentio intestinorum tympaniticorum sæpe insignis, ita ut femur humanum æquare sint visa, in quibusdam, qui ex hoc morbo decesserunt, intestina rupta sunt inventa.

Symptomata cum ascite fere communia habet, ut sunt tussis sicca, respiratio angusta, anxietas, oppressio, lassitudo, & sub initio mali dolor abdominis. Circa dolorem in coacis prænotionibus numero 305. *Hippocrates* sic habet: dolor supra umbilicum (an hic intestina tenuia laborant?) & dolor lumborum (an hic crassa affecta, quæ ope mesocoli cum lumbis cohærentia dolorem excitant, male habentia?) non cito solutus in hydropem siccum transit. Interdum singultus atrox, vomitus prioribus jungitur: aliquando sitis accedit, æstus, palpitatio cordis, oculorum caligo, vertigo, lypothymia, suffocatio, borborygni, ructus & flatus cum levamine secedentes. Si multus in intestinis

aër

aër hæſerit, corpus redditur ſpecifice levius, ita ut aquis ſupernatet: unde hiſtoriæ ſagarum &c. quæ hiſtericæ, hypochondriacique magna parte fuere.

Non in tympania ſolum, ſed in malo etiam leviori, ubi ſoli flatus vexant, gravia ſæpe mala occurrunt; ſedentarii, literati, hypochondriaci, hiſtericæ ob flatulentiam diverſiſſimis premuntur incommodis, explicari quæ poſſunt ex unione nervi intercoſtalis, octavi paris, atque ramorum interſpinalium medullæ ſpinalis. Explicari ex hac unione poteſt, quare pari octavo in cane ligato ventriculus inſigniter mox tumuerit.

Circa flatulentiam multa pendent a conſuetudine. Qui ructus expellere laborat, expellendi neceſſitatem facile contrahit. Hinc *Ludovicus Hoffmanus* & *Frank* hypochondriacos monuerunt, ut ructus continerent, atque cum levamine conſilium hoc ſequti ſunt ægrotantes. Bene hic facere videntur Hiſpani, qui a prima juventute proles puniunt, ſi ructus aut flatus emiſerint.

Quæ a ſcriptoribus multis tanquam tympaniæ ſigna proferuntur, minus certa ſunt, quia ſæpe deficiunt.

Sic non ſemper intumeſcentia ſonora eſt, ut vult *Cullenius*, nec alvus ubique adſtricta, quin interdum diarrhæica eſt, nam in febre nervoſa ſæpe cum diarrhæa meteorismus incedit, & in tympania chronica alvum fluentem vidit *Stœrck anno medico II.* nec macies ſymptoma perpetuum eſt, quid, quod habitum minime chacheéticum, an propria experientia ita doctus — *Sellius* in tympania requirat.

Sic levitas corporis deficiens non ſemper tympaniam abeſſe probat, poteſt enim juxta *Haennium* levitas deficere ob fæces vel aquas præſentes, licet fluctuatio non compareat.

Nec, magnum licet, *Fikii* ſignum indubitatum eſt, quod nempe dum tympaniticus dorſo incumbit, venter non ſubſideat, ſubſidens in aſcite, nam

ma-

maximæ molis abdomen in aſcite pariter non ſubſidet.

Nec pulſus in tympania ſemper plenior, duriorque eſt quam in aſcite, ut vult *Lieutaudius*, contrarium *Frank* vidit.

Nec illud ad dignoſcendum ſemper ſufficit, quod juxta *Senertum* in tympania non tumeant extremitates inferiores, nam nec in aſcite ſemper tument.

Adeóque non tam facile, ubique ab hydrope dignoſcitur tympania, ut vult *Baumé de vera tympaniæ cauſa, & rationali curatione* 1774. Facile quis aquas adeſſe putat, ubi aër peccaſſe poſt mortem deprehenditur. Sic in cadavere hominis, qui laborare hydrothorace videbatur, nam pedes tumidos oſtendit, difficillime reſpiravit, noctis tempore aëris captandi gratia ad feneſtras aſthmaticus properavit, nonniſi abdomen inflatum *Frank* eſt viſum. Interdum tamen tympania cum hydrope jungitur ex iisdem cauſis nato, atque eadem ratione ſanando.

Cauſam tympaniæ inteſtinalis, quam *Lieutaudius* affectionem mere ſpaſticam putat, conſtituit: quidquid copioſam aëris extricationem promovet, expulſionem vero impedit. Sæpe laxitas, debilitas peccat univerſalis, cum atonia inteſtinorum adhuc majori.

1. Diarrhoea diuturna, aut dyſenteria gravis prægreſſa.

2. Draſticorum abuſus, quæ nimis irritando tonum inteſtinorum imminuunt.

3. Alvi fluxus putridus per opium intempeſtive adhibitum compreſſus, juxta *Pringle*.

4. Febris intermittens male tractata, juxta *Tomſonium*.

5. Menſium, hœmorrhoidum per frigus admiſſum ſuppreſſio.

Hominem *Frank* novit vertigine gravi laborantem, a qua liberatur per herpetem erumpentem, qui ſiccari dum incipit. Symptomata hypochondriaca maxima, dolor coli ſiniſtri, ita tumentis,

tis, ut tumorem æger ipſe perciperet, herpete denuo efflorelcente tumor ille, reliquaque diſparent ſymptomata.

6. Affectio hiſterica, ſub qua pars quædam inteſtinorum ſpaſtice contrahitur, quo fit, ut contenta tranſire impedita cumulentur ſupra locum conſtrictum, tumoremque excitent: quod ubi ſæpius factum fuerit, dilatatio, aërisque extricatio facilior redditur, qui bovis rugientis, ranæ coaxantis, aliosque diverſiſſimos ſonos edere conſuevit.

Ventriculus hiſtericis interdum ita inflatur, ut tumorem quaſi hernioſum efficiat cum anxietate ſumma, difficultate ſpirandi, vertigine, apoplexia inſtante, ſemiparalyſi brachiorum, ſudore frontis frigido, leipothymia &c.

Fœminis etiam non hiſtericis circa menſium eruptionem ſæpe murmura, tumor, dolorque abdominis, quæ citiſſime interdum diſparent, quin flatus eruperint.

Curſores, ne doleant in regione lienali — probabiliter ab inteſtino colo flatibus diſtento — arctum circa hypochondria ſtringunt cingulum.

7. Vermes, ileus, volvulus, ſaburra, frequens alvi obſtructio, inteſtinorum induratio, hernia, colica pictonum gravior, inflammatio ſæpius aſthenica, ſed & ſthenica, cujus exempla habentur in *Stollii rationis medendi* Tomo VI. in *Störk anno medico* II. in tractatu *Dethardingii de inflammatione tympaniæ cauſa*, Roſtockii. — Hiſce enim obſtaculis dilatatio cujusdam inteſtinorum partis præparatur.

8. Compreſſio quædam diu durans ſubito ablata, ſic partu citius abſoluto inteſtina diu antea compreſſa, plurimum interdum dilatantur.

9. Flatus ex cibis crudis, vegetabilibus, leguminoſis excluſi.

10. Stimulus requiſitus inteſtinis negatus, v. g. bilis in ictero.

11.

11. Studioſa flatuum retentio, unde inteſtina diſtenta paræſi plectuntur.

12. Læſio organica, v. g. inteſtinorum per vermes, herniam ſuppuratam, gangrænoſam perforatio, ſic læſa veſicula fellea bilem in abdomen effundit, tympaniamque *Stevatii* efficit.

Pneumatoſin abdominalem juxta *Sauvageſium* definit *Cullenius*: intumeſcentiam abdominis cum ſonitu evidentiori, tumore mágis æquabili, emiſſione flatuum rariori, minusque levante quam in inteſtinali.

Non facile ab inteſtinali diſcernendam abdominalem *Frank* putat, nam ſi omnia inteſtina diſtenta fuerint, æquabiliter abdomen tumebit.

Tympaniam abdominalem negat *Littre* ex eo, quod abdomine tympanitico vulnerato flamma nunquam moveatur admota.

Pro tympania abdominali *Morgagnius* ita ratiocinatur: quemadmodum in ſuperficie viſcerum veſiculæ aquoſæ naſcuntur, quæ ruptæ aſciten conſtituunt, ita & veſiculæ aëreæ oriri queunt, quæ ruptæ materiam aëream ructantes, tympaniam abdominalem efficient.

At, quod plus eſt, flammam motam vidit *Platnerus*, vidit *Lieutaudius*; atque *Raimarus* in actis naturæ curioſorum, ex abdomine vulnerato cum ſibilo exire obſervavit, abdomenque concidere.

Nec opponi poteſt, aëris ſonum fallere poſſe, quia intrare per vulnus cum ſonitu valet.

Nam aër externus nunquam cum ſonitu per vulnus intrat, & ſi abdomen inflicto vulnere concidere videmus, quin inteſtina concidunt, aërem egreſſum in ipſo abdominis cavo hæſiſſe, non dubitandum eſt.

Et licet demus in *Raimeri* caſu, ubi inteſtinorum pars gangrænoſa fuit, aërem cum ſibilo ex abdomine vulnerato prorumpentem ex inteſtinis ruptis in abdominis cavum transiiſſe, haud tamen omnem tympaniam abdominalem ab inteſtinorum rup-

ruptura, eorumve per vermes erosione derivare poterimus, quæ tumida interdum non comparent.

Symptomata abdominalis *Cullenius* statuit: sonitum a percussione fortiorem, quam in intestinali, dolores abdominis magis ad superficiem, alvum minus clausam, flatuum emissionem rariorem minusque levantem. — Utinam certa hæc essent.

Tympaniæ abdominalis quænam est causa? An ab aëre intestinali pendet per membranas distractas fugiente? An ex humoribus componitur, ut vult *Platnerus?* An putredine — quæ demonstrari in nullo ægrotante potest — evolvitur juxta *Morgagnium?* An ex aquis hydropicorum nascitur, nasci quemadmodum aërem inflammabilem in paludibus novimus? *Frank* sic olim putabat. An vero, quod illi nunc probabilissimum, secretione morbosa generatur, ut statuit *Hunterus.*

Ad pneumatosin pulmonalem pertinere videtur asthma, visum a *Baillie*, ubi pulmones emphysematici sunt reperti absque læsione substantiæ detegenda, & exemplum pulmonis emphysematici *Störkii* pag. 42. allegatum.

Vesicalem a se visam, *Frank in delectu opusculorum* descripsit: Hanc produnt prægressa ulcera, vel in ipsa vesica, vel in intestino recto, vel apud fæminas in utero præsentia, flatus per urethram aut vaginam emissi.

Crepitus e pene emissos tradit *Ruffus Ephesius apud Aëtium tetrabiblio III.* capite 35. Homo debilis sub coitu seminis loco aërem pene dimisit juxta Zacutum Lusitanum?

Uterinam testantur *Hippocrates* epidemicorum Libro VI. Sectione 2 & 7. *Paulus Aegineta, Mauriçeau, Petitus & Camperus*, optime vero *Sennertus praxeos medicæ* Libro IV. tam & *F. Philippus Stokhausen dissertatione de œdeopsophia* Halæ 1795.

At cum pneumatosi uterina non confundenda garrulitas uteri Martialis, ubi sub coitu aër atmos-

phæ-

phæricus vaginæ inclusus, ibique rarefactus juxta penem crepitans aufugit: sed hic sermo est de illo casu, ubi gas in ipso utere hæret.

Symptomata præter illa, quæ de intestinali enumerata sunt, tumor in uteri regione, levitatis sensus, interdum lactis generatio.

Per attactum hic uteri status non facile ubique a graviditate dignoscitur, quod si tamen absque inflammatione prægressa in fœmina histerica, quæ morbis flatulentis fors antea laboravit, sique subito regio uterina valdopere intumerit, de pneumatosi uterina potissimum cogitandum.

Causæ sunt:

1. Aër atmosphæricus, qui, dum fœtu excluso os uteri apertum manet, intrare potest, atque utero fors clauso retentus rarefieri, & tumorem flatulentum producere, exitum nisi cito invenerit. Cum aër atmosphæricus majori copia in ventriculum delatus vomitum facile excitet, an non, & uterum, licet non retineatur, lædere valet?

2. Fœtus in utero corruptus, gas hepaticum evolvens.

3. Ulcus uteri impurum, vel ibidem natum, vel ex vesica, aut intestino recto vicinis propagatum. Sub partu enim difficili, vel rudi instrumentorum applicatione vesica, & vagina male tractatæ suppurantur concretæ, unde vix non continuum urinæ per pudenda stillicidium insanabile.

4. Secretio humoris aëriformis morbosa in histericis, unde extra puerperium interdum uterus ita intumescit, ut imponere pro gravidate valeat.

Prognosis.

Emphysema traumaticum vix periculosum.

At circa nobilia: v. g. ad collum in pulmone si hæserit, suffocare valet, aliaque mala inducere, nisi aër cito, aut expellatur, aut decompositus resorbeatur.

Fla-

Flatus hiſtericarum ſymptomatici, prognoſin morbi principalis ſequuntur.

In hydrope ſicco mala urinæ ſtillicidia, malæ urinæ cum ſedimento pauco, ait *Hippocrates.* — An hanc urinæ paucitatem a renum compreſſione recte *Swietenius* derivat, cum eam largiter fluentem interdum videamus in hydrope?

Ut hydrops ſic tympania ex ſcirrho, viſcereque corrupto, ubique lethalis.

Quæ cum paræſi inteſtinorum incedit, & extremorum paralyſi, atque nata eſt poſt lapſum in dorſum, aut à ſuppurata medullæ ſpinalis inflammatione peſſima.

Tympanitici ex menſium, hæmorrhoidum ſuppreſſione, an tantum, quibus vires abundant? — Fluxu reſtituto ſalvantur.

Dum tympaniæ dolor violens accedit, ſitis intenſa, genæ rubentes, ſingultus, pulſus parvus, inæqualis, lypothymia, extremorum frigus, fere adeſt gangræna.

Meteoriſmi, febrium nervoſarum ſymptomatis, non ubique difficilis prognoſis. *Frank* clericum Ticinenſem glacie ventri impoſita ſat cito reſtituit.

Cura ſecundum cauſas allatas inſtituenda eſt.

Inflamatorius ſi meteoriſmus fuerit — qualis quidem raro in tympania vix unquam eſt; *Adolphi* tamen tympaniam habet 8 annos rebellem, venæ ſectione tandem ſanatam — quod habitus, corpus, ætas, vivendi ratio lauta, ſtimuli majores applicati docebunt, venæ ſectione, vel reliquo ſaltem apparatu antiphlogiſtico ſuccurrendum. Ubi hœmorrhoides aut menſes ſimul ſuppreſſi, evacuationes topicæ per hirudines ſæpe proſunt.

Aſthenicum ſi malum fuerit, excitantia conducunt, ſed volatilia antiſpasmodica dicta, quia hypochondriaci, & hiſtericæ potiſſimum hoc malo laborant.

Stœrk formulam hanc habet bonam:

℞. Sacchari albi Dr. ij.
Olei deſt. menth. gutt. v. tere in mortario vitreo, dein adde:
Syr. menthæ unc. jß.
Aquæ — — x.
Spiritus — Dr. j.

Formulam ſimpliciorem, nec tamen multo inferiorem dabunt

℞. Aquæ menth. piperit. Unc. VI.
Syrupi cinamomi &c. Unc. I.

addi quoque aliquot guttulæ cujusdam eſſentiæ poterunt.

Si alvus obſtructa fuit, *Vogelius* commendat:

℞. Opii puri grj. ſubige cum
Mucil. cujusdam Unc. I. dein adde
Olei amygd. recentis Unc. VI.

At Germani oleoſa minus libenter aſſumunt, nec ſat commode; ſed ſi alvus non reſeratur, opio haud diutius inſiſtendum *Frank* putat; ſed clyſma ſequens exhibendum.

℞. Flor. chamom. Unc. j. infunde &c.
Colaturæ liber. j. adde
Camph. in olei Cham. unc. j. ſolutæ gr. x.

Sed & frictiones abdominis per pannos laneos fumo aromatico imbutos factæ conducunt; tum & Unguenta volatilia quodam corpore addito v. g. oleo preſſo nuciſtæ, oleo lauri, cumini.

Ad flatus pellendos laudantur Calamintha montana, rosmarinus, hyſſopus, ſemina fœniculi, cumini &c.

At videndum quoque, an malum non ſit complicatum cum ſaburra, quæ ſi adfuerit, leniter educenda.

℞. Pulv. rhei gr. x.
Magneſiæ calcin. gr. xii.
Eleoſach. fœniculi ſcrup. j. detur talis pulvis, bis, ter de die, vel:

℞.

℞. Aquæ menth.
Tinct. rhei aquosæ aa. unc. jj—jjj.
Spirit. nitri dulcis &c. dr. β—j.
Alle 2 Stunden 1 — 2 Eßlöffelvoll.

ſed evacuantibus diu inſiſtendum non eſt, ne debilitas augeatur.

Laudari meretur *Thomſonii* remedium.

℞. Calami aromat.
Zingib. vel nucis moſch. aa. Drj. m.
Summantur quater per diem gr. x — xv.

Superbibi poteſt infuſum ſambuci aut florum chamomillæ.

Cui vires concedunt, equitatio commendari meretur, qua abdomen ſalutariter concutitur.

Si malum pertinacius urgeat, frigida haurienda abdomini ſæpius affundenda, quin ipſa glacies applicanda. Effectum a frigidis applicatis bonum viderunt *Hippocrates*, *Cambalouſier*, *Baumè*, *Lieutaudius*, *Frank*.

Cave tamen, ne frigidis hiſce vires nimium proſternas, quare diu non relinquito, ſed ſæpius iterato.

Interdum prima frigidorum applicatorum tanta impreſſio, ut ſuffocationem metuant ægrotantes, at ſi bene tegantur, vaſculumque infuſi tepidum hauriant, ſudor levans plerumque ſuccedit.

Ubi ſpasmis aër retinetur, præter dicta volatilia conducit abdomini applicare cucurbitulas ſcarificatas.

Ubi pertinaci ſub alvi obſtructione vomitus accedit, clyſterem ex aëre fixo conducere *Selle* vidit, cum ipſius tympaniæ decremento.

Serius amaricantia volatilibus juncta proſunt.

℞. Raſuræ ligni quaſſiæ drjjj. coque &c.
Colaturæ liber. j. adde
Spiriti nitri dulcis aut
Aetheris vitrioli dr. β — j.

Ubi flatulentia nata eſt a fructibus horræis, muſto, in corpore fermentantibus, eorum *Switenius* evacuationem ſuadet, quæ ſi fieri qneueat, ſpiri-

tum ſulphuris per campanam, ut ſicut in dolio ulterior impediatur fermentatio? aut melius, ut videtur, abſorbentia cum aromate v. g. calamo aromatico?

Leonhardi de remediis flatus abſorbentibus contra aërem inflamabilem pulverem carbonum commendat; contra aërem vero fixum laudat magneſiam ſalis, aquam calcis recens paratam, ſpiritum ſalis ammoniaci cauſticum ad guttas IV. ex aqua.

Frank tympaniticæ, cui volatilia & frictiones opem non tulerant, alcali volatile cauſticum ſecundum *Leonhardi* conſilium exhibuit, & jam poſt horam ad medietatem abdomen ſubſedit: cura per amaricantia eſt abſoluta. An alcali egit aërem tympaniticum reſorbendo? fere ſic *Frank* videtur.

Profuit hoc alcali & alteri tympaniticæ, ſed lentius. Virum vero tympaniticum alcali non juvit, huic dein clyſter e vino tepido auxilium tulit — an quod flatus in inteſtinis craſſis hærentes, vinum magis ſit aggreſſum?

Auxilia externa *Thilow*, profeſſor Moguntinus ad aërem ex inteſtinis extrahendum ſiphonem propoſuit — an non forte inteſtinum orificio ſiphonis applicatum, actionem ejus elidet? — vide Salzburgiſche mediziniſch = chirurgiſche Zeitung 1797. Band IV.

Si aër vulnere obliquo penetravit in thoracis cavum, vulnus dilatandum, ut exitum aër inveniat.

Si aër in paniculum adipoſum partis cujusdam externæ per vulnus intravit, aëris expulſio preſſione manuum verſus vulneris orificium directa, & applicatione aromaticorum diſcutientium ſic dictorum tentanda.

In emphyſemate univerſali a cauſa externa præter dictam vulneris tractationem hinc inde ſcarificatio inſtituenda, ut egredi aër queat, atque ſuffocatio &c. impediatur.

Em-

Emphysema spontaneum a causis internis tractandum ad regulas traditas — fere semper lethale — nisi morbus principalis curetur, a quo pendet. *Huxhamus* præter requisita interna, acetum vini, spiritum vini camphoratum, herbas aromaticas, decoctum corticis externe admovet.

Nec in hoc tamen emphysemate aëris per scarificationem emissio negligenda est.

In pneumatosi thoracis paracentesis ab *Hewsonio* est proposita — utinam de aëre præsente certo constaret!

Item proposita in abdominali a *Sauvagesio* & *Leutaudio*, sed vulnere angustiori abdomen aperiundum suadent, ne ex cito abdominis collapsu incommodum nascatur: hinc, & fasciis abdomen stringi volunt, ut sub eductione aquarum fieri solet, & vires jusculis, vino sustentari.

At difficillima diagnosis: si jam abdomen aëre non præsente pungatur tricuspide, intestina malo cum effectu lædi possunt. Intestinorum tamen læsio vitari posse videtur, si per lanceolam apertura lente fiat, quæ suadenda in dubio videtur, cum ex vulnere mere abdominali vix ullum periculum sit. Nec *Helmontii* casus, in quo operatione facta mors secuta est, contra quid probat, cum gangræna jam adfuisset.

At *Selle* — an propria doctus experientia? — sectionem abdominis nunquam juvisse ait.

In bobus & vaccis, quæ dum autumno multum trifolii raparumque avide deglutiunt, ita sæpe ventriculo inflantur, ut in quibusdam crepuisse sit visum, punctura abdominalis cum fructu sæpe instituta habetur, qua vix non omnes salvabantur, quæ nondum cecidissent, nam dum collabuntur, ventriculus fere jam ruptus st. — Vide **Riems** praktische Abhandlung, das aufgeblähte Rindvieh durch innerliche und äußerliche Mittel zu retten. Krünitz im Bande V. der ökonomischen Enzyklopädie.

In-

Inſtrumentum ad hanc operationem invenit *Hauck*, faber ferrarius, prope Heidelbergam, præmioque donatus eſt 1779.

Eſt vero tricuſpis in canula recondita, hæc in latere ſiniſtro inter ultimam coſtam, atque os ilei perpendiculariter abdomini ad ventriculum uſque infigitur, aërque per canulam relictam emittitur.

Nec a ventriculo puncto metuendum eſt, nam parva illius vulnera lethalia non ſunt, cum ventriculo poſt aërem emiſſum contracto facile claudantur.

Deſſault — in Sammlung auserleſener Abhandlungen ꝛc. Band V. Stück 2 — hanc puncturam in fœmina tympanitica inſtituit, aëremque multo cum levamine eduxit, at cum canula mox educta, fæmina ſerius iterum intumuiſſet, nec aperturam alteram admittere vellet, ſuffocata periit.

In tympania chronica fructum a punctura *Frank* vix exſpectat, quia ſæpe cauſa auferri nequit. — An non forte palliative prodeſſe poteſt, modo certi ſimus, aërem in ipſo abdominis cavo hærere? An non, *Frank* interrogat, punctura inſtituenda foret in pueris, quorum ventriculus a fructibus horraeis ad crepaturam uſque intumuit.

Or-

ORDO II.

RETENTIONES SEROSAE.

A. De hydrope in genere.

Corpus animale in omni ſuperficie, tum externa, tum interna tranſpirat. Si aperiatur animal vivum, ex cavis vapor velut gas aſcendit, odoris ſpecifici non ingrati, qui vapor accedente frigore in fluidum ſui generis coit, chemice hactenus non examinatum.

Quemadmodum frigore, ita & cauſis morboſis vapor ille in humorem ſeroſo-lymphathicum condenſatur.

Aperto cadavere, quæ in pericardio reperitur aqua, hæc in vivo non adfuit, nam in vivente ſingula cava repleta ſunt vapore, uſus qui multiplicis videtur, licet hactenus ignorati.

Quemadmodum ſecernitur hic vapor vaſis exhalantibus, ita adſunt vaſa reſorbentia, quæ illum maſſæ humorum iterum reddant.

Pathologi veteres hydropem naſci dixerunt, ubi plus in cava exhalatur, quam reſorbetur. At vaſa reſorbentia vim ſane majorem habent, quam ut a ſecretione paullo majori mox ſuffocetur. Si in canis thoracem libras duas aquarum injeceris, non hydrothoracis ſigna, tuſſis, anxietas, jactatio &c. urgent; aſt poſt 24 horas vix guttulam aquæ reperies. Hinc non tantum quæ ſecreta fuerunt, ſed etiam illæ duæ libræ injectæ, ſunt reſorptæ.

Mag-

Magna differentia eft inter humores ferofos fanos & hydropicos, hi enim femper fere fedimentum fibrofum materiæ puriformis deponunt, quæ fimilis eft cruftæ inflammatoriæ in fanguine comparenti. Jam hoc fedimentum aquæ hydropicorum non exhiberent, fi non contigiffet fecretio morbofa, cujus ideam præbere valeat vefica humore turbidulo repleta, quæ veficante in cute excitatur. Hinc aquæ hydropicæ non folum quantitate peccant, fed & qualitate.

Aquæ hydropicorum, nec dum paracentefi educebantur, nec ubi in lagenis probe claufis per menfes affervatæ, multum fedimenti dimittebant, criteriis chemicis putredinis notam *Frank* exhibuere. Hinc quæ exempla aquarum hydropis putridarum ab aliis allegantur, in iis fane gangræna fubfuiffe videtur.

Non femper eadem hydropicorum aquis natura, plerumque quidem partes lymphathicas continent, quæ albuminis ovorum inftar per ignem coagulantur, floccorumque forma excutiuntur, tum fpiritu vini, tum acidis mineralibus, fed aquæ in cerebro lympham his criteriis vix produnt; vide *Hahnii tractatum de fuccis corporis humani melius ordinandis.*

Interdum in afcite, hydrope ovariorum, tam craffæ funt aquæ, ut effluere per canulam vix poffint, quod fere contingit, fi modica humoris collecti quantitas fuerit.

Difficilis eft hydropis definitio, quæ cuivis conveniat, nec certe illa antiqua fufficit: effe præternaturalem aquarum in cavo quodam collectionem, unde tumor & tenfio partis. Nam in hydrope cerebri, thoracis tumor vix comparet.

A *Frank* definitur: morbofa vaporis animalis in fluidum ferofum, aut ferofo-lymphaticum converfi ad cava corporis hæc vel illa vario abhinc modo adfecta collectio.

In hac definitione mentio non eft facta fecretionis, quia ad quamvis hydropim requiri non vi-

videtur. Sic canis hydrope laborabit artificiali, at non per secretionem mutatam nato, si vasa illius lymphatica vinculo strinxeris. Sic œdema pedum in gravidis est a compressione lymphaticorum, & a negato inde humoris contenti reditu; idem œdema pedum a scirrho glandularum inquinalium, uteri, ovarii, ubi unus modo pes tumet, si in uno tantum latere vasa cruralia comprimuntur. Dantur ergo & hydropes ex vitio locali, quo circulus humorum impeditur.

Hydrops in sexu fæmineo frequentior morbus est, non infrequens apud infantes & senes, minus frequens in media ætate constitutis est.

Aquæ vero in quavis corporis parte colligi morbose possunt; dividitur hinc hydrops:

A. Ratione sedis.

a) In cephalicum, qui vel externus est, vel internus.

Referri ad cephalicum potest hydrophtalmia, & hydrops cavi tympani, acutus post otitidem enatus, si aquæ per tubam Eustachianam effluere impediuntur.

b) In pectoralem, ubi aquæ vel inter pleuram & pulmones fluctuant, vel in saccis pleuram pulmonesque nectentibus hærent; vel in ipso pulmonum parenchymate conduntur, nunc in pericardio, nunc in mediastini cavo scatent.

c) In abdominalem, ubi aquæ vel inter peritoneum & musculos abdominales latent, vel in abdominis cavo fluctuant, vel inter mesenterii, aut omenti laminas stagnant, vel in superficie externa viscerum abdominalium hærent, vel etiam substantiam illorum obsident.

Hidropem ventriculi hydatidicum observavit *Rivierus*, intestinalem *Frank in delectu opusculorum* volumine VI. descriptum, ubi in intestinis infantis, qui nasci non potuit, cavitates 18 repertæ sunt, aquis repletæ & non correspondentes.

Sæpe in pelvi colliguntur aquæ, præfertim apud fæminas, nempe inter ligamenta lata, in tubis, ovariis, in ipfo utero.

d) In hydropem artuum, ubi aquæ fub cute hærent, anafarca, vel circa articulationum cava, aut in iis ipfis, vel in tunica teftium vaginali, vel in funiculi fpermatici textu cellulofo, in labiis majoribus fœminarum, præfertim gravidarum, in nymphis, quas *Frank* iterata fcarificatione cum fanitate perfecta infequente eduxit.

e) In hydropem cavitatum offium, fic colliguntur aquæ in offibus cranii, in cavo columnæ vertebralis, ubi apud juniores ob defectum apophifium fpinofarum fpina fic dicta bifida enafcitur, in cavitate medullari offium longorum, v. g. femoris, tum in bobus, tum in hominibus.

B. Ratione extenfionis et partium continentium.

Modo enim aquæ per omnem cutis cellularem telam diffufæ funt, modo cellularem vifceris cujusdam inundant, modo in cavo corporis naturali ftagnant; quodfi tale cavum præternaturale voluminis majoris fuerit, faccus appellatur, fi minoris hydatis falutatur; cavum tale præternaturale ex pedunculo modo pendet, modo in cavo abdominis &c. fluctuat, modo vifceri inclufum eft, vel folitarium, vel plura racematim cohærentia, figuræ modo rotundæ, modo ovalis, coloris albefcentis, fubflavi &c.

Hydatides pro varia materiæ contentæ confiftentia varia aquirunt nomina, huc meliceris pertinet, atheroma, fteatoma, tendinum ganglion, burfulæ pinquedinofæ articulationum poft inflammationem, contufionem degenerantes, criftallinæ glandulæ cujusdam penis &c.

Magna circa originem hydatidum explicanda difficultas premit. — Quis illarum originem ex vaforum lymphathicorum extremitate dilatata & abrupta repetet, cum millenæ fæpe adfint? Quis vafis lymphatici dilatationem in eam molem conci-

cipit, qua hydatides interdum conſpiciuntur? Atque ob hanc difficultatem ex aliorum vaſorum tenuium dilatatione haud felicius repetuntur. Nec *Sömeringii* experimentum, qui hydatides injecit, hanc opinionem evincit, tanquam certam, cum in pſeudomembranis vaſa adfuiſſe ſciamus.

Probabilior opinio eſt, quæ hydatides naſci facit ex cellulis textus celluloſi dilatatis, atque a textu celluloſo avulſis.

Maxime vero probabile eſt, hydatides formari ex materia ſub inflammatione morboſe ſecreta, ita ut pars lymphatica membranam conſtituat ſerum includentem.

Dantur quidem hydatides tæniam hydatigenam continentes, ſaccum quæ duplicem ſiſtunt, exterior formatur membrana cellulari partis illius, in qua tænia degit, interior ad ipſum animal pertinet. — At non omnes hydatides organicæ deprehenduntur, & ſi tænia ex cellulari veſicam ſibi parare poſſit, cur aqua non poſſet?

C. Ratione materiæ contentæ.

a) In hydropem ſincerum, quem meræ aquæ conſtituunt pellucidæ, coloris albeſcentis, vel citrini.

b) In lymphathicum, albumen ovorum referentem.

c) In chyloſum, ſi chylus ex vaſis chyliferis, vel ductu thoracico læſo manauerit.

d) In puriformem & purulentum.

e) In ſanquinolentum, quem *Frank* atque *Haënius* viderunt. — At collectionem ſanguinis meri, chyli atque puris hydropis titulo inſignire *Frank* recuſat.

D. Ratione originis in primarium, qui rarus eſt & in ſymptomaticum poſt febres intermittentes, ſcorbutum, obſtructiones &c. enatum.

E. Ratione decurſus, in acutum & chronicum.

Il-

Ille a transsudante sub inflamatione lympha coagulabili nascitur, inde sæpe hydrocephalus puerorum sub scarlatina, hydrophtalmia, hydrops cavi tympani post otitidem, hydrops pericardii post peripneumoniam, ascites post colicam inflamatoriam, post iritonitidem puerperalem, hydrops vaginalis in perflamationem testiculi &c.

F. Optime vero a C a u s i s.

a) In h y d r o p e m t o p i c u m ex vitio locali natum, huc œdema pedum in gravidis subovariorum obstructione.

b) A b u n i v e r s i s y s t e m a t i s v i t i o p e n d e n t e m, huc ascites post febres intermittentes neglectas ortus.

Atque huc vel a s t h e n i c u s, qualis plerumque; vel s t h e n i c u s plethoricus, *Stollii rationis medendi* tomo III. Hunc & *Frank* vidit in fæmina Ticinensi, quæ florens ætate atque bene nutrita, animi pathemate correpta mensium suppressionem, mox & asciten, quo cum quam diu laboraret, habitum semper bonum præsetulit. Ubi diu drasticis &c. usa esset, paracenthesinque bis frustra experta, binis venæ sectionibus & reliquo apparatu antiphlogistico restituta, post annum integerrima valetudine est usa.

Attamen & id cavendum, ne pro hydrope sthenico nobis imponat & ex indirecta, qui ortus est debilitate in potatoribus, vel iis, qui mercurium diu tractarunt.

E f f e c t u s h y d r o p i s g e n e r a l e s sunt cavitatis, quæ aquas collectas tenet, distractio, vasorum illius compressio, functionisque tum ipsius cavi continentis, tum partium adjacentium compressarum turbatio; inde gravitatis, ponderis, tensionis interdum & doloris sensus, v. g. in œdemate pedum sub vesperam.

Irritabilitas partis extensæ aut adjacentis compressæ, nobilitatisque diversæ symptomatum diversitatem producit. — Quo tamen lentius distractio

suc-

ſuccedit, eo minus ſymtomata urgent, quia natura eidem ſenſim aſſueſcit.

Tumor hydropicus ab initio mollis eſt, mutabilis, non calens, non dolens. Aquæ ſtagnantes mutari poſſunt, acrimoniam contrahere, ut adeo novum ſtimulum inducant cavis continentibus. In hydrope ventriculorum cerebri puerorum incipiente, pulſus naturale lentior, morbo vero adulto frequentiſſimus, inordinatus, ſive extenſione, atque compreſſione partium, ſive ex acrimonia, quam aquæ ſtagnantes contraxere.

An partes, in quibus aquæ hærent, ab iisdem macerantur? — macerentur, niſi vis vitalis reſiſteret. Debilitas eorum explicari poſſe videtur ex iisdem cauſis, a quibus hydrops pendet.

Cauſæ hydropis generales referruntur à *Milmanno*, 1) ad fibrarum laxitatem; 2) ad vires per morbos prægreſſos, evacuationes nimias infractas: 3) ad impeditum ſanguinis circulum. At nulla hic ſtheniæ fit mentio, an porro laxitas ſeparanda fuit à debilitate?

Frank hydropis cauſas aſſignat.

1. Virium abundantiam, quæ rarius quidem in hydrope peccat, peccat tamen. Per virium humorumque abundantiam hydrops naſci videtur, quatenus vaſa nimis tenduntur, circulaio impeditur, ſecretio atque reſorptio turbatur, atque idem quodamodo hic contingit, quod gravidis per uterum extenſum contingit.

Nec licitum videtur aſſerere, tempore quo hydrops ingruit, ſtatum adeſſe indirecte aſthenicum, quia hydrops hic per methodum debilitantem ſanatur.

2. Debilitatem, ſive directam ſive indirectam, hæc in ſtrenuis potatoribus, & potuum ſpirituoſorum abuſu apud ſeptentrionales — ubi ſane frigus humidum contribuit. An ergo & debilitas compoſita peccare valet?

Oſcillationem vaſorum imminutam, ut hydropis cauſam aſſignat *Tiſſotus*, eamque a debi-

bi-

bilitate distinquit. At si imminuta hæc oscillatio non pendeat ab imminuta excitabilitate, quid sit, concipi vix potest; si vero ab eadem pendeat, non fuit a debilitate separanda. In vasis ossescentibus mutatur certe oscillatio, at hydrops, qui cum vasis osseis incedit, non a sola vasorum ossescentia derivandus *Frank* videtur.

Vires vasorum lymphaticorum imminutas tanquam hydropis causam multi recentes accusant. — Videntur quidem hæc vasa potissimum, nec tamen sola peccare, cum hydrops totius systematis morbus esse videatur.

Debilitatem directam, ut hydropis causam inducunt.

A. Morbi acuti neglecti, male judicati; sic convalescentes diæta nimis tenui, aquosa utentes, pedum œdemate sæpe laborant.

B. Febres intermittentes neglectæ aut per evacuantia male tractatæ.

C. Morbus quivis ex debilitate oriundus v. g. chlorosis, icterus, scorbutus, scarlatina, cum hydrope societatem init.

D. Mœror gravis diuturnus secundum *Friedericum Hoffmannum.*

E. Vita deses, otiosa apud litteratos, domicellas &c.

F. Evacuatio nimia per purgantia, dysfenterias validas, diarrhœas chronicas, suppurationes largas &c. per hæmoptisin, vomitum cruentum, hæmorrhagiam uteri sub abortu, partu difficili, ex vulneribus magnis sero deligatis, per venæ sectionem.

G. Juxta quosdam retentiones cruentæ v. g. menses, hœmorrhoides retenti. At retentio mensium, hœmorrhoidum alterius morbi effectus videtur, habitus nempe sthenici, vel asthenici.

H. Excretiones aliæ, quibus assuevimus suppressæ hydropem item inducunt: v. g. sudor pedum, tinea capitis, aut ob acre sic resorptum, aut post suppressionem genitum.

I.

I. Quidam ut præcipuam hydropis cauſam tranſpirationis ſuppreſſionem accuſant, niſi renibus compenſetur. Nam ajunt qui noctes frigidas ſub dio tranſigunt, hydropici facile fiunt, præſertim ſi frigus humiditate ſimul peccaverit; hinc frequens apud Belgas hydrops eſt. — At num hydropes tales melius explicantur ab humido tum retento, tum reſorpto, quam à corporis debilitate per frigus humidum inducta?

Qui tranſpirationem ſuppreſſam, ut hydropis cauſam accuſant, provocare poſſunt ad *Schulzii* experimentum, qui canem, cui multo ſanguine detracto aquam largam ingeſſit, hydropicum cito factum vidit — an ob aquam ingeſtam, an ob ſanguinem prius detractum, cujus ſtimulum, ſubſtractum compenſare aqua non potuit? — Experimentum *Schulziano* ſimile *Haleſius* inſtituit, & hydropem poſt horam inſequutum vidit.

Provocare poſſunt ad *Monroum*, qui ruſticos multos, dum excalefacti aquas largas haurirent, hydropicos factos vidit. An non idem ob debilitatem peccantem, nam ſæpe per urinas ſat cito evacuantur aquæ largius hauſtæ?

3. Vitium locale.

A. Viſcerum obſtructio ſemper pro hydropis cauſa eſt habita & valet ſane hepar ſcirrhoſum comprimendo vaſa impedire circulum & hydropem inducere. — At poteſt obſtructio, & hydrops ab eadem aliqua cauſa progigni: nam interdum obſtructio poſt hydropem natum ſuccedit, quod bene tenendum, ne ſolvendis obſtructionibus unice intenti vires ægrotantis peſſumdemus.

B. Multi vaſorum lymphaticorum ductus thoracici rupturam incuſant ex eo, quod humor collectus interdum coloris ſit lactei. — At ex colore lacteo non mox ad chylum effuſum conjiciendum fuiſſet, nam, & lympha coagulabilis ſub inflammatione exſudans colorem lacteum refert: dein vaſa lymphatica in nullo cadavere

me-

melius injiciuntur, quam in hydropico. — Rumpi nihilominus possunt, nam rupta habentur.

Qui vasorum lymphaticorum rupturam accusant, ad illos provocant, qui solo anasarca laborantes interdum intra 24 horas asciten maximum ostendunt. — An ascites hic nasci debuit ex vasis lymphatici ruptura? an nasci non potuit ex cellulis visceris cujusdam ruptis? nam in anasarca cutaneo interdum, & hepatis membrana externa aquis turget. Sed & illa, quam *Hewsonius* proposuit, difficultatem obstare videtur. Nam si omnis hydrops ex vasis lymphatici ruptura esset, aquæ hydropicæ characterem lymphæ ostendere debent, at raro coagulantur in aëre, exceptis aquis ovariorum atque hinc inde asciticorum, cum tamen liquor ex vase lymphatico læso externo coagulari sit visus *Hewsonio*, atque *Monroo*.

C. A defectu bilis hydropem derivarunt alii, quibus *Hænius rationis medendi Tomo II.* contrarius est. — Bilis ob morbum quemdam deficit, qui inducere hydropem simul potest. An forte oritur, quod bile deficiente stimulus quidem deficiat collectionem aquarum impediens.

Prognosis.

Hydrops morbum constituit gravissimum, multis lethalem.

Qui cum viscerum obstructione majori incedit, fere lethalis.

Item qui cum tabe notabili incedit.

Qui morbo diuturno, scorbuto &c. accedit fere lethalis, ob virium defectum.

Qui post largas hœmorrhagias nascitur sæpe lethalis, quod stimulus ad sanitatem requisitus deficit, non facile resarciendus.

Qui largas evacuationes non sanguineas v. g. diarrhœam, dyssenteriam, suppurationem profusam sequitur, pessimus.

Maculæ velut scorbuticæ pessimæ.

Diarrhœa hydropi superveniens pessima.

Qui febre lenta stipatur, difficillime sanatur, præsertim ubi calor urens, sitis multa, cutis sicca, urina pauca, prunei coloris est.

Qui cito enascitur, malus est, quia subita distentione, & pressione partium functio illarum læditur, & suffocatio urget.

Oedema pedum erysipelaceum in gangrænam aut ulcera maligna facile transit; ex intestinorum inflammatione plurimi moriuntur ascitici, doloribus excruciati atrocibus, attactus plane impatientibus.

Qui post febres intermittentes oritur, facilius fere sanatur, quam aliunde natus: juxta *Hippocratem* maniam hydrops solvit, quod nemo alius hactenus observavit.

Locus quoque, ubi aquæ hærent collectæ, differre prognosin facit; rarius sanatur hydrops cerebri, & thoracis, quam anasarca, & ascites. Facile hydrops, & diabetes junguntur, aut alternant, an idem uterque morbus est? Juvaret inquirere in aquas hydropicorum, an ut urinæ diabeticorum materiam saccharinam contineant.

Hydropici vix non semper bene sperant, cum hypochondriaci, & hystericæ minus periculose affectæ, ubique desperent.

Interdum ubi aquæ evacuatæ videntur, subito moriuntur hydropici, atque in cadaveribus modo obstructiones, modo polypi sunt inventi. Contingit id sæpius post subitam, atque spontaneam aquarum evacuationem, præsertim dum cutis pendula, atque flaccida hæret. Interdum hydrops sponte dissipatur, vel unica paracentesi sola aufertur, vel partes tumentes casu læsæ aquas dimittunt cum sanitate insequente; per vomitum, diarrhœam largam aquosam, per salivationem evacuatæ cum salute habentur.

Cura:

Tribus secundum *Monroum* consistit indicationibus, ut causa tollatur, ut aquæ evacuentur, ut nova

nova earum collectio praecaveatur; sed maximi interest distinquere, an locale sit malum, an totius systematis vitio natum, & hoc si fuerit, an indolis sthenicae, vel asthenicae. Quare ad causas speciales, & aegri constitutionem praegressam respiciendum.

Si jam ex causa locali hydrops fuerit, ad indolem illius erit respiciendum, quae si talis fuerit, ut auferri queat, ea ablata interdum hydrops sponte sanatur. Sic oedema crurum ab utero gravido excitatum disparet partu absoluto; oedema brachii a luxatione natum cessat, ubi os brachii reponitur; oedema pedum a morbis gravibus diuturnis residuum redeuntibus sensim viribus disparet.

Sthenicus si fuerit, apparatus antiphlogisticus convenit, cum ipsa venae sectione in malo graviori. Hydropem sthenicum habet *Fridericus Hoffmannus*, egregius *Richard de Hautesierk* Tomo II. ubi etiam exempla hydropis a causa venerea, scrophulosa occurrunt. *Hippocrates* quoque sanguinem in hydrope mittendum jubet sub magna spirandi difficultate, tempore verno, in flore aetatis. Juxta *Fortys* hydrops circa annum 44 & 50 enatus saepe methodo debilitante sanandus est. Vide *Lawrence* in Sammlung auserlesener Abhandlungen, Band XI. Stück 3.

In Asthenico, praeter diaetam convenientem, & frictiones talia adhibenda medicamenta, quae debilitati directae, aut indirectae conveniunt.

Victus sit nutriens, sed facilis subactionis, simulque diureticus, ex radice dauci, asparagi, raparum, ex herba cichorei, endiviae, lupuli jusculo carnium incoctis, tum ex carne assata, succo limoniorum condito, quae plerisque grata sunt. Ast apud debiliores juniorum animalium carnes vitandae, utpote magis viscidae, atque difficilius hinc subigendae. Potum fere omnem hydropicis denegandum esse docuerunt *Monrous*, aliique, et certe hydropis hac methodo sanati exempla habentur

apud

apud *Meadium*, *Schenkium*, *Rivierum*, *Marcellum*, *Donatum*.

Aſt, qui conſideraverit, hydropicos ſiti interdum inſigni vexari, febre laborare lenta urente, crudele putabit potum negare: qui conſiderabit, nullam fere diureticorum actionem eſſe, potu ſi deſtituantur, nam parum bibentes urinas excernunt acriores, tum ſani, tum ægrotantes, potum hydropicis neceſſario concedendum arbitrabitur.

Milmannus potus neceſſitatem demonſtrat ex *Hippocrate*, qui præprimis conceſſit, ubi medicamenta exhibuit. Potus neceſſitatem ſtatuerunt *Baker* & del *Papa*.

Frank, ubicunque ſitis, & febris adeſt, potum acidulum concedit, ſed modicis hauſtibus ingerendum, ne ventriculus in aſcite potiſſimum obruatur. Talis potus obtinetur, dum cremoris tartari Unc. β. ſolvitur in decocti hordei libr. ij. addito limoniorum acido, & ſaccharo. Cremor tartari, & ſitim fallit, & in renes agit: vide *Menghinium in actorum Bononienſium* Tomo IV. Concedi, & vinum acidulum dilutum poteſt.

Angli potui deſcripto ſpiritus vini unc. j. — jj. addere ſolent. At noſtrates ſpiritum vini minus amant: quemadmodum tantas remediorum doſes, quantas Angli præſcribere ſolent, rarius perferunt.

Frictiones oleoſæ temporibus antiquiſſimis in œdemate, & anaſarca uſitatæ per *Oliverium Bath* ſunt reſuſcitatæ, quem ſecuti ſunt *Stœrk*, & *Caſimir Medicus*; fructum nullum viderunt *Frank* & *Monro*: quidam hydropem ſolo oleo non ſanandum ſanavit, ubi alcali volatile eidem addidiſſet.

Aſt ubi cutis partis œdematoſæ multum tenſa eſt, frictio vix inſtituenda, ne ob majorem tunc cutis ſenſilitatem eryſipelas accedat, melius fere mane inſtituitur, quia minor mane tenſio eſt.

In œdemate ex debilitate locali interdum admiſſi ſolis radii, balnea arenarum profuere — an, & balnea cinerum tepidorum?

In œdemate a debilitate partiali aut ſub convaleſcentia nato, juxta *Thedenium* faſciæ proſunt, ſed applicandæ ſunt mane, & aliquantum laxius, ut etiam veſperi, dum auctum œdema habetur, ſine moleſtia gerantur: applicandæ incipiendo ab extremitate partis, & ad ſuperiora progrediendo. Huc, & tibialia — Schnürſtrümpfe pertinent, quæ id plerumque incommodi habent, quod preſſionem inæqualem efficiant.

In œdemate ex totius ſyſtematis vitio nato gravia interdum mala faſciis ſunt inducta, aquis ad cerebrum, thoracem delatis.

Medicamenta accomodanda ſunt debilitati tum directæ tum indirectæ. In directa incipiendum a minoribus ſtimulis, ab amariuſculis (in hydrope chloroticarum ſæpe ab acido *Halleri*) ex abſynthio, ligno quaſſiæ, trifolio fibrino, gentiana paratis: poſt amaricantia ad diuretica tranſimus, quæ illis acriora ſunt.

Olim contra hydropem ad roborandam fibram debilem, laxam, propoſita ſunt balnea frigida, tum ſimplicia, tum adſtringentibus maritata. — At quomodo juvaſſe poſſunt, cum frigus debilitet, & a frigida hydrops ſæpe nascatur? — Effectum bonum a balneis frigidis *Frank* vidit in ægrotante Spirenſi 30 annorum robuſto, qui olim vomica pulmonum laborare eſt viſus, integre reſtituto. Poſt annos duos a vomica ſanata in anaſarca incidit diuturnum, a quo intra 6 ſeptimanas liberatur. Relapſus poſt duos menſes eodem fere ſpatio reſtituitur. Brevi tempore iterum hydropicus factus *Cagliostro* ſe credit, qui extracti Saturni Goulardi libr. j. exhibet, ut balneo frigido addat ſæpius, cum eadem extracti doſi repetendo, atque reſtituitur.

An ſthenicus hydrops hic fuit? — Poſt biennium ex peripneumonia obit, an cura hydropis prægreſſa accuſanda, vix videtur; an pulmo antiqua labe affectus, an vitium quoddam novum commiſſum?

Interdum ſcopo roborante ad corticis decoctum deveniemus, præſertim in hydrope poſt ſe-

febres intermittentes nato, qui tunc diuretici vices agit: interdum infusum amaricans cum oxymelis squillitici unc. j. rem absolvit. Non raro ipsa martialia profuerunt, sed lente in eorem usu incedendum.

Ceterum in hydrope sanando multum interest in causas speciales inquirere. Si tinea &c. repressa hydrocephalum fecerit, juvat semivesicans capiti raso admovere, ut secretio morbosa restituatur.

Si Obstructio hydropis causa videatur, illius resolutio per extracta amaricantia graminis, taraxaci &c. tentanda. Si vero obstructio coincidens tantum cum hydrope fuerit, atque cum eo ab aliqua eadem causa nata, aut si resolutio longiori tempore non successerit, resolventibus, & eccoproticis tempus terendum non est, sed hydropi alia ratione obviam eundum.

Si hydropis causa in lue venerea fuerit, hæc ipsa curanda per mercurialia, cum debilitatem sui generis lues inducat, non nisi mercurio superandam.

Si scorbutus in causa fuerit, is ipse persanandus, atque eadem fere remedia utrique malo conveniunt.

At præcavendum hydropem morbos graves insequentem, juvat diligentem convalescentiæ curam habere.

Evacuatio aquarum, ubi priori indicationi satisfactum est, sponte sæpe obtinetur; nam quod causæ hydropis est oppositum. diuretici vices agit; sic in sthenico venæ sectio urinas movet, in asthenico vero roborantia, viribus enim auctis etiam vasa lymphatica potentius resorbent.

Interdum tamen, ubi ablata causa videtur, aquæ non evacuantur. Fit hoc, si cava, in quibus aquæ stagnant, nimis distentuntur, sic enim vasa resorbentia comprimuntur, ut resorbere vix valeant. Quin ipsi renes, præsertim hydropici si ipsi fuerint, ita interdum comprimuntur, ut officio fungi vix queant. Hinc evacuatio aquarum iis tentanda viis, quibus aquas hydropicorum sponte

eva-

evacuatas esse novimus, & quidem per emetica, quæ laudata sunt ab *Avicenna*, *Boerhaavio*, *Pringlio*, *Sagar:* præsertim in hydrope post febres intermittentes nato. At rara sunt exempla hydropis per vomitum sanati: an forte, ubi conduxit, in ventriculi, aut intestinorum cavo, propriis in saccis conclusæ hæserunt aquæ? — certe viscera in hydrope debiliora concussionem, quæ sub vomitu obtinet, validum vix ferre posse videntur. Hinc ab emeticis *Monrous* timet, respuit illa *Quarinus*, nunquam *Frank* usus est.

Aliter cogitandum est de emeticis refracta dosi exhibitis, ubi stimulando omnes excretiones adjuvant: Vide Sammlung praktischer Abhandlungen, Band I. Stück 2.

Per purgantia, & quidem drastica, gummi guttam, scammonium, elaterium, radicem bryoniæ. Minus quidem violenter hæc agunt, quam emetica, & sanati per purgantia hydropes habentur: At si non agunt, aut si nimis agunt, hydropem exasperant, tormina insignia, & hypercatharsis vix sistenda, tristes interdum drasticorum effectus sunt.

Quando in hydrope ex debilitate purgantia indicantur? — Plerumque non indicantur: prodesse tamen possunt, ubi minora sunt incommoda a debilitate per purgantia inducta, quam fuerunt illa, quæ ab aquis collectis excitabantur.

Saunders exhibuit Elaterii gr. jjj. bis, ter in septimana, unde sæpe vomitus, & tormina nata, vesperi pillulam anodynam ingessit. *Vogel* exhibet:

℞. Gummi guttæ gr. jjj.
Tartari tartarisati gr j.

Interpolatis vel & junctis Merc. dulc. gr. vj.

Milmanus laudat:

℞. Pulv. Jalappæ dr. β.
Calomelas gr. vjj.

Ingeratur pulvis talis diebus alternis — sed usus simul est aceto squillitico; an fors huic potissimum effectus salutaris adscribendus? Drastica cum

din-

diureticis quoque junguntur, ut in pillulis *Barkeri*, quas ſimpliciores *Milmanus* ita præſcribit.

℞. Extr. helleb. nigri.
Myrrhæ ſolutæ aa. Unc. j.
Pulv. cardui bened. ſcrup. x.

Fiat maſſa pillularis aëre ſiccanda, formentur inde pillulæ grj. ſummantur horis tribus continuis numero X. Ab initio alvum laxare, dein urinas promovere dicuntur. — Fructum inde *Frank* nunquam habuit.

Per Diuretica, quæ reliquis hydragogis fere præſtant, quia vires minus dejiciunt, & hydropem cum conſtantia certius ſanant; nam aquæ per purgantia evacuatæ cito ſæpe rurſus colliguntur cum effectu lethali.

Monrous ad diureticorum actionem promovendam lumbos fovere juſſit, reliquo corpore levius tecto? In hydrope cum debilitate directa a minore diureticorum doſi incipiendum eſt.

Inter diuretica mitiora pertinent millepedes, quorum ſuccus nauſeoſus paucum alcali continet, & ex juſculo ad unc. ß exhiberi poteſt. Ad meliora pertinent ſalia, tum alcalina, tum neutra, quæ in renes magis agunt, urinæque ſecretionem promovent. At non danda ea doſi, ut per alvum ruant. Uſus frequentioris ſunt nitrum, tartarus vitriolatus, & cremor tartari ad dr. ß—j. omni trihorio.

Fridericus Hoffmanus exhibuit:

℞. Pulv. ſquillæ marinæ gr. jjj.
Rad. vincetoxici gr. xii—xvi?
Nitri puri gr. vj. cap. ter talem pulverem.

Pulverem hunc cum fructu *Frank* adhibuit, at gr. j. ſcillæ admiſcuit.

Cineres vegetabiles, ſpiritus geniſtæ, fabarum &c. vino ſaturati, profuere juxta *Monroum*.

Sydenham ſic præſcripſit:

℞. Ciner. geniſtæ libr. j.
Herb. abſynthii pug. jj.
infunde frigide in vini rhenani libr. iv per 24 horas, filtratum exhibe mane & veſperi ad unc. iv.

Alia formula bona eſt:

℞. Ciner. geniſtæ libr. j.
Limit. martis unc. iv.
Sem. ſynapi unc. jj. infunde
Cerevisiæ novæ libr. jj ad iv.

poſt 24 horas cola, & exhibe ter, quater lib. β.

In cinerum libr. j. fere unc. j. ſalis alcalini continetur, hinc, & ſimilis ſalis alcalini quantitas ſaturari vino poteſt, nec perfecta ſaturatione opus eſt, quia etiam alcalia vim diureticam poſſident. *Frank* tamen pura alcalia vix exhibet, ob ſitim, quam magnam excitant.

Iridis radicem paluſtris ſeu germanæ proficuam teſtatur *Riverius.*

℞. Pulv. Rad. irid. paluſt. unc. jjj.
Mannæ calabrinæ unc. jj. miſ.

& ſenſim exhibe

℞. Succi irid. paluſt.
Syr. de rhamno cathartico aa. dr. j. m.

detur omni bihorio doſis talis.

Ramſay eandem Syrupi doſin cum ſcr. iv ſucci *Iridis* exhibuit. — Fructum ab *iride Frank* non percepit. Hactenus enumeratis ſquilla præcedit, tum alba, tum rubra; hæc efficacior juxta *Ludwigium.*

Forma exhibetur varia, nec ad hoc, ut agat nauſea, ut vult *Swietenius*, opus eſſe putant *Frank* & *Quarin*; id quod & de digitali purpurea valet.

Datur vel recens, vel ſiccata, vel extractum illius aquoſum, vel vinum medicatum. *Störk* ſic exhibet:

℞. Scillæ marinæ recentis dr. vi
Pulv. cort. cinam.
— — Winteranæ aa. unc. β.
— radic. hellebori dr. j. infunde in
vini boni auſtriaci libr. jβ.

Summatur omni trihorio cochlear j—jj.

Validum medicamentum eſt, quod difficulter plerique aſſumunt, nec fructum inde *Frank* habuit.— *Quarin* ſic præſcribit:

℞.

℞. Scill. marin. recent. unc. ß.
Cort. cinam. unc. j. infunde in
vini auſtriaci libr. jj. & hoc multi reſpuunt.

Frank ſæpe utitur ſequenti formula:

℞. Gummi ammon. dr. j—jj. ſolve in
liquor. terræfoliat. tartari ſ. q. adde
Aquæ Juniperi unc. vi.
Pulpæ ſcillæ recent. ſcrup. j—dr. ß.
Syr. cort. aurantior. vel ononidis unc. j.
Summantur omni bihorio cochlearia jj.

Si, quod interdum facit, per alvum ruat, liquoris anodyni mineralis Hoffmani dr. ß—j addit. — Senſibilioribus, debilioribus, qui nimis afficiuntur a ſcilla recenti, ſpiritum Mindereri cum oxymelle ſquillitico *Swieten* exhibuit.

Frank exhibet:

℞. Decocti cort. peruv. unc. x.
Oxymel ſquillitici unc. j.

Baldingerus laudat pillulas Edinburgenſes.

℞. Gummi ammoniaci
Pulp. ſquillæ recentis
Cardam. minoris aa. dr. j. fiant pillul. gr. jj.
Summantur 5—9 mane. Interdum & totidem ſub veſperam.

Werlhof uſus eſt:

℞. Salis tartari dr. jj. ſaturatis
Aceti ſcillit. ſ. q. adde
Aquæ juniperi unc. vi.
Syrop. ononidis unc. j.
Summantur omni bihorio cochlearia duo.

Remedium mite eſt; at cum acetum cum alcali uniatur, ſquilla liberatur, ut adeo idem videatur, ſi, & ſal medium & ſquilla in ſubſtantia exhiberentur; porro ſcillæ doſis in hac formula vix ſcitur, cum pro varia aceti virtute modo major, modo minor illius quantitas ad alcali ſaturandum requiratur.

Extractum ſcillæ aquoſum adulto datur ad gr. j. cum eleoſacchari ſcrup. j. omni trihorio. Eadem doſi ſcilla ſiccata datur, de cujus tamen effica-

cacia minus certi ſumus, nam ſi ſiccata nimis fuerit, iners eſt, ſi juſto minus, corrumpitur.

Oxymel colchici autumnalis ter de die ad cochlear j. datum, celebrarunt *Henricus Collin* & *Vogel*, interdum *Frank* profuit, nunc fere eviluit; ſicut Extractum lactucæ viroſæ ad ſcrup. jj—dr. jj. in aqua cum ſyrupo quodam exhibitum.

Inter potiſſima antihydropica herba digitalis purpurea pertinet, quam ſi non præferendam, certe cum ſcilla æquiparandam *Frank* putat; minus tamen ipſi Viennæ quam Ticini ſatisfecit.

Withering ex vetula Londinenſi illam didicit & doſi maxima præſcripſit; vide Sammlung praktiſcher Abhandlungen Band XI.

℞. Fol. recent. digit. purpur. unc. jjj. coque cum aquæ fontanæ libr. jß.
Colaturæ unc. ix. adde
Aquæ Juniperi
Syrup. Aurantiorum aa. unc. jß.
Summantur omni quadrihorio cochlearia jj. donec vomitus & alvus reſpondeant, atque urinæ augeantur.

Frank herbam hanc ſiccam, & doſi longe minori præſcribit:

℞. Herb. digit. purp. ſiccæ ſcrup. j. coque in ſ. q.
Aquæ font. colat. libr j. adde
Aqua cinam. unc. ß.
Syrup. ononidis unc. j.
Summantur omni bihorio cochlearia jj.

Ubicunque vertigo, dolor capitis ſupra orbitas, flocci obvolitantes comparent, doſis minuenda.

℞. Pulv. herb. dig. purp. gr. j—jß—jj.
Sach. alb. ſcrup. j. m. fiat pulvis, dentur tales tres in die.

Digitalem luteam *Gobbi* proficuam vidit; ſed doſi quadrupla, quindupla.

Digitalis epiglottis laudatur a *Brera*.

Digitalis item nana vim diureticam exercuiſſe viſa eſt.

Se-

Semina ſynapi non contuſa, mane & veſperi ad cochlear j. aſſumta, profuiſſe vidit *Mead.*

Anglus quidam laudat Allium.

℞. Allii recentis dr. jjj.
Saponis veneti, gummi amon. aa. dr. j. fiant pil. gr. jjj. capiantur mane & veſperi v—vii.

Infuſum baccarum Juniperi, tum aquoſum, tum vinoſum egregium ſe præſtitit in hydrope leviore. At non ſit nimis ſaturatum, ne juſto magis ſtimulet.

Rhob Juniperi, ſambucci, ebuli, in hydrope a perfrigerio ſe potiſſimum commendarunt.

Radicis ononidis ſpinoſæ decocto, quod ad mitiora diuretica pertinet, *Joſeph Frank* hydropes quosdam ſanavit.

Ipſas cantharides ſcopo diuretico exhibuit *Lieutaudius* a ½ ad gr. j. bis, terve de die. At chantaridibus vim non tam urinas promoventem, ſed retinentem *Frank* putat, conſentientemque habet *Piquerum*; nec ſane mirum, cum vel ab externo cantharidum uſu, interdum urinæ iminuantur.

Meloën proſcarabæum cum rob ſambucci aliquando cum fructu *Quarin* exhibuit, ſerius non item; nec mirum, nam cantharidibus fere convenit.

Cineres nicotianæ cum aqua in lixivii ſpeciem infuſi olim exhibebantur; hodierni quidam folia recentiora exhibent. Vide *Fowler* in Sammlung praktiſcher Abhandlungen Band XI. Stück 2. *Frank* nunquam uſus eſt remedio hoc nauſeoſo violento.

Solani nigri folia ad dr. ß—j infuſa ſcopo diuretico *Cyrillus* laudat. — Fructum inde *Frank* non vidit.

Per ſudores quoque hydropis cura interdum ſucceſſit. Jam *Celſus* narrat, hydropicos ſcopo ſudorifero clibano eſſe immiſſos, quam methodum, ut videtur, violentam, & hodie quidam in Germania ruſtici ſequuntur. Partes quidem œdematoſæ arena calida cum fructu foventur. Oedema pe-

dum

dum ex perſpiratione, & podagra per frigus admiſſum retrogreſſis ſanatum habetur balneo vaporis ſpirituoſi.

Cotunnius, quod nimium ſane videtur, omnem hydropem indolis rheumaticæ putat. Vidit quidem *Frank* quodam anno in Inſubria, dum multa rheumata, multique hydropes ſimul graſſarentur; hydropes methodo anthartritica ſanatos, ſed aliis temporibus non item.

Scopo diaphoretico præcipue in anaſarca, *Monrous* adhibuit pulverem *Doweri* ad gr. j—jj. 3—4 de die & vinum antimonii *Huxhami* cum infuſo ſambucci. Idem cum fructu cochleatim exhibuit.

℞. Aquæ menthæ unc. viii.
Olei tart. per deliq. dr. j.
Laud. liquid. Sydenh. dr. ß.

Mercurium ad ſanandum hydropem laudat *Lentinus*, atque Ticini quidam hydropes non febriles curati ſunt a *Ratſchy* per mercurialia aliis remediis non curandi. Dolendum ſane optima diuretica interdum non agere, ita, ut urina pauca, rubella, acris, ſub eorum uſu ſecedat. Hinc ſæpe ſingula tentanda, nam interdum apud hunc ægrotantem hoc diureticum efficax eſt, aliud apud alium. Sæpe vero doſi nimia peccatur, ita, ut qui hydrops magnis cujusdam doſibus non curabatur, curaretur ſæpe doſibus ejusdem remedii longe minoribus, quid quod *Frank* hydropem remedio Stœrkiano eadem doſi exhibito brevi ſanaret, quem ante 9 menſes hocce remedio, nec omnibus aliis ne imminuere quidem valuit. — Simile quid in lue venerea contigit, quæ interdum certo quodam mercurii præparato ſanatur, aliis non ſananda, aut ejusdem præparati doſi minori. — Adeoque tenendum, in hydrope tractando patientia opus eſſe, remque non eſſe cogendam per medicamina, quæ ſi non proſint, nocere debent.

Minime vero properanter agendum, ubi ſubeſſe graviditas poteſt. Cavendum quoque, ne hydropicam pro gravida declaremus, aut contra; ſcien-

ſciendum item, ſtatum utrumque aliquando junctum incedere. — Vidit *Frank* principem fæminam ea in ætate conſtitutam, ubi conceptio rarior eſſe ſolet, abdomine ſubito tumidam pro gravida habitam, quæ, quo tempore partum edere debuiſſet, aquas cum ſanitate inſequente evacuavit ex utero. Eadem fæmina poſt annum denuo intumeſcens, atque aſcitica habita, filium poſt aliquot menſes enixa fuit. — Piſtoris uxor 50 fere annorum, octo prolium mater, phthiſica ſimul & hydropica, gravidam ſe putavit, quia hydatis grandior ex pedunculo ſuſpenſa fœtus motum ita emulabatur, ut medicus clarus deciperetur. — Aliæ fæminæ aſciticæ, quæ omne cum viris commercium negavit, paracenteſin inſtituit; evacuatis aliquot aquarum menſuris, motus percipitur infantis, quem ſerius enixa eſt ſanum. — *Swietenius* quoque tria habet exempla paracenteſis absque uteri læſione in gravidis factæ. — Periculoſa tamen hæc operatio ſub gravididate ſemper manet.

In tanto remediorum diureticorum probatorum numero unica experientia non ſufficit, ut remedium quodam dubium in uſum trahamus, præſertim ubi cunctari non licet, eo minus cum aquarum evacuatio, utut promovenda, cum ægrotantes inde leventur, in hydrope ſanando princeps nequaquam ſit indicatio; nam niſi cauſa ſublata fuerit, aquæ quas evacuant, palliando tantum juvant.

Si diureticis &c. educi aquæ non poſſunt, ad auxilium chirurgicum paracenteſin deveniendum, de cujus indicatione & contraindicatione ſermo erit apud aſciten, ſicut de ſcarificatione apud anaſarca.

Quacunque vero ratione aquæ educuntur, ſi ſubito id fit, & absque cavi aquas continentis compreſſione, lypothimia & mors interdum accidit, ut ſæpius factum, antequam *Monrous* faſciam ſub paracenteſi applicandam propoſuiſſet. — Ratio, quæ phænomenon hoc explicat, e ſanguine in par-

partes debilitatas copiose irruente, capiteque inani sic relicto, *Frank* non arridet.

Nova aquarum collectio impeditur satisfaciendo indicationi primæ, quæ causas aufert. Hinc post sanatum hydropem sthenicum pergendum in debilitantibus, in quantum vires abundant, adeoque diæta sit moderata, carnis vinique expers.

Sub convalescentia vero ex hydrope asthenico methodus roborans continuanda, exhibenda amara, decoctum corticis peruviani, martialia, exercitia moderata, diæta nutriens, vinique quantum pro viribus sufficit.

Opportunum quoque est diuretica cum aliis stimulantibus jungere, v. g. decoctum corticis cum oxymelle squillitico.

Genus I. Hydrops anasarca, hydrops intercus, intercutaneus, subcutaneus.

Cum cutis, cujus functiones variæ sunt, injuriis aëris sæpissime exponatur, sæpius fere, quam aliæ partes, hydropica redditur, ita, ut anasarca inter hydropis species frequentiores pertineat.

Anasarca ex vi nominis adest, ubicunque aquæ in cellulari subcutanea hærent, plerumque tamen anasarcæ nomen universæ superficiei intumescentiæ aquosæ tribuitur. Facilius colliguntur aquæ in partibus illis cutaneis, quæ — ut palpebræ — laxiores sunt, & in quibus, ut in pedibus, difficilior est circulatio.

Veteribus ut *Aræteo* anasarca dicebatur, Leucophlegmatica, ubi tumor cutis pallidus erat, mollis, non calens, impressionem retinens, nam pituitam stagnantem incusarunt.

Frank differentiam inter anasarca & Leucophlegmatiam vix admittit, nam pituitam, quod veteres dixerunt, humorem aquosum sistit, sed pastaccum corpus tum apparet, cum aquæ copia mi-

minori collectæ hærent, nam majori si hæserint, cutis magis tensa impressionem factam vix retinet.

Non modo cellularis subcutanea anasarca tentatur, sed & membrana viscera includens, quorum cellularis cum externa communicat, unde anasarca internum viscerale, hepatis, pulmonum, ubi rupta cellula aquæ in cavum vicinum ruunt, hydrothoracem ascitenve constituunt, ex vasorum lymphaticorum ruptura male derivatum.

Ad anasarca pertinet œdema, quod cum simpliciter tumorem dicat, an non anasarca melius diceretur, addito nomine partis illius, quam occupat? quod veteribus fuit tumor partis alicujus albus, frigidus, elasticus (se restituens pressione ablata) ex sero in cellulari collecto natus. At si cum calore junctus tumor incideret, œdema dixerunt erysipelatosum vel erysipelas œdematosum, & ubi profundius in cutem penetraret inflammatio, œdema phlegmonosum.

Frank œdema definit: tumorem elasticum, ex aquis in cellulosa hærentibus natum, maxime in pedibus procerorum, gravidarum, convalescentium. Sed & alibi contingit sub hydrope cavitatis alicujus, v. g. in hydrope pectoris œdema nascitur circa latissimum dorsi; nam aquis in thorace hærentibus difficilior redditur respiratio, & superiori tantum pulmonum parte absolvenda, hinc comprimuntur venæ subsclaviæ, regressusque humorum e brachio &c. impeditur. Contingit item in superficie partis illius, ubi profunda hæret suppuratio, v. g. in crure, quia tumore suppurato circulatio per vasa lymphatica difficilior redditur.

Cum tela cellularis ubique communicet, non mirum aquas pondere suo ad inferiora delabi, unde stantibus pedes magis tument quam decumbentibus; unde & scrotum anasarca, seu œdemate sæpe tentatur.

Ana-

Anaſarca plerumque, nec tamen ſemper ab œdemate pedum incipit, quemadmodum in aſcite pedes non ſemper tument.

Anaſarca dividitur ab origine in primarium, & quod frequentius, in ſymtomaticum

A decurſu in acutum, ut in ſcarlatina, & quod frequentius, in chronicum.

A cauſa in ſthenicum, poſt retentas excretiones ſanguineas in robuſtis natum.

Rarus morbus eſt, ſæpius tamen anaſarca indolis ſthenicæ eſt, quam aliæ hydropis ſpecies. Sæpiſſime vero aſthenicum eſt, œdema interdum a vitio locali pendet.

Symptomata, ubi, ſive in œdemate ſeu in anaſarca aquæ multæ ſub cute hærent, cutis tenſa ſplendet, pellucet, dolet; vaſis ſubcutaneis compreſſis circulatio difficilior redditur, ſenſatio ſenſim deletur, ita, ut interdum pedes œdematoſi ad ignem absque ſenſatione comburantur, (tali modo aquas evacuatas & hydropem cum conſtantia ſanatum *Boerhavius* vidit) pulſus ſæpe parvus apparet, vix percipiendus, quia tumor partis arteriam tactui ſubducit, ut ſæpe in variolis contingit, ita ut ex ſolo hoc pulſu ad anaſarcæ indolem non ſit concludendum.

Cutis inperſpirabilis ſicca, interdum tamen ex poris cutaneis quaſi apertis aquæ multæ propullulant, vix tamen levantes; interdum ab humore collecto epidermis velut ab admoto veſicante in veſicam elevatur, quæ rupta humorem contentum absque levamine plerumque dimittit; imo ſæpe eryſipelas gangrænaque acceſſiſſe viſa eſt, parte præſertim frigori expoſita, aut non ſatis ſicca conſervata. Sæpe febris abeſt, ubi cutis, circulatione per aquas collectas impedita, fere friget; ubi vero febris accedit, cutis calet, eryſipelate ſæpe corripitur, dolentiſſimo, facile liveſcente, gangræneſcente.

Oedema pedum ſenſim ad genua, femora, ſcrotum, præputiumque adſcendit, mictumque difficilem

lem reddit. In fæminis, præsertim sub fine graviditatis, genitalia externa mirum sæpe tument, ita ut sine fomentis siccis applicatis, aut scarificatione instituta, partus absolvi nequeat.

Causæ sunt cuivis hydropi communes, retentio mensium, hæmorrhoidum &c. præsertim vero illa, quæ, ut frigus, in cutem potissimum agunt.

Prognosis;

Anasarca aliis morbis sonticis superveniens pessimum, v. g. phthisi, tabi cum febre lenta, scirrho uteri, glandularum inquinalium, magnæ sanguinis jacturæ. Dein & inde periculum, quod aquæ subcutaneæ sede sua relicta partes nobiliores petere possint.

Cura pro causis & indole morbi dirigenda est.

In anasarca sthenico methodo debilitante utendum, diæta tenui, evacuationibus etiam sanguineis per hirudines, venæ sectionem. Pro anasarca sthenico loquitur ægrotans Hildani robustus, qui ab anasarca liberatus est, postquam sanguinis libras quatuor epistaxi amisisset. Venæ sectionem in anasarca cum spirandi difficultate juncto *Monrous* commendat. Venæ sectionem *Paulus Aegineta* consulit, præsertim si anasarca a mensium, hæmorrhoidum retentione ortum est.

At sola illorum retentio habitum sthenicum non indicat, possunt enim, & in debilibus retineri. — Hinc in retentionis causam prius inquirendum.

Recte monuit *Lieutaudius*: inducias quidem fert venæ sectio difficultati spirandi, at post ea (ni sthenicum malum fuerit) morbus exasperatur.

In asthenico methodus excitans, roborans, debilitati directæ vel indirectæ accommodata, conducit.

Bonum est, stimulos potissimum applicare parti, quæ maxime est affecta; hinc in œdemate & anasarca laudantur frictiones per pannos laneos fu-

mo aromatico myrrhæ, ſtoracis, olibani imbutos, a quibusdam frictiones ſpirituoſæ adhibentur.

Frictiones, ne cum impetu fiant, aut ubi partes nimium tenſæ ſunt; hinc eas mane inſtituere præſtat, ne eryſipelas & gangræna excitentur.

Quidam vapores aromaticos adhibent, tum ſiccos, tum humidos.

In œdemate pedum faſcias quidam applicant, quæ proſunt, ſi ſola pedum debilitas peccaverit. — At cautus ſit faſciarum uſus, & modica ab initio ſtrictura, ſenſim augenda, ſemperque ſimul reſpiciendum ad diaphoreſin & urinarum excretionem. Nam faſciarum uſus in anaſarca a debilitate univerſali ſuſpectus eſt, aquæ enim ad pedes deponi impeditæ facile viſcera nobilia petunt, atque hydrothoracem aut apoplexiam inducunt; exemplum *Frank* vidit in octogenario ſatis adhuc vegeto, & œdema pedum commode ferente, qui poſt admotas faſcias apoplecticus, intra paucas horas obiit.

Antiqui ſolis radiis vel clibano partes œdematoſas expoſuere, ut eos caloris ſtimulo roborarent. *Kæmpfius* folia ſicca herbarum impoſita laudat, quæ imponere multi ruſtici ſuo marte ſolent, quæque ſudores in parte affecta excitare dicuntur, œdema diſſipantes.

Cum viſæ ſint veſicæ ſponte natæ, quæ ruptæ cum ſanitate inſequuta aquas evacuarunt, quidam ipſi cuti tumidæ applicuerunt veſicantia. *Tozetti*, ubi nulla viſcerum corruptio fuit, cum fructu applicuit, præſertim in anaſarca poſt ſcarlatinam. *Rivierus* plura cum fructu applicata vidit; applicuit & *Monrous* in anaſarca, poſt febres acutas, intermittentes, affectiones rheumaticas. *Stollius rationis medendi* Tom. III. veſicantibus hydropes ſanavit, ad alia remedia rebelles. *Frank* quoque cum fructu adhibuit, ſed ſcopo tantum rubefaciente ob gangrænæ metum. Juvant ſtimulo tum univerſo ſyſtemati, præcipue vero cuti admoto, quare in malo ſthenico certe nocent.

At

At vero veſicantia ne applices homini jam debiliori, aut ubi cutis nimis tenſa, ideoque & nimis ſenſilis eſt, unde mox dolor, eryſipelas, gangræna. Veteres ipſam ope ferri candentis uſtionem adhibuerunt, qua vero cruſta enaſcitur, aquarum effluxum impediens, & ob ſtimuli magnitudinem gangræna facile inducitur.

Scarificationes in anaſarca quidam adhibent. *Celſus* ad 4 digitos ſupra malleolum internum eas fieri jubet. — At ne nimis magnæ inſtituantur, aut profundæ, ne gangræna accedat; dein ope lanceolæ potius fiant, quam machina ſcarificationi dicata, qua partes debiliores contuſæ eryſipelas & gangrænam facile contrahant, aut ob aquas cito nimis evacuatas alia poſt ſe trahunt incommoda. Quare *Bœhmerus in diſſertatione Gœttingæ* 1779 habita inciſionem unicam, eamque parvam ſuadet, conſentientesque *Meadium* habet atque *Monroum*. Sed & illud cavendum, ne ægroto nimis debili inciſiones facias, fere enim gangræna ſequitur. — Inciſioni *Frank* parum favet, quia triſtes effectus multos novit.

Gangræna in anaſarca undecunque nata, tractanda eſt ſtimulantibus. *Saunders* ſic fere proceſſit: Facta prius inciſione, ut aquæ evacuerentur, unquentum digeſtivum ex therebinthina & vitello ovi, aut oleo olivarum parato, applicuit, impoſuit fomentationes aromaticas & emplaſtrum de cumino. Adhiberi item pro fomento poteſt decoctum corticis cum aqua calcis, vel pulvis corticis inſpergi, qui & acrem exſudantem aquam abſorbet & partes defendit.

Interne ſatisfaciendum triplici indicationi, ablationi cauſæ, evacuationi aquarum & collectioni novæ impediendæ dicatæ. Quæ in cutem agunt ſtimulantia, in anaſarca quod ſub cute collectas aquas habet & a perfrigeratione ſæpe naſcitur, fere ſunt præferenda, v. g.

℞. Aquæ vel infusi sambucci unc. viii.
Spirit. Mindereri unc. j.
Vini Antim. Huxh. dr. j.
Syrup. e baccis samb. vel rob unc. j.
Signentur omni bihorio cochlearia jj.

Dari item potest pulvis *Doweri* omni bihorio ad gr. j—jj. Si diaphoreticis aquæ non evacuentur, ad lenia diuretica deveniendum.

Genus. II. Hydrocephalus.

Omnes capitis partes collectioni aquarum subjacent, tum externæ continentes, tum internæ contentæ.

Collectio aquarum in cellulosa capitis subcutanea mollis impressionem retinens, non fluctuans, oedema, vel anasarca capitis juxta *Frank* dicenda. Ubi aquæ intra galeam aponeuroticam musculorum occipitis, frontalium & pericranium, aut intra hoc ipsaque ossa cranii hærent, hydrocephalus externus adesse dicitur, cujus insigne exemplum habetur apud *Carol. Pisonem de morbis a colluvie serosa oriundis, sectione II. &z.*

Hydrocephalus externus *Cullenio* est capitis intumescentia mollis, inelastica cum hiantibus cranii suturis. —. At suturarum dehiscentia ad hydrocephalum externum necessaria non est, nec præsens aquas adesse sola probat; sæpe non hiant suturæ, ubi aquæ tamen adsunt, interdum vero tertio, quartove ætatis anno hiant, etsi hydrocephalus externus non adsit.

Callisen hydrocephalum externum dicit intumescentiam mollem, inelasticam ab humoribus aquosis collectis, sed ad inferiorem faciei partem non extensam, vix enim infra frontem descendit. *Frank* hydrocephalum externum definit collectionem morbosam aquarum, aut inter galeam aponeuroticam & pericranium, aut inter hoc ipsumque cranium; ultimum rarissimum, nam unicum habetur exemplum in *Swietenii commentariorum* tomo

mo IV. *Paulus* tamen *Aegineta* & *Aetius tetrabiblio II. &c.* noviſſe hunc morbum videntur.

Hydrocephalus externus modo omne caput occupat, modo partem illius. Poſt partum difficilem tumor aliquando ad bregma comparet, qui ad ovi magnitudinem augetur, compreſſusque fluctuat; aperiendus non eſt — apertura enim fere lethalis — ſed fovendus ſpiritu vini camphorato, ſacculis aromaticis, quibus poſt 6 ſeptimanas eum diſſipatum in filio *Frank* vidit.

Signa aquarum in hydrocephalo externo extra pericranium hœrentium juxta *Aetium* ſunt: tumor cuti concolor (albus) indolens, ad contactum cedens atque tranſiens ad aliam partem, ſi ſponte fiat, excolor eſt, ſi ex contuſioue natus, rubicundus, dolens, poſtea vero citra dolorem cuti concolor.

Signa aquarum inter pericranium atque cranium hærentium juxta eundem ſunt: tumor cuti concolor, attamen durior quam ſupra, magis tenſus, magisque dolens, preſſioni minus cedens. Si in ipſa cranii cavitate aquæ colliguntur, hydrocephalus internus adeſt, qui non in homine ſolum, ſed in bobus etiam ac vaccis, maxime vero in vitulis occurrit, in quibus operationem Angli inſtituunt. Vide Blumenbachs medizinische Bibliothek, Band I. Stück 4.

Hydrocephali interni pro varietate ſedis quatuor habentur ſpecies.

1. Colliguntur aquæ intra cranium & duram matrem — at rarius, quia firmiſſimus nexus intercedit; viſa tamen hæc ſpecies eſt in *Boneti ſepulchreti* tomo I. juncta cum hydrope cavitatum anteriorum & poſteriorum atque falcis.

2. Colliguntur inter duram matrem & arachnoideam; ſpeciem hanc cum hydrope ventriculorum cerebri junctam *Trew* vidit.

3. Colliguntur inter arachnoideam & piam matrem; vidit *Frank* in apoplecticis & maniacis; vidit *Trew*.

4. Inter piam matrem & ipſum cerebrum. — Hoc in loco aquas tum liberas, tum veſicis reconditas apud fœtum ſeptimeſtrem vidit *Blancardus*, vidit in apoplecticis *Swietenius*.

5. Colliguntur in ventriculis cerebri, quo in caſu hydrocephali nomen multi reprobant, atque hydropem ventriculorum cerebri malum dici volunt.

Hydropem ventriculorum cerebri non adeo differre *Frank* putat ab hydrocephalo interno, ut peculiari nomine ſit inſigniendus, licet ſymptomata varient pro varietate ſedis, quam aquæ tenent; ſi in ventriculis anterioribus hæſerint, ubi fere hærent, *Camperus* tamen etiam in ventriculo tertio vidit, preſſis thalamis nervorum opticorum viſus potiſſimum lædetur; ſi alibi hæſerint, alia quoque mala urgebunt.

Hydropem ventriculorum cerebri inſignem *Veſalius* primus accuratius deſcripſit; inſignem vide *Haller diſputationes practicas* — *Kalçhſchmied Viennæ* 1752 vidit, ubi caput maximum, cerebrum minimum fuit, thalami nervorum opticorum ad nil quaſi redacti, nervi optici filum referentes.

Frank cerebrum vidit ita extenuatum, ut lamellam quaſi chartaceam referret. — At magna aquarum copia in ventriculis hærente (inventæ autem in ventriculis cerebri puerorum 6—7 libræ) cerebri ſubſtantia penitus deſtruitur, ut dubium non ſit, quin fœtus, qui absque cerebro nati dicuntur, jam in utero materno hydropici fuerint, indeque cerebrum ſit deſtructum. Apud *Morgagnium* cerebrum non niſi veſicam ſiſtere videbatur aqua flava repletam. Aquas in ventriculis cerebri viderunt quoque *Stalpartus van der Wiel*, *Tulpius*, *Camperus*, & apud fœtum *Donatus*, *Monrous*. Hydatides in ventriculis cerebri refert *Hallerus in diſputationum volumine II.*

6. Colliguntur aquæ ſive libere fluctuantes, ſive hydatidibus incluſæ, in proceſſu falſiformi &c. Hydrops cavorum cerebri, uti viderunt

Za-

Zacutus Lusitanus & *Stalpartus van der Wiel*, aut in ipsa cerebri substantia.

An hydrops cerebralis dicendus?

Hydatides in cerebri substantia corticali vidit *Lancisius*, in plexu choroideo *Frank.* Caput quidem in hydrocephalo interno plerumque auctum est, interdum tamen, præsertim si collectio aquarum lente contingit, capitis augmentum deest. At tumor apud adultos raro comparet; in pueris tamen ossa ad suturas potissimum hiscunt, tumoremque interdum mollem, aquosum, a cerebri meningibus formatum emittunt, unde hydrocephalus interdum internus complicatus, qui cysticus dici potest, male vero hydromen hydrocele appellatur; nam herniæ nomen tumor tantum meretur, qui viscus quoddam continet; hinc si cerebrum in tali vesica contineatur, extra cranium protuberante, encephale hydrocele habetur.

Interdum cerebri membranæ distractæ & ruptæ contenta dimittunt; interdum hydatides ruptæ cerebrum inundant, unde tenella cerebri substantia, vel distractione attenuatur, vel compressione eliditur, cumque aquis miscentur, vide *Morgagni epistolam XII*,

Hydrops ventriculorum cerebri, in pueris quam adultis frequentior, gravis morbus cognitus *Hippocrati* fuisse videtur. Si aquæ in cerebro hærent, dolor ad sinciput &c, delirium, febris, dolor ad orbitas, caligo, visus dupplicatus, venti solisque impatientia, vomitus, capitis cutis extenuata.

Signa *Aegineta* hæc tradit: si inter cerebri ventriculos atque cranium aquæ hærent, tumor quidem est, sed non tangendus, nec cedens, nisi in teneris excesserit, ubi pressus fugit, dolor capitis, lachrimæ assiduæ. — Sed hæc signa ad omnem hydrocephalum internum pertinent: quis enim nisi post mortem dixerit, ubi aquæ hæserint?

Symptomata hydrocephali interni ab initio ambigua, testantur singula de compressione cerebri totius, aut partis alicujus, & de ener-

gia

gia pulpæ nervosæ iminuta; sunt vero dolor capitis, stupor, vertigo, segnities corporis, proclivitas in pavores, lachrimæ involuntariæ, hebetudo, loqui ut infantes vix discant, surditas, in pueris ossium cranii a maxillaribus separatio, ossium sincipitis attenuatio, ossis frontalis, arcusque orbitalis superioris attenuatio, suturarum hiscentia, ut interponi digiti possint, & cranium pelluceat, & sinus rubedine se prodant, facies minima, venarum illius varicositas, oculi cœcutientes, torvi, ad inferiora conversi, tumentes, protrusi, ut a palpebris conniventibus vix tegantur, ablata pupillæ contractilitas, amaurosis, pedum frigus, paralysis, convulsio, coma somnolentum, apoplexia, mors. — Quare ad apoplexiam hunc morbum retulit *Cullenius*, & nisi tumor externus adsit, eum ab apoplexia separandi ratio vix datur.

Mirum sane est, quod visi sint infantes hydrocephalici, quorum functiones animales sat bene processerunt. Notante *Wepfero* aquæ in ventriculis cerebri hæserunt, quin sensuum abolitio, sopor, paralysis, epilepsia, apoplexia adesset, ut in Vesalii casu contigit. Hoc de primo quidem stadio verum est, quia ut *Hænnius* monet, ossa cranii apud teneros cedentia permittunt, ut cerebrum functionibus suis fungi utcunque adhuc possit, cum apud adultos, cranio non amplius cedente, cito apoplexia obruat.

Hydrops ventriculorum cerebri puerorum ab aliis hydrocephali speciebus differt in hoc, quod more acuto cum febre decurrat, ita intra 2 — 6 septimanas terminetur, dum reliquæ species decursum chronicum observant.

Symptomata, & signa hydropis ventriculorum cerebri melius quidem quam priores assignavit *Petitus*, sed incomplete, ita ut cognosci morbus vix possit, nisi hydrocephalus externus simul adsit; sunt vero leves oris & palpebrarum convulsiones, stridor dentium, morsus labiorum, narium frictio, nisus in soporem, tristitia, pupillæ dilatatio, debili-

litas magna. At convulfiones morbi ab initio non adfunt.

Poft *Petitum* argumentum hoc tractarunt *Whyt* in operibus poft mortem illius Edinburgi 1768 editis: *Fothergil*, atque *Watfon. Chriftianus Ludwigius* in differtatione Lipfiæ 1774 edita, quam in Sylloges volumine V. fervavit *Baldingerus;* ferius *Odier*, *Paislay & Zwinger* in actis helveticis.

His tamen conatibus non obftantibus fe non concipere ait *Camperus*, quomodo hydrops ventriculorum agnofcatur in adulto; nam figna *Hippocratis* (pag. 128) a turbato ventriculo fæpe oriuntur, cui opinioni & *Frank* confentit.

Hydrops ventriculorum cerebri apud infantes maxime a dentitionis opere incipiente fe prodit, quare difficilior illius cognitio redditur, quia utriusque mali fymptomata concurrunt & fæpe confpirant: interdum ita incedit, ut vermes adeffe facile quis putet. Sed adulti quoque hydrope ventriculorum cerebri laborant; inter 20 *Whytii* ægrotantes novendecin inter annum primum & 16tum fuerunt. — Mirum eft, hunc morbum in teneris ipfi nunquam effe vifum, cum multi eo tantopere affecti nati funt, ut capitis perforatione opus fuerit, quo partus abfolvi poffet. Inter annum 17 & 19 viderunt *Fothergill & Frank.* — Hic calvariam adolefcentis 19 annorum a prima pueritia hydrocephalici confervavit, quæ maxima quidem fuit, futuras tamen claufas oftendit. In hydrocephalo cum futuris claufis offa tenuiffima, pellucentia viderunt *Hildanus & Duverney.* — *Watfon* hominem 28 annorum rheumate tentatum, hydrope ventriculorum cerebri ablatum vidit. Sed adulti fymptomatibus foporofis fere laborant, & apoplectici decedunt, cum apud infantes ob cranium cedens fymptomata longe alia compareant, mox defcribenda.

Hydropis ventriculorum cerebri ftadia tria *Whyt* defcribit. Stadium 1. Dolor capitis fixus validus ad frontem fupra orbitam, ad verticem, ad tempus alterutrum, ad occiput; tri-

fti-

ſtitia, mœſtitia, moroſitas, ſenſilitas aucta, lucis intolerantia & fuga; ſomnus inquietus, pavoribus mixtus, evigilatio ſæpe ſubita, quin dolor accuſetur, ſtridor dentium ſub ſomno; ſæpe debilitas lecto adfigens, decubitus in latus adfectum fere ſolum, erectis caput in eam partem inclinatur, in qua aquæ hærent; brachium pectori arcte appreſſum, quo imoto manum capiti ſæpe admovent; oppreſſio ventriculi, vomitus bis terve de die repetens, diarrhæa viridis, fœtens; ſitis raro aucta; urinæ ſanis ſimiles, aut ſedimentum album, mucoſum ponentes; febricula cum pulſu parvo, & ad ictus 140 &c. accelerato, interdum febris remittit, ut in verminoſis; abdomen, artus doloribus vexantur non sedandis, nares prurientes perfricantur, & quod magis fallit, illud eſt, quod cum his ſymptomatibus ore, & ano vermes interdum ſecedant, quin morbi cauſa fuerint.

Certiora ſecundum *Odier* in hoc ſtadio ſunt: dolor capitis, lucis fuga, decubitus in idem ſemper latus, pulſuum frequentia. Stadium II. quod ut prius 7—9 dies durat, & ſæpe 15—20 ante mortem dies ingruit, juxta *Whyt* incipit, cum pulſus tardus, & inordinatus redditur, qui interdum 60 ictus vix ſuperat; at quo tardior pulſus redditur, eo ſimul magis evadit irregularis, eo magis cutis calor augetur. Decubitus ob debilitatem continuo increſcentem perpetuus, dolor capitis, nauſea, vomitus auctus, interdum & ceſſans; moroſitas, anxietas, color faciei mox rubens, mox pallidus, jactatio; amor ſitus horizontalis, querelæ multæ, ad quæſtiones breves apta reſponſio, ad longiores non item, ita ut memoria labilis jam reddatur. Suſpiria frequentia, fletui abrupto ſimilia, quin rationem reddant ægrotantes; oculi diſtorti, nares plerumque, raro tempora reſpicientes, viſus interdum duplicatus, ut manibus quærere oblata videantur ægrotantes, convulſiva oculorum rotatio, urina varia, ſæpe anima fœtens, vermium ſeceſſus. Circa finem hujus ſtadii ſopor oculis ſemiapertis, deliria,

con-

convulſio faciei &c. aut paralyſes partiales, mydriaſis (pupillarum dilatatio) amauroſis a Lipſienſibus ad hoc, a *Whytio* ad ſtadium referuntur tertium. *Armſtrong* duos, tresve caſus vidit, ubi pupillæ dilatatio nonniſi paucis ante mortem diebus cognoſcenda fuit.

Cum pupilla in pueris ſemper magis dilatata ſit, quam in adultis, cave ex ſola illius dilatatione mox ad aquas in cranio hærentes concludas.

In febri verminoſa pupillæ dilatio, atque ſymptomata convulſiva & ſoporoſa, vermibus expulſis fere diſparent, non diſparent vermibus in hydrope ventriculorum cerebri expulſis.

Livor labiorum magnum in hoc morbo *Frank* ſignum eſt, vidit in infante nobili unius anni livorem labiorum junctum cum livore digitorum, pedum, manuumque, manus hærebant pendulæ, at ſtrepitu validiori concitato, ita afficiebatur infans, ut ſubito manus admoveret auribus, atque hinc inde leviter convelleretur. Tredecim cum eſſet menſium, ex variolis convaluit malignis, leviter hinc inde convellitur, aliquando convulſione validiſſima, exſtinquitur ſubito. In uno cerebri ventriculo aquarum unciæ tres, in altero ſex inventæ.

Puer alius nobilis cum capite magno natus, poſt aliquot dies labia oſtendit livida, emaciatur, non ſugit ex mamma nutricis, quæ ante 4 jam menſes peperit, & proprium filium ſimul lactavit, quin lactis, ut poſtea conſtitit, ſatis haberet; fœcibus per clyſterem nigris eductis, fomentationibus aromaticis vinoſis capiti, & abdomini admotis, lacte ex mammis ori inſtillato, atque deglutito, ac liquoris cornu cervi, & mineralis *Hoffmanni* aa. guttis v. in aquæ menthæ unc. jjj. ſenſim exhibitis ad ſe paulatim rediit, & ex alia nutrice ſugere cœpit. Et hujus ſtadii ſymptomata inconſtantia ſunt juxta *Withering*; nec pulſuum lentor, nec mydriaſis, aut ſtrabismus, nec rubor genæ illius, cui ægrotans incumbit, nec clamor, dum ſubito elevatur, ſignum certum conſtituunt; nec ubique

ad-

adſunt, ut interdum convaleſcentiæ ſpem concipiant parentes, & ipſi medici, cum tamen interdum ſubita mors opprimat, antequam adhuc comparuerit. Stadium III. dies 5—6 durans, atque incipiens, ubi pulſus iterum multum acceleratur, vix numerandus, plerumque debilis. Symptomata ſtadii prioris cito augentur: nempe dilatatio pupillæ, retinæ ad lumen admotum inſenſilitas, adeoque amauroſis perfecta — (in puero tribus ante mortem diebus pupillam contractam *Whyt* vidit, quæ ſpiritu cornu cervi naribus admoto dilatabatur) oculi continua convulſione rotantur, ſplendorem amittunt, aut ad albugineam inflammantur, palpebra una pendet paralytica, altera aperta: vigere auditus videtur, ſed delirium continuum, ſopor, lethargus urgent, excitati clamant, atque verba proferunt vix articulata: ſubſultus tendinum, & convulſiones ubique augentur, aut latere altero convulſo alterum redditur paralyticum; deglutitio ob œſophagi, aut ſpasmum, aut paralyſin ablata, manum alteram ægrotans ſæpe capitis lateri, cujus ventriculus maxime repletus eſt, admovet, atque in illud etiam latus decumbit, & in alterum converſus facile convellitur: reſpiratio debilis, & rara, intervallo inter exſpirationem, novamque inſpirationem multo relicto, interdum tamen ſatis bona. Quidam dolore colico, diarrhœa, urinæ incontinentia vexantur, linquam dentesque rigeſcentes cum anima fœtente monſtrant, cutem habent ſiccam, aut ſudore frigido inundatam, faciem modo pallidam, modo rubicundam, extremitates frigidas, rigentes, ſcenam claudit convulſio enormis, cito neccans.

Cum hydrope ventriculorum cerebri viſus etiam abſceſſus, ipſa nempe cerebri ſubſtantia in pultem quaſi mutata, quem ſtatum *Hyppocrates* cerebri ſphacelismum appellat.

Cauſæ, præter illas, quæ omni hydropi communes ſunt, recenſentur.

1. Labes hæreditaria juxta *Unterwood*, ita ut in ipſa ſtructura deficere quid videatur. Novit *Unterwood* ejusdem familiæ ſex proles anno ætatis ſecundo hydrope cerebri exſtinctos. *Frank* in una familia 6 proles, in alia 7 hydrocephalo interno novit enectas.

2) Poſitio capitis profundior, quam eſt reliqui corporis, quæ habetur, dum pueri ludentes capiti ſæpius inſiſtunt. An hæc poſitio contribuat, *Frank* dubitat.

3. Scarlatina juxta *Odier* frequens cauſa eſt.

4. Compreſſio juguli per tumorem &c. vidit enim *Lowerus* in tractatu de corde, in cane, cui venam jugularem ligavit, omnes partes ſuperius poſitas tumore aquoſo turgidas; raro hæc cauſa in teneris obtinet.

5. Tinea capitis, cruſta lactea &c. inconſulto ſuppreſſa; cruſtam lacteam *Frank* vix accuſaret, hæc enim 6—7 plerumque menſe a nativitate erumpit, cum hydrops ventriculorum cerebri anno ætatis ſecundo, ut plurimum comparet.

6. Dentitio difficilis, licet *Wichmannus* dentitionem morbum eſſe neget; nam plerique hoc tempore laborare hydrope cerebri incipiunt.

7. Mollities oſſium cranii diutius perſiſtens, tarda ſuturarum occluſio, an, & plura oſſa Wormiana, ut vult *Blumenbach*? Cavendum tamen, ne omnem ſtatum morboſum oſſium cranii, qui in craniis ex hydrocephalo interno demortuorum occurit, pro cauſa morbi habeamus, qui effectus quoque eſſe poteſt. Mutationes oſſium cranii poſt hydrocephalum internum conſpectas deſcripſit *Sandifort*.

8. Inflammatio quævis cerebri poſt contuſionem capitis, per partum difficilem, diuturnam capitis incuneationem, abuſum forcipis, vectis *Romhuſiani*, per verſionem fœtus violentam, verbera ad caput inflicta, poſt hæmorrhagias narium conſuetas nunc ſuppreſſas, cum magno capitis dolore &c. Circa originem hydropis ventriculo-

rum

rum cerebri ex inflammatione legendus eſt *Percival* in Sammlung praktiſcher Abhandlungen, Band XIV.

9. Tæniam veſicularem, ut pridem *Leske* in cerebro ovium morbo gyratorio affectorum vidit, qui ſolitudinis amantes gregem deſerunt, in gyrum rotantur, caput contra parietes allidunt; ita illius in hominis cerebro præſentia nunc evicta eſt.

10. *Morgagnius*, qui infundibuli cerebralis cavitatem contra *Vieſſenium* defendit, etiam glandulæ pituitariæ laxitatem, indurationem, ut hydrocephali interni cauſam ſtatuit, aſſentientemque habet *Monroum*. — At *Malecarne* obſervata huic opinioni non favent: & licet demus, glandulam pituitariam poſt mortem ex hydrocephalo interno male affectam eſſe deprehenſam, an non effectus morboſus id eſſe potuit? Porro glandula pinealis obſtructa eſt inventa, quin hydrocephalus adeſſet.

11. An plures femellæ hydrope ventriculorum cerebri laborant, ut vult *Morgagnius*, an par utriusque ſexus numerus, ut *Ludwigius* ſtatuit?

12. An infantes magno capite donati aut ingenio vivido excellentes, hydropi ventriculorum, ut *Angli* volunt, magis ſubjacent, quam capite parvo donati, aut ingenio hebetiores?

Prognoſis:

Hydrops ventriculorum cerebri ita auctus, ut ſatis ſe prodat, vix curatur, & curatus ubi dicitur, alius morbus ſanatus fere cenſendus eſt.

Hinc accuratior noſtris temporibus illius cognitio vix aliud prodeſt, niſi ut accuratam, fatalem prognoſin inſtituamus. Ex 20 ægrotantibus unicum a ſe ſanatum *Whyt* fatetur: *Fothergill* nullum ſervavit. Præter *Watſonium*, *Odier* unicus eſt, qui ex 16 ſalvavit quatuor: *Frank*, ubi certus de illius diagnoſi fuit, ſalvavit neminem præter puerum ruſſum octomeſtrem, qui ab initio pejus habere videbatur ab excitantibus lenibus, atque diureticis. Annum cum expleviſſet, factus eſt aſcicitus

ticus

ticus, à quo tempore caput emendatum, puer alacrior factus, roborantibus, diureticisque fugatus est afcites: trium nunc annorum est, capite quidem magno donatus, attamen vegetus, bonique ingenii.

Quamquam fumme lethalis fit hydrocephalus internus, diu tamen, annos v. g. decem absque febre duraffe vifus eft: vide *Sandifort collectionem differtationum Leydenfium.*

Rofen fœminam habet anno 35 defunctam, quæ fexto ætatis anno hydrocephalica facta eft. *Neffi* hydrocephalicum vidit natum oculis deftitutum cum palpebris conglutinatis.

Genga hiftoriam tradit memoratu dignam infantis unius anni, cui abfceffus fpecies nata eft ad anum, quo aperto aquæ fluxere ex medulla fpinali, morte infequuta.

Lancifius apud *Fantonum* talem tumorem aperuit, cum fanitate infequuta, atque hoc unicum exemplum eft, ubi apertura hydrorachiæ lethalis non fuit. Adeoque hydrocephalus jungi cum hydrorachia, & fpina bifida, aut hæc illi quoque fuccedere poteft.

Cæterum legendus *Morgagni* epiftola XII. numero 9 & 12. Mohrenheims Beobachtungen Band I. Richters chirurgische Bibliothek Band V. Sammlung auserlesener Abhandlungen Band VIII. Stück 3.

Hydrocephali externi, nifi cum interno complicatus fuerit, ab initio non adeo difficilis prognofis; difficilior tamen eft, fi aqua inter pericranium atque cranium hæferit, quia pro illarum evacuatione os ipfum denudandum eft.

Cura juxta caufas prægreffas dirigenda, & mali indolem fthenicam, vel afthenicam, vel a vitio locali natam.

In malo fthenico methodus debilitans, in afthenico excitans convenit.

Purgantia fortiora ex radice Jalappæ, rheo, & mercurio dulci, quibus aquarum reforptio impetrari queat, celebrata funt, & conducunt interdum in primo ftadio, nifi aperte debilitent.

Diu-

Diuretica; digitalis præcipue purpurea a *Witheringio* commendatur: at malum quovis ſæpe remedio majus eſt, aut aquæ evacuatæ cito repullulant. Quidam, quo reſorptionem aquarum promoverent, ad Mercurium confugerunt: *Vide Dobſonium in actorum Edinburgenſium* volumine V. & *Percivalium* in Sammlung praktiſcher Abhandlungen. Band XIV. & doſes exhibuerunt ſat largas.

Dobſon calomelas gr. j. ſemel bis de die exhibuit, ſimulque unquenti mercurialis diſpenſatorii Londinenſis, quod multum mercurii continet, dr. j. inunxit, donec ſalivatio naſceretur — an difficulter in hydrope ventriculorum cerebri puerorum excitatur?

Percival intra 6 dies mercurii dulcis gr. xij. & unquenti mercurialis ſcr. viii. adhibuit, & aliquos ſanavit

Odier, quos ſanavit, per mercurialia potiſſimum ſanatos aſſerit. Mercurium dulcem laudat *Moſely* omni quarta hora ad gr. j. cum unquenti mercurialis dr. ſ. omni die inuncta, & veſicante capiti impoſito, ſanavitque hac ratione hominem adultum abſque ſalivatione. Vide Sammlung praktiſcher Abhandlungen, Band XI.

Armſtrong puerum triennem, fratribus duobus ex hydrocephalo demortuis, per mercurialia reſtituit. — *Letſom* mercurialibus & veſicantibus plurimum confidit.

Anglus quidam mercurii dulcis gr. XL ingeſſit, & unquenti mercurialis unc. iij. inunxit — at quo tempore? — & ſanitas abſque ſalivatione ſucceſſit: Sammlung praktiſcher Abhandlungen, Band VII.

Exemplum, ubi mercurialia non profuerunt, habetur in Sammlung praktiſcher Abhandlungen, Band V. — Nec ullum unquam fructum *Frank* expertus eſt. Cum vero ad remedia quævis pertinax malum ſit inventum, de operatione cogitatum eſt. Jam *Hippocrates* de morbis — perforationem conſulit, caſibus probabiliter felicibus innixus conſulit *Aetius.*

Qui-

Quidam recentiorum cranii perforationem tum potiſſimum inſtituendam ſuadet, ubi fornix ventriculorum multitudine aquarum in membranæ ſpeciem extenuatus arcte cranio accumberet, quemadmodum noſtris temporibus cum fructu in Anglia apud bruta inſtituta novimus.

Pro aquarum ex cavitate cranii eductione *Lecard* acum triquetram commendat, exitus tamen non niſi funeſtus ipſi viſus eſt. Plerique ad aquas lente educendas inciſiones parvas magis convenire putant, hincque tumorem ad ſuturas forte comparentem foramine parvo ope lanceolæ aperiri volunt.

At effectum bonum perforatione obtentum *Frank* non novit, eamque malo cum effectu inſtitutam *Monrous* habet; & ſi conſideremus, aperturam hydrorachitidis infelicem vix non ubique fuiſſe, a capitis tumore hydropico aperto vix multum ſperandum videtur.

Interim *Richterus*, ſi non tarde nimis inſtituitur, perforationi tumoris hydrocephali non eſt contrarius, atque pro ſe habere videtur exitum felicem, quem perforatio apud vitulos nacta eſt. Felicius ſæpe curatio hydrocephali externi ſuccedit in œdemate capitis; frictiones aromaticæ ſiccæ, vel & ope ſpiritus vini camphorati inſtitutæ, profuerunt. *Celſus* caput radii, ſynapique ſemen apponi jubet; hisque non juvantibus, tumorem incidi. Si aquæ ſub muſculo temporali colliguntur, cutis, monente *Aetio* tetrabiblio II. cap. I. non ſupra muſculum incidenda, ſed lateraliter, ut ad cavum deveniatur, in quo hærent aquæ.

Hydrocephalum externum *Carolus Piſo* ſanavit fonticulo ad occiput excitato, unde aqua viridescens per plures dies manavit. Profuiſſe quoque ſunt viſa veſicantia, at in malo nec antiquo, nec complicato. Quidam hydrocephalum externum ſanavit, dum factis pluribus parvis inciſionibus aquas evacuavit, & cucuphas aromaticas impoſuit. *Riverius* in recens nato ſanavit hydrocephalum

Frank epitome L. VI.

lum per fasciam capiti applicatam. *Frank* ab hac capitis compressione sibi metuit. *Hunterus* vapores aquæ calidæ capiti admissos laudat. *Timoeus* emplastrum capiti imposuit.

℞. Pulv. rad. cucum. asinini.
— — iridis aa unc. β.
Farinæ fabarum unc. ij.

Mellis cum rosmarino cocti q. s. ut fiat cataplasma calide applicandum. Sed dum externa talia adhibemus, interna negligenda non sunt, neque mali causa prætervidenda: sic si fuerit a tinea suppressa, hæc ipsa revocanda emplastro meliloti cum quarta parte vesicatorii & camphora juncto capiti imposito.

Genus III. Hydrorachitis.

Magnæ dignitatis cavitas vertebralis est, nam alterum quasi cerebrum continet, etenim partes bene multæ, atque nobiles ex medulla spinali nervos suos accipiunt. Hinc in cavo vertebrali singuli morbi, qui in cranio obtinent, locum habere possunt.

In fœtu, & recens nato vertebra quævis tribus constat partibus, quæ ope cartilaginum nexæ facile separantur. Separatio quo minus succedat, fibras carneas & tendineas, tum ad corpus vertebrarum, tum ad latera columnæ vertebralis posuit natura, quæ vero cum posterius, ubi processus spinosi aliquando sunt futuri, fere deficiant, hic locus facilius cedit, & contenta emittit. Apud adultos cartilagines magis firmantur, processusque spinosi cavitatem subjectam magis muniunt, hinc rara apud adultos vertebrarum fissura. Quibus calvaria membranis vestitur, iisdem vertebrarum cavum involvitur, quid quod periostio insuper instructum sit. At dura mater, ut ossibus cranii columnæ vertebrali arcte non adhæret, sed cum membranis reliquis saccum format libere fere fluctuantem, nisi quod utroque ex latere nervis duobus perforetur. In hunc jam tubum membranaceum humor seroso-

lym-

lymphaticus, aut ſecretione morboſa deponitur, aut alio modo morboſe colligitur, ad pintam, & ultra, ſecundum *Monroum.*

Definitio hydrorachitidis *Cullenii* ſatis juſta non videtur: eſt tumor ſupra vertebras lumbales mollis, exiguus, aut hiantibus vertebris magnus. Nam non ſemper vertebræ hiant; dein tumor, quamvis frequentius, haud tamen ſemper ad lumbos eſt, nam in dorſo quoque, & collo occurrit: quin, & omnes vertebræ fiſſæ *Frank* ſunt viſæ, aliisque. Vide *Platnerum*, *Ruyſchium*, *Kerkring*, *Roſen*, atque *Hænium.*

A Frank definitur humoris ſeroſo-lymphatici columnæ vertebralis in cavo collectio morboſa cum tumore ad illud aut nullo, aut molli, hiantibus in hoc caſu vertebris, cum partium inferiorum paralyſi, utroque caſu manifeſta.

Hydrorachitidis igitur ſuſpicio adeſt, ubicunque in hydrope quodam paralyſis extremitatum inferiorum adeſt. *Frank* in 5. ægrotis poſt mortem hydrorachitidem invenit, quæ in vita cognita non fuit: ſimilia in *opuſculis pathologicis Hallerus* habet.

Spinæ bifidæ nomen hydrorachitidi non ſatis quadrat, utpote quæ in adultis non ſemper adeſt, in teneris vero adeſſe nequit, qui enim proceſſus ſpinoſi, qui nulli adſunt, findantur.

Dividitur hydrorachitis:

A. Ratione extenſionis in ſimplicem, dum aquæ in tota cavitate vertebrali hærent; cujus exempla habentur in *Morgagnii* epiſtola XII numero 10. apud *Salzmann* de tumoribus aquosis, & in *Andreæ Murray opuſculorum* volumine II. & in complicatam, aut cum hydrocephalo interno; obſervationes enim docuerunt, compreſſione tumoris ſpinæ bifidæ caput intumuiſſe, atque detumuiſſe preſſione ad ſpinæ tumorem ceſſante.

Camperus oſſe occipitali deficiente tumorem vidit ex capitis latere ortum, & in cavitatem vertebralem continuatum. Aquas inter cerebri meninges collectas in cavitatem vertebralem deſcendere poſſe, ſa-

facile quidem colligitur. At quomodo ex ventriculis cerebri descendunt?

Juxta *Swietenium* aquæ ex ventriculis anterioribus transeunt ad tertium, ex hoc per aquæ ductum Sylvii ad quartum, qui initium est rimæ per omnem medullam spinalem decurrentis. Stare pro hac explicatione videtur, quod cavo vertebrali inflato caput turgescebat, capiteque compresso aquæ ex spinæ tumore aperto effluebant. At harum partium communicatio nunquam demonstrata est & ventriculo quarto repleto sæpe mors subita accidit.

Portal proprium canalem, in sanis quidem non conspiciendum, at in hydrocephalo aliquando a se visum, e cerebro in cavum medullare descendere dicit, per quem aquæ defluerent, aut cum tumore exterius comparente spina bifida dicto.

Hydrorachitis externa tumorem plerumque sistit pallidum, mollem, indolentem, digitis quidem cedentem, at vix fluctantem, nec impressionis vestigia retinentem (quo ultimo excepto cum œdemate convenit) quam diu conclusus est, vesicam fere refert, in qua vertebræ divisæ extrema tanguntur.

Interdum membranis extenuatissimis lumine admoto aquæ transparent; interdum in medio aperitur tumor, atque aquas effluere sinit; interdum inflammatus rubet, atque dolet: Vide *Hoffstædt in disputationibus Halleri.*

In hydrorachitide externa modo aquæ hærent solæ, modo ipsa simul medulla spinalis, unde hernia enascitur, maxime ad os sacrum, ubi cauda equina habetur, quæ irritata convulsiones in pueris excitat.

Potest quidem liquidum in cavo vertebrali collectum acrimoniæ expers esse, & sola pressione lædere, sed & stagnatione corruptum acrimoniam contrahere valet, & partes vicinas inflammare, unde membranæ incrassantur, & cum partibus vicinis concrescunt, aut in gangrænam illas convertere.

Hinc

Hinc dum sub finem morbi lethalis saccus spinæ bifidæ flaccidus corrugatur, gangræna fere adest, convulsioque citum vitæ finem imponit.

Hydrorachitis tum simplex, tum cum externa complicata subdivi potest in universalem & partialem, hæcque in cervicalem, dorsalem, lumbalem, sacralem & ossis coccygis.

B. Ratione indolis in illam, quæ a vitio locali pendet, & in illam, quæ ex totius systematis vitio tum sthenico, tum & sæpius quidem asthenico nata est.

Sthenica fors est hydrorachitis acuta, quæ inflammationem sequitur in robustis post lapsum in dorsum natam, aut lumbaginem rheumaticam sthenicam. — An hydrorachitis ex lapsu in dorsum nata, fors ad vitium locale referenda? Spina bifida puerorum sthenica vix est.

Symptomata sunt debilitas aut paralysis artuum inferiorum & impotentia pedibus insistendi, paralysis vesicæ ac intestini recti, utpote quæ ex medulla lumbali nervos suos accipiunt. Interdum paralysis vesicæ & ani absque paralysi extremitatum incedit; vide *Acrel* in schwedischen Abhandlungen Band X.

Reliqua symptomata, licet varia adesse possint, prout medulla cervicalis, dorsalis aut lumbalis comprimitur, minus constantia sunt. Sic spirandi difficultatem & stertorem a *Lieutaudio* allegatum *Frank* non vidit, nisi sub finem morbi lethalis, convulsionibus terminandi, ubi tumor rumpitur. Nec debilitas ubique peccat, & emaciatio; etenim *Trew* hydrorachiticum 12 annorum vidit satis validum & bene conformatum. Nec constans est, hydrorachiticos pedibus intortis nasci, iisque incedere, ut vult *Camperus*; visi enim sunt infantes cum pedibus intortis, quin hydrorachitide laborarint.

An astesia, somnolentia, stupore fere solum laborant, ubi simul hydrocephalus adest. Ex absen-

ſentia paralyſis extremitatum non illico concludendum, tumorem ad ſpinam dorſi præſentem hydrorachiticum non eſſe.

Cauſæ ſunt omni hydropi communes, præcipue vero cum illis hydrocephali fere conveniunt, & ſæpe oritur:

1. Cum in utero ſæpe oriatur, ſitum infantis inſolitum cum continuo uteri in eum niſu, ut unicam hydrorachitidis cauſam *Heuermanus* ſtatuit.

2. Conformatio oſſium vertebralium ab origine morboſa peccans mollitie; debilitas cartilaginum juxta *Murray*. Poteſt ſic eſſe in venereis, nec tamen ubique ſic eſſe videtur, quid quod ipſâ oſſium mala conformatio alterius morbi effectus eſſe videatur.

3. Juxta *Orth in collectione Halleri* tomo V. hydrorachitidem inducere valent quæcunque vim fœtui inferunt, lapſus, & aliſio abdominis gravidi in corporis durum, compreſſio abdominis per thoracula. Videntur tamen hæc ſub ultimis tantum graviditatis menſibus nocere poſſe, cum ſub primis magna aquarum copia fœtus ſit munitus.

4. Porro juxta eundem *Orth* & *Hoffmann* partus difficilis, incuneatio diuturna capitis, verſio rudis & violens. — Pueri, ait *Hippocrates*, mutilantur in utero, ſi anguſtus nimis fuerit, aut per ipſius uteri excreſcentias, aut malam pelvis conformationem.

5. Inflammatio ſpinæ vertebralis, unde hydrops ſpinæ acutus.

6. Fiſſuram vertebrarum a mechanica aquarum preſſione repetit *Haënius.*) At unde ſpina bifida in cervice, ubi preſſio longe minor? An preſſio aquarum ſenſim ſæpe collectarum tanta eſſe poteſt, quanta eſt preſſio aquarum in tubum metallicum, cum pleno rivo infunduntur?

Prognoſis ſemper funeſta eſt; nam ſanatæ hydrorachitidis duo tantum habentur exempla, quæ

quæ infringere regulam non valent; unum apud *Camperum*, ubi ſubita aquarum reſorptio ſalutem attulit; alterum, an apud *Gengam*, an apud *Lanciſium*? ubi punctura profuit.

Cura iisdem fere, quæ contra hydrocephalum adhiberi ſolent, ſed fruſtra tentata eſt, nihilominus de illo perſanando deſperandum non eſt.

Acrel externe diſcutientia compreſſionem tumoris; interne vero illa commendat, quæ in hydrocephalo laudantur. Decoctum quoque corticum quercinorum pro fomento ſpinæ bifidæ eſt appoſitum.

Quidam alvum apertam ſervare ſuadet, & tumorem faſcia munire, quo ulterius illius incrementum impediatur.

Amſtelodamenſis quidam profeſſor *Boerhaavii* coætaneus tumorem ſpinæ bifidæ munire ſuadet emplaſtro defenſivo cœruleo, quo membranæ contra rupturam firmentur. *Roſen* putat, dum aquæ ad os ſacrum hærent, malum recens curari poſſe, quod utique *Camperi* atque *Gengæ* exempla comprobare videntur; at proprium ipſe exemplum non addit. Accedit, quod excepto *Gengæ* caſu apertura tumoris ſpinæ bifidæ, ſive per audaciam, ſive per ignorantiam facta, lethalis ubique fuit; exempla hujus infelicis operationis eventus plura *Javand* collegit.

Heiſter in obſervationibus tumorem ad ſpinam pellucidum, radice anguſta inſtructum, per 15 dies ligatum cadere vidit, ſed infans mortuus eſt.

Richterus fonticulum ex utraque parte ſpinæ bifidæ excitare ſuadet, ita ut inflammatio ipſum tumorem comprehendere aut poſſit, aut non poſſit.

Deſſault & *Mathæus* propoſuerunt *ſetaceum* ea cautione, ut funiculus trajectus foramen factum ſatis repleret, ita, ut aquæ nonniſi guttatim effluere poſſent. Placuiſſe hoc conſilium videtur *Burſerio*, operum illius volumine III. At *Frank* parum

rum exſpectat, cum inciſiones minimæ inſtitutæ vanæ fuerint; nec concretio membranarum facile exſpectanda, nec ſi ſucceſſerit, relapſus mali ſemper arcebitur, cum hydrorachitis non membranarum ſolum vitio, ſed & partium ſpinæ aliarum, totiusque ſyſtematis culpa enaſci videatur.

Prudens, licet palliativum tantum, quod *Javand* iniit, conſilium fuit, ligaturam nempe ſuſpenſoriam circa abdomen ad humerum duxit, in ſellæ vero reclinaculo foramen exſculpſit tantum, quod ſufficeret tumori ſpinæ excipiendo & absque preſſione ſuſtentando.

Genus IV. Hydrophtalmus.

Quemadmodum omne corporis cavum, ita & bulbus oculi aquis morboſe repleri poteſt.

Humores oculi tum illius formam in ſanitate conſervant, tum membranas illius æquabiliter extendunt, & ne vaſa has membranas perreptantia concidant, impediunt; denique pelluciditate ſua, quæ ſumma eſt, lucis radiis tranſitum ad retinam concedunt, viſusque claritatem efficiunt, quæ perit, ſimul ac humores turbantur; ut vero reſpondere huic fini queant, renovari debent; eorum vero renovationem poſt cataractæ operationem aperte conſpicimus, aquæ enim ſub illa deperditæ, quin ipſe humor vitreus, ad parvam quantitatem emiſſus, ſæpe inter 24 horas reſarcitur.

Definitur vero hydrophtalmus vel hydrophtalmia, collectio aquarum morboſa in oculi bulbo cum ſenſu plenitudinis, tenſionis moleſtæ, motu oculi difficili, viſus acie imminuta, ſæpe cum hæmicrania, atque tandem cum oculi dolore accuto & prolapſu.

Per hanc definitionem hydrophtalmus differt a ſtaphylomate, quod eſt tumor durus, corneam reddens opacam, atque ſic lucis radios excludens, viſumque tollens, qui ſub hydrophtalmo tantum imminutus eſt.

Hu-

Humores in hydrophtalmo plerumque pellucidi ſunt, viſumque, niſi copia multum peccaverint, non admodum lædunt. At ex integro tollitur, dum ſub oculi inflammatione humor puriformis ſecernitur, in quo tamen caſu viſus ſæpe reſtituitur; vix reſtituendus, ſi per ſupurationem humores turbati fuerint.

Quamdiu oculi membranæ æquabiliter reſiſtunt, humores non facile morboſe colligi poſſe videntur. At vero membranis alicubi debilitatis, humores ita interdum cumulantur, ut bulbus mole plurimum auctus oculum elephantinum vel bovinum ſic dictum referat, aut in orbita contineri, palpebrisque claudi impos protuberet, atque extra orbitam elabatur, prolapſumque oculi, exophtalmiam *Sauvageſii* conſtituat.

A ſede, ubi humor aquoſus copia majori colligitur, tres hydrophtalmi ſpecies conſtitui poſſunt.

Aut enim colliguntur in camera anteriori, hydrophtalmus anterior; ſeu corneæ, ubi cornea ſola æquabiliter dilatata, & protuberans multum ab iride diſtat, pupilla fere dilatatur.

Aut colliguntur in camera poſteriori, hydrophtalmus poſterior, ubi tumor ad poſteriorem bulbi partem eſt, & albuginea ſupra corneam quaſi prominet.

Si humor vitreus, qui ſtante ſanitate aquoſus eſt, ſed vitreus apparet, quia cellulis minimis diviſus vitri ſpeciem refert, hydropicus redditur, non tam denſus, ac in ſanitate eſt, lens cryſtallina ſimul ad anteriora urgetur, at ipſa hydropica non eſt. Humore vitreo notabiliter ſive aucto, ſive imminuto, viſus ſemper læditur: in hoc enim caſu focus poſt retinam cadit, in illo ante retinam.

Interdum, quod illi norunt, qui cataractam operantur, lentis capſula redditur hydropica; atque illius ſigna, aut colliguntur in camera utraque ſimul?

Divifio hydrophtalmi in verum, ubi aquæ in oculi cavitate fcatent, & in fpurium non placet, quia hydropis nomen illi non arridet, dum aquæ in membrana cornea, aut albuginea colliguntur. Cornea, ut maceratio docet, lamellis componitur pluribus, intra quas aquæ ftagnare poffunt. Stagnant & in albuginea, licet non tam ex lamellis compofita, quam naturæ tendineæ effe videatur.

Si in quibusdam tantum corneæ, aut albugineæ cellulis aquæ colliguntur, hydatides, aut phlyctenæ adeffe dicuntur, talem cafum fola punctione *Boerhaavius* fanavit.

Ubi per omnes corneæ cellulas diftentas, ac laxatas ftagnant, corneæ hydrops vel anafarca falutatur. Vide *Adolphum Bofe de morbis corneæ ex ftructura illius declaratis.* Lipfiæ 1767. — Si humor aquofus corneam adeo relaxaverit, ut tumor notabilis efficiatur, corneæ hernia male dicitur, quia pars folida non continetur; at vero juftum hoc nomen fuerit, fi iris, aut uvea hoc in tumore continetur. Hydropem adnatæ memoratu dignum habet *Frauendorf in actorum naturæ curioforum* anno III. &c. quæ intra paucas horas absque nota caufa inceffit, & fornicata ultra corneam prominuit, liquore limpido repleta, oculi claufione impedita, at iride, & pupilla fanis.

Interdum bulbus oculi ex orbita pellitur per hydatides ad fundum orbitæ natas; fed & hic cafus ad hydrophtalmum non pertinet.

Hydrophtalmus vel a vitio locali pendet, vel complicatus cum alio hydrope incedit, e culpa univerfi fyftematis, five fthenica, five afthenica enatus. Symptomata hydrophtalmi cameræ anterioris: moles oculi fenfim aucta, hinc tumor confpicuus, & durities refiftens, protuberans: fenfus tenfionis, lachrymarum per puncta lachrymalia reforberi impeditarum per genas defluxus, vifus imminutio, fi vero infignis aquarum moles collecta fuerit, vifus ob retinæ compreffio-

nem

nem tollitur, tollitur item, si humores turbantur, quod sub inflammatione potissimum contingit; quæ vero per cilia versus bulbum directa, aut aliam ob rationem excitatur, motus oculi difficilis, crescente tumore hæmicrania lateris illius, cujus oculus hydropicus est: dolores, febris, insomnia, deliria, inflammatio ad cerebrum interdum protensa, iris quasi retro pressa, pupilla dilatata, ad lumen tamen validum mobilis.

Symptomata hydrophtalmi cameræ posterioris aut humoris vitrei sunt: oculi tumor versus posteriora cum duritie, ac tensione majori, dolor obtusus, vehemens, strabismus ad superiora, iris ad anteriora compulsa, pupilla dilatata, vix mobilis.

Causæ eædem, quæ aliarum hydropis specierum sunt, in oculum tamen potissimum agentes, in quem rarius, quam in alias partes agere videntur, nam inter rariores hydrophtalmus morbos pertinet; *Monroo* nonnisi quater, nec multo sæpius *Frank* visus.

1. *Bellius* accusat habitum scrophulosum, qui a debilitate universali pendet.

2. *Selle* consuetum sanguinis fluxum suppressum; exemplum habet *Tulpius*, ubi mensibus restitantibus epistaxis successit, qua per iram suppressa hydrophtalmus ortus est, atque carcinoma. An hoc forte prius fuit, hydrophtalmumque post se traxit?

3. *Boerhaavius* atque *Blancardus* longam oculorum inflammationem post percussionem validam, incautam, detergentium ad oculos applicationem, natam accusant.

4. Scabiem, tineam, achores, mala tractatione suppressa, constitutionem scrophulosam, veneream *Richterus* accusat.

Prognosis pro varietate causæ varia; Hydrophtalmus ex debilitate oculi natus sat periculosus est; diu qui duravit organismo debilitato vix sanatur, aut sanatus dum putatur, facile recurrit;

rit; nam exemplum habetur paracentesis quater frustra institutae: quamdiu visus multum læsus non est, spes curationis remanet, raro lethalis est, lethalem tamen viderunt *Cheston*, *Riehter* aliique. Mors ex hydrophtalmo fere sequitur ex carcinomate post inflammationem mali moris prægressam, & carie ossium orbitalium, unde ipsum interdum cerebrum contaminatum est visum.

Cura, quæ vix non semper difficilis, juxta causas dirigenda; si ex totius systematis vitio, aut sthenico, aut asthenico ortum duxerit, ad id ipsum respiciendum; si locale modo malum fuerit, localia item remedia applicanda.

At notandum, in malo locali medicamentis tempus non esse terendum, sed mature ad paracentesin deveniendum, secus debilitato nimis organismo visus perditur, frustraque operatio instituitur. Princeps indicatio, quæ aquarum evacuatione nititur, adhiberi remedia varia fecit, & quidem emetica & purgantia, quibus, utut raro, cessisse tamen hydrophtalmus est visus.

Diuretica præ ceteris evacuantibus commendari merentur, quia minus debilitant, atque inter hæc potissimum squilla marina & mercurialia.

Richterus calomel cum squilla junctum commendat, an ideo hydrophtalmus indolis sæpe venereæ est?

℞. Merc. dulc. gr. vj.
Scillæ marinæ gr. jjj. fiant cum
Extr. amaricantis dr. ß. pillulæ xvjjj. capiantur bis, ter de die num. ii—iii.

Sed & digitalis purpurea, quæ semel *Richtero* profuit, adhiberi meretur in debilitate universali ad gr. j—jjj. bis, ter de die, vel

℞. Herb. digit. purpur. scr. i. infunde
Aquæ fervidæ s. q. per ¼ horæ
Colaturæ unc. ix adde
Aquæ cinamomi unc. ß.
Syr. cort. aurantior unc. j.

Signentur omni bihorio cochlearia jj.

Plenk extractum pulsatillæ nigricantis laudat sequenti formula.

℞. Extr. pulsat. nigric. dr. β.
— scillæ aquosi gr. vj.
Calomelas gr. iv. fiant pill.
gr. jj. capiantur bis, ter de die numero jjj—iv.

Medici oculares aquis, vel eductis, vel etiam non eductis, remedia corroborantia ex alumine, vitriolo albo externe admovent. At cum morbi causa sæpe obscura sit, sæpe quoque inutiliter applicantur roborantia.

Sternutatoria, a quibusdam adhiberi solita, laudantur quoque *Richtero*; an hæc juvare valent, quatenus sternutatione excitata stimulus oculis admovetur, quo resorptio promovetur?

Setaceis, quæ ad oculi viciniam posita laudantur, *Frank* parum confidit.

Si ex tinea suppressa natus sit, semivesicans loco prius adfecto apponendum.

Si ex scabie aut herpete male sanatis ortum traxerit, impetigines hæ ad cutem revocandæ per vesicantia, vel ad novam infectionem scabiosam?

Si indolis scrophulosæ morbus fuerit, decoctum corticis aliave amaricantia cum parvis mercurii dulcis dosibus exhibenda; *Janin*, qui ex obstructione corneæ hydrophtalmum nasci putat, balnea tepida oculo adhibet. At monet *Richterus*, hydrophtalmum non oriri sub corneæ maculis, ubi certe obstructio peccat. Balnea tamen tepida conducere possunt, dum dolor urget.

Si, quod quidem rarum est, nec tamen autore *Bellio* omnino negandum, nam apud *Tulpium* atque *Blancardum* hujus rei exempla habentur, indolis sthenicæ fuerit, ex hœmorrhagia narium in robustis, succiplenis suppressa natus, hirudines naribus admovendæ.

Ubi malum ad auxilia medica pertinax fuerit, internis quidem raro cedit, ad chirurgica deveniendum, circa quæ vide Richters Anfangsgründe der Chirurgie Band III.

Per-

Perforandus nempe oculus aut acu triquetra, quæ per ſcleroticam adigitur parvo retro corneam intervallo, ubi pro deprimenda cataracta infigi ſolet. At huic methodo ſe oppoſuit *Richterus* ex eo, quod iris facile læderetur. Aut cornea perſcinditur ſcalpello ancipiti, ſive lanceola in limitibus ſcleroticæ, in parte bulbi laterali, vel potius in inferiori, ubi pro cataractæ extractione aperiri ſolet. Viſui ab hac operatione vix metuendum, tum quia vulnera corneæ vix ſuppurantia absque cicatrice fere concreſcunt, tum etiam, quia cicatrix licet nata viſum lædere vix valet, cum pupillæ regioni oppoſita non ſit. *Heiſterus* tamen a corneæ vulneribus metuens ſcleroticam in parte inferiori aperuit.

Inutilis quidem ſæpe fuit paracenteſis, at mature inſtituta ſæpe quoque profuit, hinc non differenda, nec ſi prima non juverit, mox deſperandnm, interdum enim repetitione opus eſt; ſic *Biancardo* quinta profuit, oculi compreſſione ſimul adhibita.

Eduardus Ford majus quid auſus eſt; fila 6 ſericea alba ad externum oculi angulum per cameram poſteriorem trajecit ad partem oppoſitam, illaque colligavit, atque aquam *Goulardi* tepidam admovit, inflammationemque enatam purgantibus tractavit, ſenſim filum unum poſt alterum abſtulit? relapſum, at viſu perdito, præcavit. At huic methodo *Frank* parum favet, tum ob viſum ammittendum, tum quod inflammatio naſci, ad cerebrum propagari, ipſique vitæ minari poſſit.

Humor ubi vitreus hydropicus fuerit, lentem *Janin* extrahere jubet, partemque humoris vitrei exprimere. Unum quidem exemplum eventus felicis apud *Marchand* habetur, at alio in caſu oculus deſtructus eſt; nec mirum, cum nimia humoris vitrei quantitas facile effluat, quare *Frank* non placet. Si humor tum vitreus, tum aquoſus magna quantitate iterate renaſcuntur, & inflammatione urgens carcinoma minatur, oculo cruciatim diſciſſo, & humoribus evacuatis oculus arti-

tificialis applicandus; continuante & nunc dolore, bulbus omnino exſtirpandus.

Genus V. Hydrothorax.

Eſt aquarum collectio in cavo thoracis uno, vel altero morboſa. Frequens ſatis morbus eſt, nunc ſolus incedens, nunc aliis hydropis ſpeciebus junctus. Maxime infeſtus eſt debilibus, laxioris conſtitutionis hominibus, ſedentariis, fæminis præ viris, nec ulli parcens ætati.

Dividitur a loco, ubi aquæ morboſe colliguntur:

1. In hydropem pectoris, dum aquæ in uno, vel altero thoracis cavo, in ſpatio nempe inter pulmones, & pleuram ſito ſtagnant.

2. In ſaccatum, dum hærent in ſacco quodam per pleuram a coſtis ſecedentem formato, qui in cavum pectoris urgetur, & pulmonem comprimit. Exempla vide in *Joannis Schulzii diſſertatione de hydrope pectoris ſaccato*, Halæ 1742. — In *Halleri opuſculorum pathologicorum* obſervatione 12. apud *Benjamin Gooch;* apud *Fridericum Hoffmann*, qui in juvene defuncto vidit, cui dolor lateris ſiniſtri fixus fuit, tuſſis ſicca, difficultas ſpirandi, pulſus debilis &c.

Bergereau poſt eadem fere ſymptomata tumorem externe conſpicuum aperuit, morte poſt plures menſes inſequuta, omnem pleuram a coſtis ſeparatam invenit. Sacci talis præſentis difficillima diagnoſis, ſignum certum *Frank* nullum novit.

3. In oedema pulmonum, dum in ipſo pulmonum parenchymate hærent. Oedema pulmonum rarus morbus eſt, vix ſexies *Frank* viſus, filio vero illius anno præterito ter conſpectus in ægrotantibus ſuffocatione interemptis.

4. In hydatidicum, dum hydatides pulmonum ſuperficiem externam obſident, quæ ruptæ hydropem pectoris conſtituunt.

5.

5. In hydropem mediaſtini, tum anterioris, tum poſterioris. Hunc *Riverius* centuria I. poſt refrigerium vidit incedentem cum tuſſi, dyſpnæa, ponderis ſenſu &c. venæ ſectione ægra ſervata per 20 dies, ubi inter negotia domeſtica ſubito mortua, in mediaſtino anteriori humorem aquoſo - ſanquinolentum exhibuit.

Hydrops mediaſtini acutus naſcitur poſt inflammationem mediaſtini per violentiam externam &c. excitatam, vide *Meadium*, *Columbum*, *Heiſterum*.

6. In hydrocardiam:

A decurſu dividitur in acutum poſt inflamationem natum, & in chronicum.

Ab indole humoris ſtagnantis in lymphaticum, puriformem, purulentum, & juxta *Loverum*, & *Williſium* Tomo II in chyloſum, qui quidem poſſibilis eſt; poteſt enim ductus thoracicus per vulnus a tergo inflictum lædi, aut per glandulam quandam tumentem comprimi, & accedente inflamatione ſuppurari, atque utroque in caſu chylum in cavum mediaſtini poſterius effundere; vix tamen improbabile, interdum lympham coagulabilem pro chylo eſſe habitam.

A cauſa in localem v. g. ſi quis ad thoracem percuſſus inflamationem cum extravaſatione patitur, & in hydrothoracem a vitio univerſi ſyſtematis plerumque aſthenico, interdum tamen ſthenico.

Symptomata hydrothoracis cum variare poſſint pro diverſitate ſedis, in qua humores ſtagnant, ſatis inconſtantia ſunt, ut adeo diagnoſis incerta, & errori multiplex locus ſit. Falso a ſe prædictum fatetur *Vieſſenius*; — fatetur *Stollius de morbis chronicis*; — fatetur *Frank*. — Nec fere id culpæ dandum, cum pleraque ſæpe deſint in vita, ubi aquæ tamen reperiuntur in cadavere, & ſingula interdum adſint, ubi aquæ deficere poſt mortem deteguntur.

Hydrothoracis characteres juxta *Cullenium* ſunt: dyſpnæa, faciei pallor, pedum œdema, uri-

na

na parca, decubitus difficilis, ſubita & ſpontanea ex ſomno cum cordis palpitatione excitatio, aqua in pectore fluctuans.

Juxta *Stollium*: reſpiratio difficilis, magis tamen ſub inceſſu, aut ſcalarum adſcenſu; difficilis decubitus ſupinus & horizontalis; difficilis converſio in latus alterutrum; tuſſis chronica, aquoſa, ſubin & ſicca; palpitatio cordis poſt motum; ſubita excitatio e primo ſomno cum metu ſuffocationis.

Juxta *Frank*: dyſpnoea, tuſſis ſicca, humida, urina parca, decubitus in alterutrum latus difficilis, inpoſſibilis; œdema pedum, ſcroti, thoracis ipſius; tumor brachii lateris affecti œdematoſus, aut & dolor; evigilatio ſubita e primo ſomno, quaſi ſuffocans, cum pulſu debili, tremulo, inæquali.

Interdum mox a morbi principio paroxiſmi aſthmatici intervallis non ita magnis ſe excipiunt; fit interdum ob peripneumoniæ metum venæ ſectio cum levamine, at cito evanido & pejore mox rerum facie.

Hydrops pectoris plerumque a levi diſpnoea oritur, cui mox tuſſis ſicca, præſertim ſub motu accedit, anxietas circa ſcrobiculum, ſitis modica, labia pallida, ſubnigra, facies tumidula, cachetica; aſthma hincinde nocturnum; facilior morbi tolerantia tempeſtate ſicca, quam humida; accedente pedum œdemate facilior ſæpe redditur reſpiratio, cujus difficultas redit œdemate imminuto. Pulſus ſub paroxiſmo aſthmatico intermittens, debilis, tremulus, cum manibus frigidis; extra paroxiſmum plenus, fortis, vibrans, quaſi plethoricus, ad venam malo omine ſecandam facile ſeducens. Sæpe ab initio nil de mali præſentia nos commonet, quam tuſſis, œdema faciei, palpebrarum, urina parca, ſæpe turbida.

Tuſſis fere ſicca eſt, raro mucoſa excutit, rariſſime ſanguinem, uti viderunt *Frank* & *Quarin*; hinc erraſſe videtur *Haënius*, dum aſſerit, per defectum

ſputorum ſanguineorum hydropem pectoris a peripneumonia diſtinqui.

Mirum vero, quod plures ſæpe noctes bene tranſigant ægrotantes, dein vero ſubito evigilati ſuffocationis metu perculſi ad feneſtras properent, aërem captaturi, poſt horam vero, niſi aliquantum debiles, ſat commode ſe habeant. Unde hoc, cum aquæ, mali cauſa, ſemper adſint?

Subitam e ſomno primo expergefactionem *Riverius* pro pathognomonico hydropis pectoralis ſigno habet, ita ut per hanc ab omni alio pectoris incommodo diſtinguatur, idem fere *Carolus Piſo de morbis a colluvie ſeroſa*, ſectione II. capite 7. ſentit.

At juxta *Swietenium* & *Hedwigium* ſubita expergefactio interdum deeſt, ubi nihilominus aquæ in pectoris cavo adſunt. *Bonetus* adoleſcentulam habet, cui ſemper ſomnus in lucem protractus fuit, quæ tamen mortua aquas in pectore oſtendit. Dein juxta *Vicat* & *Frank* datur & ſubita e primo ſomno expergefactio cum ſuffocationis metu, quin aquæ in pectore hæreant. Hinc juxta *Morgagnium* quoque epiſtola XVI. numero 11. ſignum hoc ſolum hydropem pectoris certe non indicat.

Hydrope provecto quidam & interdiu ſuffocatione periclitantur, præſertim ſub converſione in latus alterum.

Sub converſione ægrotantis in latus alterutrum fluctuatio interdum percipitur, tum ab ægrotante, tum etiam ab adſtantibus; ſed fluctuatio deficere poteſt, & tamen hydrops adeſſe, aut ſaccatus, aut mole omne cavum replens, aut adeſſe fluctuatio, quin aquæ adſint. *Frank* tractavit fæminam morbo levi, nec thoracico decumbentem, quæ in latus alterutrum converſa, fluctuationem edidit, at illi a prima hoc juventute familiare fuit.

Oedema pedum ſenſim ad crura ſcrotumque aſcendit, interdum ſcrotum ſolum tumet, quod magnum *Monroo*, nec tamen ſat conſtans ſignum eſt.

Mor-

Morbo provectiore œdema latiſſimi dorſi manus e latere affecto, ejusque torpor, dolor, paralyſis explicanda, forte ex compreſſa vena jugulari per pulmonis partem ſuperiorem magis tumidam, cum ea ſola reſpirandum ſit.

Nec raro ad ſcapulas dorſumque dolor eſt, vel ab initio morbi jam præſens, ex aquarum inter pleuram & appendices diaphragmatis collectarum gravitatione intelligendus. Si alterutrum tantum pectoris cavum repletum, in illud fere latus decumbunt, in quo aquæ hærent. Sic cavum utrumque notabiliter repletum, decubitus in utrumque latus impoſſibilis, nec reſpirare fere valent ægrotantes, niſi ſedendo & corpore ad anteriora inclinato, quod vel maxime contingit, ſi aquæ ſimul in pericardio hæſerint, ut ſic pulmonum compreſſio avertatur.

Sub graviori paroxismo aſthmatico frons ſudore frigido inundatur, pulſus inæqualis, intermittens redditur, lypothimia accedit, mortisque periculum. Verſus finem mali aliæ hydropis ſpecies aſcites &c. accedunt. At cave, ne obſtructionem viſcerum abdominalium, aut aſciten adeſſe putes, dum aquæ multæ in thorace hærentes diaphragmate depreſſo fluctuationis abdominalis errore tibi imponant, & ad paracetheſin abdominalem inſtituendam ſeducant, qua lædi diaphragma poteſt. Tanta enim interdum in hydrothorace aquarum copia, ut coſtæ e ſitu pellantur; vide *Slevogt de injelici hydropis ſaccati curatione.*

Sub fine morbi lethalis ſopor, ſomnolentia, ubi fere, & cerebrum aquis inundatum habetur; accedente tandem lypothimia ſuffocatio finem malis imponit.

Dyſpnoea magnum quidem in hydrope pectoris ſignum eſt, at non certiſſimum; nam *Ruffius* obſervavit thoracem omnem aquis repletum, ubi neque ſub mortem difficultas ſpirandi adfuit; idem *Wepferus* obſervavit, ubi tres libræ aquarum poſt mortem inventæ ſunt; obſervavit *Mor-*

gagnius epiſtola XVI. numeris 28—29—33. in Ianionis cadavere, qui ſitu fere horizontali, absque diſpnoea decubuit. — An fors hæ aquæ brevi ante mortem tempore ſunt evacuatæ?

Hippocrates ad cognoſcendum hydropem thoracis juſſit ægrotum humeris prehenſum concuti & auſcultari, num fluctuatio percipiatur. Poterunt ſic aquæ detegi, niſi thorax nimis repletus ſit, aut hydrops ſaccatus adfuerit. Circa inutilitatem fluctuationis ad hydropem pectoris cognoſcendum, vide *Morgagnii* epiſtolam XVI. numero 32—33—37. *Auenbrugger* ad hydropem pectoris cognoſcendum percuſſionem thoracis propoſuit, non omnino ſpernendam; nam thorax aquis repletus, obtuſiorem edit ſonum, quam non repletus. At in pinquibus ſonus haud ſatis nos inſtruit, nec ſatis docet, ubi pulmo cum pleura concretus, an & parum docet, ſi in ſacco aquæ hæſerint?

S i g n a aliarum hydrothoracis ſpecierum magis adhuc dubia ſunt. Aquas in parenchymate pulmonum natantes, aut hydatitibus incluſas noſſe videtur *Hippocrates* de internis affectionibus, capite XIV. & de morbis libro II: febris eſt, & tuſſis, & acervatim reſpirat æger, & pedes tument, & unques contrahuntur, & patitur id, quod ſuppuratus, ſed debilius & lentius, & ebullit intus, ut acetum &c. Locum hunc, refragante licet *Sennerto* de pulmonum hydrope, recte intellexiſſe *Swietenius* videtur.

H y d r o p s p u l m o n u m indicari putatur reſpiratione difficili, ponderis ſenſu, anguſtia incipiente a jugulo & per medium thoracem deſcendente. — Juxta *Mauritium Hoffmannum in actorum naturæ curioſorum* Tomo I. cum hydrope pulmonum ſæpe œdema pedum jungitur.

Juxta *Albertinum iu actorum Bonnonenſium* libro I. indicatur, ſi cum œdemate partium externarum incipiente difficilis mox reſpiratio adſit. Hinc, ſi in anaſarca non ita magno admodum difficilis reſpiratio, de hydrothorace cogitandum. —

Sim-

Simson in actorum Edinburgensium libro II. & V. illum suspicatur, ubi facies turgida, œdema pedum circa malleolos, difficultas spirandi, cum pulsu suppresso, vix tangendo. *Percival* in Sammlung medizinischer Abhandlungen Band II. Stück 1. sequentia ponit signa: constantem spirandi difficultatem sub quovis corporis situ æque magnam, sub motu vero auctam, inspirationem profundam mox interruptam, vix possibilem, pulsum exilem, debilem, suppressum, omne corpus leucophlegmaticum. Hinc apparet, magnam esse similitudinem inter peripneumoniam notham & hydropem pulmonis, nisi quod hujus lentior sit progressus.

Darvinus, qui in Sammlung praktischer Abhandlungen Band VI. hydropes pectorales duos exhibet, de quibus vero num ad hunc morbum pertinuerint, non satis constat, cum uterque sanatus sit, signa tradit sequentia: sputa catarrhalia, dyspnoeam, tum decubitum, tum situm erectum ab initio molestum, sensim vero facilius utrumque tolerandum, urinam bonam, febrim nullam, dolorem brachii nullum. At his omnibus non obstantibus difficilis semper erit hydropis pulmonalis ab ab aliis hydrothoracis speciebus distinctio.

Probabile hydropem hydatiticum sæpius inventum iri, nisi ante mortem vesiculæ rumperentur, quarum rudimenta *Frank* & *Morgagnius* interdum viderunt.

Symptomata hydropis mediastini, in cujus cavitate hydrops acutus, suppuratio, testante *Boerhaavio* steatoma, enasci potest, aut ipse sanguis ex rupta quadam arteria colligi, vide *Morgagnii* epistolam XVI. numero 39. sunt: ingratus in medio pectore sensus, locum mutans pro mutato corporis situ; sub situ erecto propior est diaphragmati, in dorsum decumbenti magis ad posteriora vergit; lateri incumbenti latus occupat; melior respiratio corpore ad interiora inclinato, œsophagi functio læsa. At non tam certa hæc sunt, ut iis præsentibus terebrari sternum possit, nam &

in

in hydrope pericardii ſitu mutato oppreſſionis locus mutatur.

Hydrocardia, quæ veteribus vix cognita fuit, niſi *Galeno* ex animalium ſectione, vide *de locis affectis* librum V. caput 2. raro ſola incedit, ſed plerumque cum hydrope pectoris juncta. Aqua in pericardio collecta varii coloris eſt, & conſiſtentiæ, flaviuſcula, & pellucida videſcens, quaſi a bile; turbida velut lactea a materia puriformi; unde interdum cor atque pericardium pilis quaſi tecta, aut pericardium cordi concretum, ut deeſſe videretur, vide *Morgagnii* epiſtolam XVI. Sæpe humor ſeroſo-ſanguineus a ſecretione morboſa, aut & mere ſanguineus ex hœmorrhagia in pericardium facta, qualem *Brugnatelli* vidit in fæmina ſubito mortua, cujus aorta inter pericardium exulcerata, ſanguinem illuc effudit. In pericardio, quod vix ultra libram aquæ capere poſſe videtur, *Senac in tractatu de corde*, libras 2—4 vidit, cum pulmone ſiniſtro admodum compreſſo. *Frank* ad capitis magnitudinem pericardium hydropicum vidit auctum.

Symptomata hydrocardiæ deducere oportet ex caſibus illius ſolitariis, quales deſcripſerunt *Gretzius* præſide *Hoffmanno*. — *Morgagnius* ex *Valſalva*, *Albertino* epiſtola XVI. numero 34. — *Vieſſenius*, *Schreiber in collectionum Petropolitanarum* Tom. 3. & *Sydren in actorum Suecicorum* Tomo I.

Ex *Sydrenii* hiſtoria potiſſimum eminent: pulſus ab initio vibrans, facies rubicundior, deliria ſubphrenitica interdum remittentia, auditus gravis, tuſſis ſicca, ad noctem aucta, raucedo, pectoris oppreſſio, decubitus in dorſum difficilis, febris continua remittens cum horroribus, ſub finem morbi lethalis, habitus pallidus, at non œdematoſus, pulſus debilis, inæqualis. Delirium ad hydrocardiam neceſſarium non videtur; *Morgagnius* in hydrope pericardii & pectoris juncto, deliria quidem vidit, ſed tunc in ipſo cerebro aquæ ſunt repertæ.

In

In aliis hydrocardiis solitariis difficultas spirandi minor fuit, quam in aliis hydrothoracis speciebus, defectus fluctuationis, at frequens lypothimia, urinae pallidae, morbo adaucto pulsus debilissimus, pondus cor gravans, & constringens.

Juxta *Herculem Saxoniae* in hydrocardia sensus est cordis in aquis quasi natantis; juxta *Frank* sensus idem, tum oppressio magna, difficilis in dorsum decubitus; facilior mali tolerantia corpore antrorsum inclinato; motus cordis semper vibrans, conversio in utrumque latus facilis, lypothimia; pulsus inordinatus.

In *Viessenii* observatione juvenis alacer subito redditur tristis, coloris pallidi, plumbei, sub adscensu scalarum difficilis respiratio, continua cordis palpitatio, pulsus frequens, debilis, inaequalis. Ubi hydrocardia cum hydrope pectoris incessisse post mortem constitit, in vita comparuere: sensus ponderis pressionis, doloris urentis sub sterno in cordis regione; difficultas spirandi, interdum & deglutiendi; palpitatio cordis, deficiens tamen in casibus quibusdam; motus illius inaequalis, undulatorius inter 3 — 5 costam; pulsus inaequalis, inordinatus, parvus, debillissimus, durus vel mollis; frequens; post cibum assumptum, aut commotionem in lecto oppressio, & dyspnoea major, anxietas, & jactatio cum suffocationis metu, praesertim sub somno accedens, hincque situs erecti necessitas, malo graviori frequens lypothimia, syncope. At non ubique hydrothorax peccasse in vita censendus est, ubi post mortem aquae in cavo thoracis reperiuntur, quia interdum sub longa mortis lucta effunduntur.

Tussis ab initio, aut nulla, aut sicca; sputa sanquinea hinc inde accedentia a pulmonum per aquas compressione venire videntur. Motus cordis undulatorius adesse vix posse videtur, si pericardium valde repletum fuerit.

Palpitatio cordis saepissime quidem, at non semper in hydrocardia visa, atque ab aliis etiam cau-

sis

ſis oriri poteſt, ut adeo ex illius abſentia, vel præſentia ad hydrocardiam abſentem, vel præſentem judicium firmum non ſit. Nec in omni hydrocardia frequentior lypothimia, quam in pectoris hydrope. At reſpiratio in hydrocardia fere levior, quam in alio thoracis hydrope. Et *Vieſſenius* putat, ubi difficultas ſitus horizontalis perferendi comparet, hydrocardiæ hydrothoracem junctum cenſendum eſſe.

Hydrocardia affecti plurimum levantur corpore ad anteriora inclinato, ubi ſimul major ſuperficies conſtricta manu admota percipitur. *Albertinus* putavit, orthopnœam ſub ſitu humili & neceſſitatem ſitus erecti vix non ſemper accidere in hydrocardia. At differunt ſymptomata pro citiori, vel tardiori aquarum collectione, nec tanta ſunt ſub tardiori, quia partes ſenſim aſſuescunt.

Difficile eſt diſtinquere hydrocardiam, & hydropem thoracis, cum magnus ſymptomatum conſenſus ſit, & nullum fere exiſtat, quod hydrocardiæ ſemper conveniat; ut adeo vix licere videatur pericardii paracenteſin inſtituere. Interim, ubi aquæ in thorace hærere videntur, ſi levior, quam alias ſit reſpiratio; ſi hæc ipſa melior corpore antrorſum inclinato; ſi adeſt motus undulatorius, vix non hydrocardia adeſt,

Cauſæ hydrothoracis quæ aliorum hydropum ſunt, in genere quodvis impedimentum circulationis in pulmone præſens ad hunc morbum diſponit; in ſpecie vero:

1. Mala pectoris conformatio, maxime in gibboſis aſthma diuturnum paſſis, quæ adeoque præſentia diagnoſin faciliorem longe reddunt.

2. Facile turberculis pulmomum accedit, exemplum non ita pridem in clinico vidi. Phtiſi plerumque ſub fine hydrothorax adeſt.

3. Polypus, aneurisma cordis, aut vaſorum majorum.

4. Fractura aut luxatio costarum, vis quæcunque pectori per ictum, lapsum, concussionem illata.

5. Inflammatio in thorace undecunque nata, unde pars maxima hydropum pectoralium; exempla vide in *Sylloge Baldingeri* — in *Morgagnii* epistola XVI. numero 12. — atque in prænotionum *Hippocraticarum* numero 8. — *Frank* ex peripneumonia 1785 & 86 Ticini epidemice grassante cum pulsu pleno, & duro, multos cum hydrope pectoris vidit mortuos.

An ob venæ sectiones nimias administratas? Rarius nunc illi in peripneumonia hydrops hic occurrit. *Frank* post concussionem ad pectus perpessam in gravissimam lateris dextri peripneumoniam vidit gravidam conjectam, quæ venæ sectione levari visa, paulo post abortum passa, post mortem aquarum libras decem in thorace dextro exhibuit.

6. Magnus numerus, ut aliorum hydropum, ita & hydrothoracis ex scarlatina venit, tum sine, tum cum exanthemate ad cutem comparente; cujus rei exempla hisce temporibus in orphanotrophio plura habentur.

7. Impetigines, ut psora, tinea &c. male sanatæ, ulcera antiqua, quibuscum consuetudo contracta est, cito suppressa. Fæminam juvenem, quæ sex annis fluore albo laborans matrimonium iniit, eumque ulterius annis duobus pertulit, summe nunc debilitatam, trementem, lanquentibus cunctis functionibus *Frank* tractavit, cui adstringentibus in genitalia injectis fluorem intra octo dies compescuit. At mox respiratio difficilis, anxietas summa, somnus nullus. Balneis tepidis, & volatilibus interne datis fluor rediit cum emendatione symptomatum. Stimulis sensim fixioribus adhibitis, & injectionibus resumptis intra 3 menses perfecte convaluit.

Idem

Idem in sutoris filio quatuor annorum post tineam inunctione pingui cito suppressam hydropem pectoris vidit: quem revocata per semivesicans tinea, diureticis intra 15 dies restituit.

8. Causa hydropis mediastini est vis externa illata & inflammatio inde nata.

9. Causa hydrocardiæ juxta *Senac* est debilitas per jacturam sanquinis &c. inducta, tum obstaculum quodcunque aut resorptionem ex cavo pericardii impediens, aut resistentiam cordi ponens, vitiaque organica, aneurisma &c. ibidem producens; huc morbi pulmonum, inflamatio pericardii pertinent. Unde difficultas spirandi in hydrothorace major sub noctem? An a compressione diuturniore in eundem locum, an ab acrimonia aquarum stagnantium? quæ cum semel nata continuo adsit, continuo agere debere videtur.

Prognosis:

Nullius partis hydrops tam difficulter sanatur, quam pectoris; ratio videtur quia deficiente tumore diu ignoratur. Hydrothorax ex peripneumonia prægressa fere lethalis, juxta *Hippocratem*; nisi ubi pauciores, minusque spissæ fuerint aquæ transudantes. Hydrops pectoris ex febre intermittente natus facilius fere sanatur, quam ex alia causa succedens; qui ita increvit, ut compressione valida, diuturna, viscera thoracis lædat, raro sanatur.

Sputum cruentum ex compressione natum, periculosum symptoma est. Oedema pedum comparens hydrothoracem fere levat, quod tamen sub fine morbi lethalis non facit, disparens aggravat. Juxta *Albertinum* œdema pulmonum facilius sanatur, quam hydrops cavi pectoris. At cum œdematis hujus incerta diagnosis sit, dubia hæc prognosis justo videri potest. Asciti provectiori hydrothorax fere accedit, morituri sub asthmatico paroxismo qui videntur, iteratis sæpe vicibus ad se redeunt. Hydrops pericardii ceteris hydrothoracis

spe-

speciebus periculosior est; difficillime enim aquæ pericardii vasis resorbentur. *Frank* ubi de diagnosi certus fuit, vix sanavit.

Cura ut in quovis alio hydrope instituenda, respectu ad causam & indolem mali habito. Hinc, si ab impetigine citius sanata originem traxerit, hæc revocanda. Indolis si sthenicæ videatur, debilitantia conducunt. At monente *Quarin* ob pulsum plenum, durum, non continuo vena secanda, cum raro sit indolis sthenicæ. Quidam in hoc hydrope sanando aliter fere processerunt, quam in hydrope alio sanando, valida nempe dederunt purgantia.

Milmannus laudat radicem polygalæ senegæ ad unc. β — dr. VI. pro libr. j, colaturæ decoctam, ut inde unc. ij — iij. sumantur, unde vomitus, aut alvus repetitis vicibus movetur. Mortes ab hac methodo *Frank* vidit. Et secundum *Mead*, ubi vires fractæ, vehemens per alvum purgatio nocet, nam quo plures evacuantur aquæ, eo plures fere colliguntur, & cito sæpe redit, sublatus qui videbatur hydrothorax.

In hydrothorace asthenico juxta *Quarin*, & *Frank* in diureticis fere salus quærenda v. g. in extracto squillæ omni bihorio ad gr. j. cum saccharo vel eleosaccharo exhibito. At extractum hoc, ut efficax sit, recens esse debet, idest omni anno parari; parandum ex bulbo non marcido, corrupto; parandum in balneo aquæ, ne ambustum iners reddatur. *Frank* sæpe salem tartari cum oxymelle, aut aceto squillitico saturatum ex aqua juniperi exhibet.

℞. Sal alcal. veget. fixi dr. ij.
Aceti squill. q. s. ad saturat. adde
Aquæ vel infus. junip. unc. vij.
Syr. onopid. spinosæ unc. j. interdum
Liq. anod. min. Hoffm. aut
Aetheris vitrioli dr. β. addit.

sequens *Bergeri* compositio, licet non satis concinna videri possit, interdum *Frank* profuit:

℞.

℞. Rob. ſamb. ebuli; junip. aa dr. vj.
Pulv. ſcill. compos. *Hoffman.*
— radic. bryoniæ.
Extracti elaterii aa ſcr. j. — dr. ß.
Theriacæ androm. dr. j.
Syr. roſar. ſolutivi q. ſ. ut fiat electuarium.

Cape ter, quater ad caſtaneæ magnitudinem, ſuperbibendo unc. ij. decocti radicis ononidis. Cum pulvis ſcillæ compoſitus, & ſyrupus roſarum ſolutivus non amplius exſtent, pulpa ſquillæ, & ſyrupus ononidis addi poſſunt. *Del Papa* in vigore mali conſulit guttas v — vj. Balſami copaivæ, vel bolum ex ſcrup. j. therebintinæ cyprinæ. Sunt quidem diuretica balſama; *Frank* tamen nunquam adhibuit.

Lieutaudius kermes minerale multum laudat, quod diureticum *Frank* vix putat; & monente *Quarin* ſpiritum anguſtiorem reddit, tuſſimque auget.

Simſon, ubi ex facie tumida, pedum œdemate, reſpiratione difficili cum pulſu ſuppreſſo ad hydrothoracem concluſit, mercurium dulcem ſuadet, quo fœminam jamjam ſuffocandam ſervavit; mercurium item laudant *Lentinus* & *Ratſchy*, non tam ſcopo evacuante, quam irritante.

Frank plurimum commendat digitalem purpuream ad gr. j. in pulvere; aut ad dr. j. in infuſo cum aqua cinnamomi. Tractavit non ita pridem ſenem 78 annorum difficillime ſpirantem, extremis frigidis, rubefaciente, pedum involutione & infuſo digitalis purpureæ, oppreſſionem unico nycthemoro imminutam, & urinas auctas vidit; accedente ſerius ſudore largo reſtitutus eſt, excepta tuſſi, qua jam antea laboravit.

Caſus ſanationis per digitalem plures *Withering* habet. *Darvin* in Sammlung praktiſcher Abhandlungen, Band VI., doſes longe majores exhibuit.

Rubefacientia vel in vicinia tumoris pedum œdematoſi, vel ei ipſi impoſita ſæpe *Frank* profuerunt.

Au-

Auxilia chirurgica.

Quod si hactenus dicta non juvent, an in hydrope mediastini terebratio sterni, an in hydrope pectoris paracentesis thoracis, an in hydrocardia paracentesis pericardii instituenda?

Apertura cavi thoracici juxta *Swieteniuw commentariorum* Tomo IV. nota fuit *Hippocrati*, qui vero costas ipsas terebravit, ubi magnum lædendæ arteriæ infracostalis periculum est. Bene ab apertura Hippocrates sperat, si die quinta bona suppuratio comparuerit.

Paracentesis multa pro se haberet, si diagnosis certior esset, ut institui in tempore posset; si malum non tam sæpe secundarium esset, ubi aquis licet eductis inutilis fere operatio; eo magis, quia in pluribus sæpe locis aquæ hærent, ut solius thoracis perforatio non sufficiat.

Plerique hanc operationem commendant dicentes: pectoris vulnera non esse lethalia, melius esse experiri anceps remedium quam nullum, in malo graviori summa tentanda. Vera hæc sunt, a paucis tamen instituitur, quia eventus infelicis exempla multa exstant; vide *Mohrenheim & Fortis*, qui vitam per operationem citius ablatam putat. An forte tarde nimis instituitur; certe nunquam instituenda, ubi æger admodum debilis, organa jam corrupta sunt.

Eventum paracentesis felicem habet *Duverney* in fœmina cum respiratione difficili, pulsu exili, & inæquali, cui primo paracentesin abdominis, dein pectoris instituit; melior mox respiratio facta, atque post mensem negotiis suis ægra præfuit.

Eventum felicem nactus est *Bianchi* in puero, & *Morandus* apud *Swietenium* commentariorum Tomo IV.

Senac de corde exemplum sanationis memoratu dignum habet. Venator equarius regius ex pleuritide sanatus mox sedendo tantum respirare valuit; eductis 6 pintis aquarum ex thorace post mensem ita sanatus est, ut regem venantem per duos annos

le-

ſequi poſſet. — Fuit hydrops acutus, in quo forte maxime prodeſſe paracentheſis poſſet; quem adeſſe *Frank* putat, ubi poſt peripneumoniam prægreſſam cum reſpiratione difficili manus lateris affecti cito tumet, ac torpet.

Quidam acu tricuſpide paracenteſin inſtituunt, quæ quidem methodus inſecura eſt, quia pulmo lædi poteſt, præſertim cum pleura concretus. Nec tamen in omni hydrope pectoris pulmo cum pleura concretus, aut corruptus habetur.

Melius inſtituitur ope lanceolæ, commoda ubi plura habentur; diſciſſis enim integumentis, & ſeparatis muſculis intercoſtalibus, antequam pleura perforetur, inquiri poteſt, an pulmones non accreti, an non compareat fluctuatio, qua abſente omitti ulterior operatio poteſt. Dein arteriæ ſubcoſtalis læſio præcaveri melius poteſt. Denique major etiam apertura fieri poteſt, quæ ideo requiritur, ut aquæ turbidæ, ſi fors adfuerint, evacuari poſſint, & ſi ob debilitatem ægri accedentem evacuari una vice omnes nequeant, ne die ſequenti opus ſit vulnus dilatare, ulterius evacuare ſi velis; nam labia vulneris turgida orificium nimis anguſtum facile claudunt.

Quod contigiſſe aliquando *Frank* vidit, dum pro pure educendo paracenteſis thoracis inſtituta eſſet foramine paulo anguſtiori, quod die ſequente dilatari oportuit. Nec ab ampliore thoracis vulnere metuendum eſt, nam non omne vulnus pectoris cavum penetrans lethale eſt; neque ſi laryngis apertura major fuerit, neque etiam, ſi in utroque latere vulnus inflictum fuerit, mors ubique ſequitur.

Paracenteſis thoracis in profundiori illius parte inſtituenda, ut facilior aquarum evacuatio obtineatur, in latere tamen dextro, ut hepatis læſio præcaveatur, altiore ſemper loco inſtituenda, quam in ſiniſtro. Juxta *Platnerum*, *Heiſterum*, & *Calliſen* in latere ſiniſtro inſtituenda inter coſtam 2 & 3 ſpuriam ab inferioribus numerando; in latere vero dextro inter 3 & 4 ad palmæ circiter a ſpina

dor-

dorsi distantiam. *Acrell* inter 6 & 7 ab inferiori parte numerando instituendam præcipit.

Richterus in elementorum chirurgiæ volumine IV. profundam illam thoracis aperturam rejicit, nam thorace licet loco magis supero aperto talem ægro positionem conciliari posse putat, ut aquæ facile evacuari queant. Difficiliorem vero sectionem censet in loco profundiori ob musculos magis carnosos, simulque periculosiorem ob arterias infracostales facilius lædendas. Præterea, & diaphragma costis spuriis adhærens facile lædi, atque inflammari, præsertim si sub exspirando adscenderit, aut flatibus sursum actum fuerit. Consulit aperturam facere æquali fere inter sternum & spinam dorsi distantia, vel paulo magis sternum versus, quia costæ hic magis distantes operationem faciliorem reddunt.

Nec in hydrope, nec in empyemate thoracis omne contentum simul evacuandum videtur, quia cum fieri compressio nequeat, lypothimia accedere valet.

Aquis paracentesi eductis continuandum in indicatis internis, quæ plerumque sunt, diuretica roborantibus juncta.

Pro pure vel aquis in cavo mediastini educendis, ubi interdum tumor fluctuans ad scrobiculum cordis disparet, os sterni perforandum, quod ni fiat, caries ad os sternum & cartilagines costarum enasci potest. Ipsæ cartilagines arrosæ interdum exscinduntur, sed vitanda læsio arteriarum mammariarum: vide *Richterum* loco citato. Sed & pericardium in hydrocardia pertundendum putavit *Riolanus* ad pollicis a cartilagine xiphoidea distantiam. *Senac* pertundere jubet inter costam 3 & 4 ad pollicum duorum a sterno distantiam. At operatio hæc inutilis facile esse potest, & ideo male audire, ubi cor vitium contraxit non emendandum, aut pericardium ad resorptionem ineptum est: sed simul maximo cum periculo cordis lædendi conjuncta est, cum cor nec duobus mo-

men-

mentis in eodem ſitu permanet. Hinc *Morgagnius epiſtola* XVI. recte monuiſſe videtur, cum hac operatione feſtinandum non eſſe, cum adeo difficilis ſit mali diagnoſis, & *Swietenius commentariorum* Tomo IV., quod quidem ipſe ſciat, ob difficultates allatas operationem hanc inſtituendam eſſe negat. Si aquæ inter pleuram, & muſculos intercoſtales hæſerint, paracenteſis ſine hæſitatione inſtitui poteſt.

Genus VI. *Aſcites.*

Cullenio eſt abdominis intumeſcentia tenſa, vix elaſtica ſed fluctuans. *Frank* eſt collectio aquarum morboſa vel in partibus abdominis continentibus, vel in ipſo abdominis cavo, & quidem aut libere fluctuantium aut in veſicis contentarum, modo liberis, modo acretis, vel in viſceribus ejus modo ad ſuperficiem modo in parenchymate.

Quoad ſedem, ubi aquæ hærent, ſpecies variæ conſtitui poſſunt, & quidem, ſi extra abdominis cavum hærent.

a) Oedema ſeu anaſarca abdominis, ſi in tela ſubcutanea ſtagnant. Signum eſt tumor abdominis in decumbente major verſus dorſum, quia gravitate illuc aquæ confluunt.

b) Hydrops vaginalis musculorum rectorum abdominis, ubi poſt vaginæ hujus inflammationem, quæ vulnera potiſſimum ense tricuſpide facta, abdominis tamen cavum non penetrantia, ſequitur; quia vulnera ſic inflicta cito clauduntur, in quodam illius cavo collectio contingit, ubi apertura neglecta dolores ſæpe ſummi, interdum convulſio oritur. Signum eſt tumor circumſcriptus, & fluctuans inter vaginæ diſſepimenta.

c) Hydrops peritonei, dum pus, vel aquæ inter musculos abdominales, & externam peritonei ſuperficiem celluloſam ſtagnant. Frequentior eſt hydrops peritonei purulentus, quam aquoſus. Exempla hydropis peritonealis habet *Acholz*

1581 professor Viennensis apud *Morgagnium epistola* XXXVIII. numero 47-48-49. — *Ledran*, *Vogel* in egregia dissertatione de hydrope peritonei saccato, Gœttingæ 1761. — *Platnerus praxeos medicæ* libro III.

Porro *Cheselden*, juxta quem hydrops hic ab aliis hydropis abdominalis speciebus differt, quod tumor in regione umbilicali minime protuberet, cum tendines firmius ibidem hærentes separari se non patiantur. Quod quidem ab initio morbi, non vero per omnem illius decursum verum est.

Respinger in actis helveticis volumine I., ubi abdominis figura hæmisphærica fuit, ultra pubis ossa protuberans, illaque contegens, elastica, umbilico vix detegendo, e tumore aperto 12. aquarum libras fluxisse vidit.

Sandifort exercitationum academicarum lib. II. hydropem hunc post prægressum puerperium vidit, paracentesi 17. vicibus instituta mille aquarum libræ eductæ, quæ in cavis peritonei pluribus hæserunt. Casum hydropis peritonealis paracentesi sanati habet *Philippi* apud *Richterum* in der chirurgischen Bibliothek, Band VIII.

S i g n a h y d r o p i s p e r i t o n e i, cujus diagnosis difficilis, sunt: tumor ab initio magis circumscriptus, magisque conspicuus, quam in hydrope cavi abdominalis initiante, locum non mutans; ægrotus commodius, quam in ascite habet, quia viscera aquis non circumdantur; sub inspiratione major difficultas, quam sub exspiratione, quia sub illa musculi abdominales tenduntur; urinæ copiosiores, quam in ascite.

Hydrops peritonei adeo interdum auctus est visus, ut intestina in spatium angustum comprimerentur, apertusque ob cavi magnitudinem imposuerit pro abdominis cavo aperto.

Si in ipso abdominis cavo collectæ sunt aquæ, vel libere inter peritoneum & intestina fluctuant, coloris varii, variæque consistentiæ atque indolis; plerumque citrinæ sunt, & limpidæ, igne,

& acidis fere coagulantur; interdum turbidæ ſunt craſſæque, difficulter canulam transeuntes, vixque fluctuationis ſenſum edentes; interdum, præſertim poſt febrem puerperalem, humor puriformis fœtens adeſt; juxta *Monroum* ipſe interdum chylus in abdomine colligitur.

d) Hydrops chyloſus quorumdam, ubi ductus thoracicus per glandulam quamdam tumidam compreſſus disruptioni vaſorum chyliferorum anſam dedit. *Haënius rationis medendi* Tomo XI. capite 5. poſt febrem 60 libras eduxit humoris rubicundi, non fœtidi, at multum ſanguinis congrumati ad fundum ponentis, vel in veſicis, ſive minoribus hydatitibus, ſive majoribus ſaccis incluſæ ſunt, modo adhærentibus, modo libere natantibus.

e) In appendicibus peritonei, huc hydrops meſenterii, omenti tum majoris, tum minoris, tum utriusque; poſt inflammationem hydrops inteſtinalis, ubi aquæ vel inter inteſtinorum tunicas hærent, vel in ipſa inteſtinorum cavitate; caſum ſimilem habet *Blancardus* de ventriculo, qui 90 aquarum libras continuiſſe eſt viſus.

f) In viſceribus abdominalibus, huc hydrops veſiculæ felleæ, uteri atque ovariorum. Apud boves ovesque frequens eſt hydrops hepatis, aut in ſuperficie, aut in ipſo parenchymate, atque in ovibus juxta *Morgagnium* proditur caruncula lachrimali pallida albeſcente.

Symptomata hydropis abdominalis, cujus cognitio ſæpe difficilis, præſertim ſi lente ſucceſſerit, nam ſi cito increverit, manifeſtiora comparent incommoda, ſunt ſymptomata hydropis generalia: urinæ nempe parcæ, ſæpe turbidæ cum ſedimento mucoſo, ſitis &c. tum ut plurimum tumor œdematoſus, a pedibus incipiens, per crura & genitalia ad abdomen aſcendens; interdum tamen aſciti jam notabili œdema pedum ſero jam accedit, aut ad mortem uſque non comparet. In aſcite initiante, dum aquæ in pelvi hærent,

rent, quibus inteſtina quaſi ſupernatant diſtenta, abdomen percuſſum tympani ſonum edit, quem non amplius edit, ubi auctæ aquæ fuerint. Sæpe absque febre incedit, interdum malo omine cum febre jungitur. Ubi abdomen multum extenditur, venæ epigaſtricæ externæ tument, quaſi varicoſæ; reſpiratio difficilis redditur ob impedimentum diaphragmatis deſcenſum, interdum tamen reſpiratio ſat commoda ob majorem forte, ut apud fæminas eſt, thoracis mobilitatem. Palma ex una parte abdomini impoſita, dum altera abdomen ex parte oppoſita percutit, fluctuationem percipit, ſi aquæ multæ fuerint; nam ſi paucæ adſint, fluctuationem in pelvi latitantes non edunt, nec edunt, ſi craſſiores fuerint. An edunt plurimæ abdomen exextentum undique replentes? Aſcites facile graviditati jungitur, aut & graviditas ſub aſcite contingit, ut adeo facile ſit, ſtatum hunc utrumque confundere; illicite gravidæ fere ſemper hydropem accuſant.

Imponere pro aſcite valet hydrothorax notabilis, qui diaphragmate depreſſo fluctuantem in abdomine tumorem excitat; vide *Swietenium commentariorum* Tomo I.

Imponere pro aſcite, aut hepatis emphyſemate valet veſica fellea multa bile, aut aquis copioſis dilatata, quæ juxta *actorum Edinburgenſium* lib. II. libras 8 continuiſſe eſt viſa. *Petitus* pro hepatis abſceſſu, qui adeſſe & ipſi viſus fuit, aperiendo vocatus, puncturam inſtituere mox renuit, atque fæmina poſt duos annos mortua veſiculam felleam hydropicam oſtendit.

Si veſicula fellea hydropica fuerit, tumor in regione hepatis ad limbum coſtarum tangitur. Imponere pro aſcite valet veſica urinaria paralytica reddita, atque lotio diu retento fluctuationem excitans, ut *Frank* vidit in canonico, qui ſuper conum luſorium lapſus, poſt 6 ſeptimanas extremitatibus inferioribus paralyticus eſt factus cum urinæ alvique incontinentia, abdomine tumidiſſimo ac

H 2 fluc-

fluctuante &c. Si vefica urinaria urinis diftenta turgeat, tumor piriformis fupra offa pubis eft; omne dubium diffipatur digito in anum immiffo & cathetere applicato.

Imponere pro afcite valet hydrops uteri, qui aquis vel pure &c. infigniter extentus fluctuationem edit, qua feductus feliciter paracenthefin inftituit, atque utero perforato mortem poft triduum vidit. Simile exemplum de hydrope uteri purulento habet *Blancardus*.

Imponere pro afcite valet hydrops ovariorum, non quidem ab initio, ubi facile cognofcitur, tumore iu loco ovarii detegendo, circumfcripto, fed malo adaucto, ubi fluctuationem edere valet. In tali hydrope paracentefin *Frank* olim inftituit, ubi aquas inftar albuminis ovorum exire vidit, errorem quidem iis confpectis agnovit, fed mors infequuta eft.

Si noverimus tumorem abdominis per annos bene multos fine incommodo notabili effe toleratum, fufpicio jam nafcitur, aquas in utero, aut ovariis hærere. Melius vero juxta *Frank* tactus rem decernit; nam fi tumorem manibus explores in hydrope ovariorum, integumenta abdominis a tumore feparata quafi tanguntur, ita, ut inter mufculos abdominales & tumorem fpatium adeffe videatur, quod in afcite non ita comparet; atque hic fenfus licet minus manifeftus, & tum adeft, ubi afcites cum hydrope ovariorum junctus inceffe- rit. Si ovarium utrumque hydropicum, tumor item in hypogaftrio utroque comparet, in medio abdominis deficiens.

Frank puellam tractavit, cui in hypogaftrio utroque tumor capitis magnitudinem excedens, in medio abdominis deficiens; tumor hic durus fuit, mollis tamen hinc inde, menftrua femper refponderunt, nterus exploratione fanus repertus. Malum pro fcirrho ovariorum declaratur; poft tres menfes dimittitur incurabilis. Redit poft 6 menfes cum magno abdominis dolore, 3 jam feptimanas du-

durante, abdomen tenſum rubet, dolent ovaria contrectata, umbilicus extrorſum tumet, adeſt fluctuatio febrisque inſignis. Impoſitis fomentationibus rubor imminuitur, fluctuatio augetur, ruptus poſt 8 dies umbilicus materiæ puriformis menſuras duas fundit, venter concidit, exceptoque priori ovariorum tumore, ſanitas poſt paucas ſeptimanas redit.

Vidit idem ægrotantem ante 20 circiter dies graves dolores colicos, enteritidem perpeſſam, quæ rupto umbilico materiam puriformem evacuavit, abdomen concidit, manente tamen tumore duro ſphærico, poſt mortem inteſtina in globum convoluta & ope lymphæ coagulabilis conglutinata inveniuntur.

Nord ægrotanti poſt febrem puerperalem tabidæ, febreque urente detentæ paracenteſin adminiſtravit, materiam puriformem, fœtentem eduxit, cum ſanitate inſequente. — Adeoque ne in hydrope puriformi quidem omnino deſperandum.

Aliquando, tum hydatites, tum ſacci rupti aquas in abdominis cavum effundunt aſcitenque conſtituunt Aſcites pleroſque hanc originem habere *Frank* putat, præſertim ſubito natos; ſic ſi anaſarcæ aſcites ſubito acceſſerit, viſcus quoddam ſimul anaſarca laborans aquas ſuas cito effudiſſe, fere cenſendum eſt.

Interdum ægrotantes ſubito moriuntur aſcitici, quin poſt mortem aquæ multæ deprehendantur; ratio videtur in veſica viſceris cujusdam rupta, unde mors quaſi ex inanitione ſubita ipſius hujus viſceris, aut ex compreſſione alterius; quemadmodum abſceſſu quodam majori, aut aſcite absque abdominis compreſſione cito evacuato, lypothimia lethalis interdum acceſſiſſe eſt viſa.

A paucis interdum aquis in abdomine hærentibus major ſæpe anxietas & reſpirationis difficultas, quam ubi longe plures adſunt. Ab acredine aquarum id multi repetunt. — Poſſunt quidem acres eſſe, quia morboſe ſunt ſecretæ, quemadmodum

dum ſub oculi inflammatione lachrimæ per ſecretionem morboſam acres factæ genas excoriant. At acredo hæc non ubique putrida habenda, quæ adeſſe vix poteſt, niſi gangræna jam nata; vix unquam enim aquæ paracentheſi eductæ putredinis notam edunt, nec illæ edunt, per annos quæ in vaſis hermetice clauſis aſſervantur. Aquas ſtagnantes acres in abdomine fieri *Monrous* putat.

A. Ob perpetuam agitationem. At liquida motu adeo non corrumpuntur, ut corrupta potius quæ jam fuerant, motu emendentur, quod probe norunt, qui itinera longa maritima inſtituunt; nam aquæ corrumpi jam incipientes ſola navis agitatione corriguntur.

B. Per bilem transſudantem. At durante vita bilis non transſudat, nam in animalibus cito enectis bilis in abdomine veſtigia nunquam comparent; hinc quæ in quibusdam cadaveribus viſa eſt bilis, ſub vel poſt mortem transſudaſſe cenſenda eſt.

C. Per vapores fœcales ex inteſtinis in abdomen exhalantes. At animalia ſubito mactata vapores ex abdomine aperto fœcales nunquam ſpirant.

An inteſtina &c. per aquas in abdomine ſtagnantes macerata laxantur? Corium quidem aquæ tepidæ immiſſum laxatur & molleſcit, at manus lotricum corrugantur; vis igitur vitalis aquam impedit illum effectum edere, quem edere in partibus mortuis ſolet.

Aquæ in abdominis cavo hærentes interdum per annulos abdominales, ſive ſaccus hernioſus adſit, ſive etiam non adſit, egrediuntur, atque anaſarca ſcroti, hydrocelen dictum, conſtituunt. Caſum talem habet *Percival*, *Pott*, cui tumor ſcroti apertus 12 aquæ libras fudit, cum tumore ventris concidente. Debuit igitur inter aquas in ſcroto hærentes & in abdomine collectas communicatio fuiſſe. Similis caſus apud Italum quemdam habetur, qui ſub partu difficili ſcrotum fœtus turgidum ape-

aperuit, atque 5 libras aquarum effluere vidit; abdomen ſic collapſum partum abſolvi permiſit. Similia *Monrous* tradit. Aquæ in abdomine hærentes umbilicum quoque interdum ita replent, ut rumpatur.

Symptomata hydropis ſaccati, adaucti, (lente increſcens incommoda notabilia diu non inducit) potiſſimum pendent vel a preſſione, quam in viſcera vicina exercet, vel a diſtractione; ſic ſacco multum diſtento facile inflammatio accedit & humore contento acriori reddito excoriatio atque gangræna. Sic *Frank* in magno ovariorum hydrope uterum elongatum vidit & ſitu motum verſus illud latus, cujus ovarium hydropicum fuit, unde oris uterini obliquitas.

Diagnoſis hydropis ſaccati petitur ex tumore ab initio ſaltem circumſcripto, lente increſcente, ſitum niſi liber fuerit, non mutante, preſſioni cedente, eaque ceſſante ſe reſtituente, fluctuante, niſi nimia ſacci repletio, aut aquarum membranarumve craſſities fluctuationem impedit; urinis ſatis reſpondentibus, functionibus ſat bene procedentibus, tum ex eo, quod leviores ſibi videantur ægrotantes. Sic hydrope ovariorum frequenti malo laborantes, bene utcumque valentes, fere deambulant. Profunde ſi fuerit ſaccus locatus, difficilior diagnoſis. Hydrops ſaccatus fluctuationem edens pro aſcite, graviditate imponere valet.

Cauſæ hydropis abdominalis, qui, œdemate pedum excepto, frequentiſſimus eſt, ſunt hydropis generales, potiſſimæ tamen:

1. Inflammatio peritonei, ut in puerperis, inteſtinorum, colica gravis, quæ fere enteritis eſt, unde hydrops acutus, plerumque puriformis.

2. Refrigerium abdominis corpore calefacto, ſæpius aſciten, quam aliam hydropis ſpeciem infert; ſic milites, meſſores, itineratores excalefacti, abdomine ſuper ſolum frigidum decumbentes, aſcite ſæpe tentantur.

3.

3. Anasarca præsertim viscerum abdominalium, rupta enim cellula quadam effusæ aquæ asciten constituunt.

4. Ruptura vasorum lymphathicorum abdominalium — sed rarius.

5. Excretiones sanguineæ abdominales, mensium, hœmorrhoidum, ex vitio sive sthenico, sive asthenico suppressæ. Mulieres, dum menses illis fluere cessant, sæpe ascite, plerumque quidem asthenico laborant. *Frank* puellam 14 annorum asciticam, quater paracentesin passam, vidit restitutam accedente hœmorrhoidum fluxu. Idem asciticum, hœmorrhoidibus alias assuetum, venæ sectione sanavit.

6. Frequens ascites post morbos intestinorum diuturnos aut graves, diarrhœam puto chronicam, dysenteriam, drasticorum item abusum.

7. Hydropis peritonealis possunt esse multæ causæ, quæ fæminas potissimum concernunt; hæ enim præ viris laborant, ob distentionem integumentorum abdominalium, per graviditatem, abdominis validam ad mensam appressionem, dum dolores partus urgent, per rudem obstetricantis tractationem; vide *Morgagnii epistolam* XXXVIII. numero 55.

Prognosis ut de hydrope in genere fere habet, potissimum tamen juxta causas instituenda, quæ si auferri queant, ascites quoque sanabitur. Ascites sæpius quidem sanatur, quam hydrops pectoris; at & sæpe lethalis est. Post febres intermittentes natus facilius fere sanatur, quam aliunde ortus. Post hœmorrhagias natus, nisi vires plurimum fractæ fuerint, facile fere sanatur; cum gravi viscerum obstructione incidens malus; malus cum magna debilitate & febre junctus.

Ubi malo inveterato dolor colicus accedit, febricula cum calore urente, vomitus, facile inflammatio funesta & gangræna intrat. — Plerumque hac morte pereunt ascitici.

In-

Interdum mole aquarum adeo extenditur abdomen, ut ex distractione plurimum doleant ægrotantes, anxietate summa, desperabunda corripiantur. Humor puriformis paracentesi sive educatur, sive umbilico sponte rupto effluat, sanationem rarius admittit: exempla tamen felicia sunt. Humor purulentus paracentesi eductus, prognosin fere lethalem reddit. *Fabre* tamen post quintam paracentesin salutem vidit restitutam.

Saccati prognosis cum prognosi hydropis generali multa habet communia, ob sacci tamen naturam diversa conditio; gradatim functiones plerasque pressione intercipit, sanationem fere respuit. Nec eum aperiri licet, nisi concretum cum peritoneo noveris; etenim si v. g. ovarium non concretum aperueris, humor in ventris cavum defluens, malum dabit exitum. Nec ubi saccus plurimum distentus fuerit, ab apertura quid sperandum; deficere enim videntur vasa lymphatica, quæ resorptionem peragant.

Puncturam ovarii *Frank* instituit, sed pœnituit facti, quia vix aqua, sed fere educitur humor oleaginosus & plura fere cava adsunt, (ut in aliis etiam saccis non maximis) non communicantia; unde alia sanationis difficultas.

Memorabilem tumoris cystici per vesicam urinariam effecti *Frank* vidit in presbitero 70 annorum, qui quum adveniens cum extremis frigidis, pulso nullo, facie hypocratica, linteis calidis vinoque refocillatus, sub examine tres in abdomine tumores quasi cysticos, variæ magnitudinis exhibuit, elasticos, circumscriptos, non dolentes, nec locum mutantes, ægroto non nisi a 5 diebus cognitos. Pro hydrope saccato res declaratur. Post aliquot dies deambulans urinas mittere nequit; idem adhuc abdominis status. Ordinatur clyster & nisi urina respondeat, catheteris applicatio; clystere injecto alvus & urina moventur. Post biduum idem incommodum, idem consilium, cum eo-

dem

dem effectu. Post biduum alterum revertitur malum, idem consilium, sed die sequenti mortuum *Frank* reperit. — Vesica urinaria comparet valde distenta, sed non inflammata, at quasi herniosa, saccum enim lateralem exhibet cum vesica correspondentem, tertius tumor non amplius repertus, nec aquæ in abdomine inventæ. In alio hujus vesicæ loco fibræ vesicæ musculares membranæ intimæ egressum concesserunt, quæ vero nodulos, aliorum saccorum rudimenta, efformauit. — En exceptionem, vesicam urinariam repletam tumorem supra pube piriformem exhibere.

Simile exemplum in puero vidit, qui calculum in vesica satis extenta ostendit, & similes nodos; aliud *Pignaroli* conspexit. *Frank* vesicam urinariam novit in duas partes fere æquales divisam, quarum quævis unico tantum uretere fuit instructa.

In cura valent præcepta de hydrope sanando generalia; si sthenicus fuerit, debilitantia, si asthenicus, excitantia tentanda. In hydrope curando, sicut in morbis curandis plerisque, sæpe systematis nervosi ratio habenda, præsertim in histericis, irritabilibus; sic *Prohaska*, qui ob hydropem præsentem cataractam invitus extraxit, vidit fœminam visu per operationem restituto plurimum gavisam multas sponte urinas reddentem, & ab hydrope sanatam. Adeoque in sensibilibus pathemate ingrato vexatis, dolentibus, agendum antispasticis, ipsiusque opii parcis dosibus. *Mead & Monro* opio corroborantibus addito urinas auctas viderunt.

Opium & illis cum fructu exhibetur, quibus diuretica per alvum ruunt.

Auxilia chirurgica.

Paracentesin multi rejiciunt, eamque vel inutilem habent, si viscera corrupta fuerint, atque causa auferri nequeat; vel non necessariam, si viscera sana, & medicamina sola sufficere possunt. Sola quidem paracentesis non sanat, quia causam

ſam non aufert; atque *Frank*, qui eam ſexcenties forte inſtituit, ſexies ad ſummum proficuam ſolam vidit; luculentiſſimum tamen exemplum dedit fœmina ticinenſis emaciata, deſperabunda. Sæpius tamen id obtinuit, ut poſt paracenteſin remedia melius agerent, ſanationemque perficerent antea non obtinendam. Videntur enim aquæ plurimæ per compreſſionem partium omnem reſorptionem impedire, ipſosque renes comprimere; docere id videntur urinæ poſt paracenteſin largius fluentes.

Atque vel ideo non omnino reprobanda, quod preſſionem moleſtam auferendo ſtatum ægri tolerabiliorem reddat, vitamque diutius ſuſtentet. Adeoque ubi aquæ aliter educi poſſe non videntur, non differenda, nam nec adeo moleſta eſt, nec periculoſa, quam ægrotantes plerumque expetunt, ut levamen nanciſcantur.

Fuere, qui omni menſe &c, per plures annos paracenteſin experti ſint: *Mead* fœminam nobilem vidit, quæ anno ætatis 51 aſcitica facta intra 5 annos paracenteſi ſexageſies facta 1920 aquarum libras edidit, tempore intermedio ſat læta vivens, choreas frequentans; an forte ovariorum hydrope laboravit? Et ſane ratio, cur raro proſit, in eo eſſe videtur, quod tarde nimis ſuſcipiatur, ubi viſcera per compreſſionem & diſtentionem læſa ſunt. Maturiori vero paracentheſi obeſt, quod abdomine non ſatis repleto viſcera lædi poſſunt. Sed fieri apertura per lanceolam tuto poteſt, hocque modo ſimul vulnus latius obtinetur, per quod aquæ fors craſſiores evacuari poſſunt.

Aquæ evacuatæ ſat cito ſæpe redeunt, & quidem in ratione majori, quam quæ ingeſtorum eſt, ut adeo ex atmoſphæra aquæ attrahi videantur; quemadmodum in diabete major urinarum quantitas mititur, quam quæ ex ſolis ingeſtis repeti queat. An forte quantitas aſſumpta excedens pendet a corporis liquefactione? Ad hoc detegendum non ſolum ingeſta, ſed & ægroti corpus ponderandum foret.

Jux-

Juxta *Celſum* tamen paracenteſis locum non habet apud eos, qui ſtomachum corruptum habent, aut cachectici ſunt. Juxta *Haënium* excluduntur ſcirrho, ulcere viſcerum aut dolore partis nobilioris laborantes; excluduntur phthiſici, debilitate magna cum febre hectica laborantes; in his enim mors acceleratur, nam vel ipſæ obſtructiones poſt aquarum detractionem increſcere videntur.

Ubi tamen moles aquarum ſuffocare videtur, vel in his caſibus tentandum *Frank* putat, modo gangræna ſubeſſe non videatur, monitis tamen adſtantibus, operationem eſſe admodum dubiam. Antequam inſtituatur, de ſpecie aſcitis conſtare debet, ne veſica diſtenta, aut hydrops ovariorum &c. pro aſcite aperiatur.

Paracenteſin felici cum eventu, & absque uteri læſione ter in gravidis inſtitutam refert *Swieten*. *Frank* in graviditate negata, quam ex mammarum turgore ſuſpicatus eſt, licet & aliunde turgere poſſint, absque uteri læſione inſtituit; filium enixa ſanata eſt mulier. Serius tamen iterum hydropica periit. — Quod & quibusdam aliis ſub graviditate hydropicis contingit; quædam tamen partu edito vix non ſponte ſanantur, ante partum nulla arte ſanandæ. *Frank* hydropicam quandam partu abſoluto digitali purpurea ſanavit brevi tempore, aliis remediis non ſanandam.

In actorum Edinburgenſium Tomo V rarum habetur exemplum abdominis in duas cavitates diviſi, ut paracenteſis in utroque latere fuerit inſtituenda. Quomodo inſtituenda ſit, chirurgia docet; inſtituitur fere in latere ſiniſtro, ne hepar forte grandius inſtrumeuto lædatur. Cavenda item læſio faſciæ muſculorum rectorum & arteriarum, venarumque epigaſtricarum a criſta pubis ad hypochondrium adſcendentium, ibique cum mammariis unitarum, quæ non ſemper varicoſitate ſe produnt.

L o c u s i n c i ſ i o n i s definitur f i l o a criſta ſuperiori ibi ad umbilicum ducto, quod dein du-

pli-

plicatum locum intermedium designat, qui atramento notatur, instituiturque in hac linea operatio, æquali fere a linea alba & spina dorsi distantia. Si abdomen valde tumuerit, loco paulo inferiori instituendam *Swieten* suadet.

Si vires permittant, instituitur fere, dum æger sellæ insidet, præsertim si abdomen non multum tumeat; quia juxta *Haënium* aquæ in sedente magis assurgentes viscerum lædendorum periculum imminuunt.

Veteres iteratis vicibus aquas emittendas recte dixerunt, ne lypothimia, aut mors ex inanitione accedat. Nunc vero cum stringere abdomen sciamus, una vice emitti posse videntur, nisi plurimæ fuerint, aut vires debiliores vetaverint.

At compressio abdominis aquis evacuatis ubique necessaria est, secus monente *Monroo* aquæ cruentæ facile colliguntur, vasa enim aquis eductis laxata dimittere sanguinem videntur. Sed pro constrictione non semper fascia *Monroi* necessaria est, fieri enim potest linteo manuali, vel ipsis adstantis manibus; aquis vero eductis fascia quævis applicari potest.

At ne sub hac quidem cautela tutum quibusdam visum est aquas omnes simul emittere, cannulamque relinqui volunt, ut educi reliquæ post aliquod tempus possint. Alii vero cannulæ reliquendæ se opponunt, tum quod molesta sit ægrotantibus, tum vel maxime, quod aër intrans aquas contentas corrumpere valeat. *Frank* tamen 6 septimanis relictam vidit, & quidem apertam ita, ut aquæ continuo fluerent; æger quidem mortuus, at de nullo ex cannula incommodo questus est. Idem novit cannulam in vesica per anum aperta per 5 septimanas relictam cum sanitate insequuta. An vero tempore tam diuturno arenulæ &c. acrescere non possunt, extractionem cannulæ impedientes?

Interdum aquarum fluxus intercipitur ob cannulam per filamenta, hydatites, omentum, in-

inteſtina obturatam, quæ filo nodoſo lente removenda, nam omentum facile læditur.

Pro reſtituendo aquarum fluxu intercepto juvat ſæpe alium ægro ſitum conciliare: interdum tamen ſitus mutatus non juvat, ut aquæ quaſi emulgendæ ſint compreſſione, quia abdomen diſtractione diuturna debilitatum aquas non ſatis urget. Si aquæ, vel ob hydatites, vel ſpiſſitudinem gelatinoſam non fluant, qualem caſum *Tozetti & Frank* viderunt, vulnus dilatandum eſt. *Hyppocrates*, ubi hepar grande, inuri abdomen juſſit. At recentiores ferrum candens lanceola ſupplent.

Monrous, ubi abdomen non multum repletum, integumenta abdominalia, muſculosque perſcindendos lanceola putat, quia minor dein vis requiritur pro abdomine aperiendo, & minor viſcerum lædendorum metus eſt. In pinquibus, ubi cannula in cavitatem abdominis vix pertingeret, ſic incedendum, dum veſica urinaria ſupra pubem aperienda.

Quemadmodum *Frank* methodus paracenteſin inſtituendi non placet, ita & locus diſplicet. Ipſe quidem inſtituendam loco profundiori putat, ut evacuari omnes aquæ poſſint; apud fœminas nempe per vaginam, apud viros per inteſtinum rectum, eo magis, cum veſica urinaria per inteſtinum rectum ſciatur apertam. Vagina dilatata depreſſa, fluctuansque pro abſceſſu habita, ope lanceolæ a *Watſonio* 1777 eſt aperta, aquis effluentibus tumor abdominis ſubſedit, & ſanitas ſecuta eſt. In alia item fœmina aquas hac via eduxit, at ſanata non eſt; in tribus caſibus hanc operationem tricuspide inſtituit, ubi minor hæmorrhagia exorta eſt.

Inſtituenda vero vaginæ apertura quaſi in antro illius, non vero in parte laterali, ubi notabiliora vaſa decurrunt. Richter in der chirurgiſchen Bibliothek Band XII. de valore hujus operationis dubitat, nec neceſſariam putat, cum ab aquis paucis relictis metuendum non ſit; approbat tamen,

ubi

ubi vagina protuberat. *Scarpa* a vaginæ læſione olim ſibi metuebat.

Si aquis eductis dolores colici ſpaſticæ indolis oriantur, nati aut ex animi-pathemate ob operationem perferendam, aut ex mutatione per evacuationem inducta, ſuadente *Monroo* ac *Hænio rationis medendi* Tomo IV. lenia anodyna, opiata conducunt, ſicut *Swietenius* commendavit in doloribus ſimilibus poſt partum cito abſolutum.

Monrous ſic præſcribit:

℞. Aquæ menth. piperitæ unc. j.
— cinam. ſpirituoſ. unc. β.
Tinct. caſtorei dr. β.
— anodynæ gutt. xv.
Salis tartar. ſcr. j.
Syr. cortic. aurantior. dr. j. pro hauſtu veſpertino.

Frank ſimplicius ſic:

℞. Aquæ flor. chamom. unc. iv.
Liquor anodyn. min. *Hoffmann.* dr. j.
Tinct. anodyn. gutt. xv.
Omni bi- trihorio cochlear. j.

Hydrops cyſticus internis vix curatur; *Frank* tamen in puero hydropem omenti diureticis ſanatum vidit. Nec paracenteſis fere prodeſt, nec exſtirpatio; eſt compreſſio ſacci diuturna ſemper ſufficiens ad ſanationem. Illam diſſuadet *Hænius rationis medendi* Tomo XI. *Duverney junior* nullum hydropem ſaccatum paracenteſi ſanatum vidit.

Morgagnius epiſtola XXXVIII. numero 68 inutilem, imo noxiam eam habet; interdum ſacci pulmonum tuſſi, aut ſternutatione rupti aquas per os evacuarunt. Vide *Monroum & Swietenium.*

In hydrope peritoneali, ſi diagnoſis juſta fuerit, apertura ope tricuspidis inſtituenda.

Aquis eductis peritoneum, & muſculi abdominales per inflammationem interdum coaleſcunt, quod ni fiat, operatio repetenda. *Nuck* apud *Morgagnium* operationis felicis exempla duo habet.

Si

Si vero plures tumores adfuerint, ſinguli aperiendi cavendo, ne fiſtulæ fors ſuccedentes prætervideantur. Poſt aquas eductas indicantur, quæ mali indoles ſthenica, vel aſthenica expetierit.

Genus VII. Hydrometra.

Genitalia externa œdemate ſæpe laborant, præſertim in gravidis, ita, ut abſolvi partus nequeat, niſi œdemate per ſitum, fotum aromaticum, ſcarificationem, cucurbitulas ablato; nam vaginæ dilatatio multum pendet a genitalibus externis, quæ diſtenta fere diſparent, aquis vero turgidæ cedere nequeunt.

Oedema nympharum caput infantile magnitudine æquantium binis *Frank* ſcarificationibus ſanavit; ſed & genitalia interna, uterus nempe cum appendicibus ſuis, hydropica redduntur. Uterus quidem virgineus adeo parvus eſt, ut cavum vix conſtituat, at ſub graviditate auctus cum appendicibus ſuis ſuperficiem ſat amplam conſtituit, notabiliter perſpirantem; ſi jam morboſa reddatur ſecretio, multæ mox aquæ aut humores puriformes colligi poſſunt in ovario, vel in utero, ore illius clauſo.

Cullenio definitur: aſſurgens in regionibus iliacis paulatim creſcens tumor, uteri figuram referens, preſſioni cedens, fluctuansque citra iſchuriam & graviditatem. At poteſt iſchuria adeſſe & tamen uterus laborare; nam uterus turgens comprimere veſicam valet. Et quomodo dicere potuit, citra graviditatem, cum hydrops uteri in gravidis frequentiſſimus eſt?

Frank definitur: liquidorum aqueorum, vel in uteri ſubſtantia, vel in illius cavo, vel in partibus ad uterum pertinentibus, morboſa collectio. Morbos hos noviſſe videtur *Hippocrates* de mulierum affectionibus, etenim abortus inde derivat.

Dividitur ratione ſedis aquarum:

1. In œdema uteri, ſi aquæ in uteri ſubſtantia ſtagnant. Circa uterum multa contingunt non-

nondum ſatis intellecta, miraque producentia phœnomena. Fæminæ pleræque ante menſium eruptionum dolores circa lumbos patiuntur & abdomen, fereque tument; ſanguine ad paucas uncias fluente ſingula componuntur, non certe ob ſanguinem paucum evacuatum; an forte ob congeſtionem nunc ablatam? — vix fere videtur. Exemplum mirum cum *Biernſtiel Frank* vidit; fæmina ſemel jam puerpera pro gravida iterum habetur per 10 menſes, ipſa fœtus motum percipere ſibi videbatur, menſe 13. nullus adhuc partus, corroborantibus intra 3 menſes reſtituitur, quin evacuatio notabilis ulla ſequeretur.

2. In hydrometram aſciticam *Sauvageſii*, ſi in ipſo uteri cavo hærent fluctuantes, aut non fluctuantes. Uteri in cavo hydropici exemplum *Rhaſes* habet: fœmina gravidam ſe putans in terram concidit, & aquis multis per vaginam evacuatis convaluit. Exemplum habet *Dodonæus*, ubi mammæ lacte turgebant, quæ & ab alio peregrino in utero hærente ſororiare interdum ſunt viſæ. — *Veſalius* ex utero non gravido 180 libras aquarum evacuatas vidit.

Frank puerperam vidit, cui quarto a partu die lochia ceſſarunt, venter plurimum intumet fluctuans; emollientibus impoſitis &c. poſt 24 horas 4 aquarum menſuræ fluxerunt, abdomen concidit; fuit igitur hydrops acutus. — Fæminam ſanam idem vidit, quæ 10 menſibus gravida videbatur, mammis lac fundentibus, doloribus velut parturientis comparentibus, uterus exploratus ſigna fœtus præſentis nulla dedit, effluente poſtea aqua mucoſa abdomen concidit. — Vidit idem virginem nobilem 6 menſibus non menſtruantem, ſed aquas multas pellucidas evacuantem, acidas, nam veſtem ſericeam cœruleam rubro tinxerunt colore.

Apud *Cheſion* puella nubilis in regione iliaca dextra percuſſa, poſt 6 ſeptimanas ut gravida tumet; poſt menſem aquæ fluunt, tumorque diſparet; poſt menſem iterum aquæ, dein menſtrua

fluunt; fluunt aquæ menſibus adhuc pluribus, filium parit debilem poſt 4 dies mortuum, pergit aquas evacuare, quidquid tentatur; imprægnatur, ceſſant menſes, fluunt aquæ, filium ſanum enititur, & ipſa mater ſanatur.

In *Fernelii* caſu aquis ſingulis menſibus evacuatis, menſtrua ſucceſſerunt; hinc ſanguis menſtruus ſecretione evacuari cenſendus eſt, eo magis, cum poſt lochia per aliquot dies humor exſanguis fluere continuaret. Hydrops uteri vix contingit in puellis nunquam menſtruatis, rarius in non maritatis, plerumque vero in gravidis & puerperis.

3. In hydropem uteri gravidi; ſi aquæ in gravidis inter internam uteri ſuperficiem & membranam fœtus extimam, in decidua *Hunteri*, in loculo nunc uno, nunc pluribus hærent, aquas ſpurias quæ conſtituunt. — Liquor amnii excedens quantitate pondere quidem & mole lædere valet, & ſub partu evacuatus ob inanitionem lypothimiam inducere; a magna enim liquoris amnii copia uterus quaſi paralyticus redditus contrahendi impos evadit, ſed ad uteri hydropem id non pertinet.

Exemplum hydrometræ gravidarum habet *Mauriçeau*, qui in parturiente, quæ ante 3 menſes multas aquarum libras vagina evacuavit, membranas fœtus obſervavit integras, ut eas pro partu abſolvendo perforare debuerit. *Cheſtoni* ſnb eadem graviditate aquas effluere ſæpius vidit, fœtus membranis integris.

Multæ gravidæ octavo graviditatis menſe hac ratione aquas ſpurias dictas evacuant, atque abortum metuentes poſt menſem, comparentibus fœtus aquis, prolem ſanam enituntur. Fæminæ, quæ multas aquas ſpurias gerunt, prolem non ſemper debilem enituntur, & parvam, ut vult *Swietenius*.

Fabricii uxor geſtans utero male habuit, abdomen plurimum tumuit, doloribus partus accedentibus 12 libræ aquarum evacuantur, poſt horam mediam ſequuntur aquæ fœtus ad 9 libras, ſuccedit filius ſanus. Aquæ ſpuriæ pluribus interdum loculis

con-

continentur, ita, ut uno aperto, alii poſſunt adhuc clauſi eſſe.

Hydrometra hydatoidea habetur, ſi veſicæ aqua repletæ, vel ad uteri ſuperficiem externam vel internam, vel etiam ad placentam accretæ ſunt. — In leporibus aliisque beſtiis juxta *Gœtze* placenta hydatitibus, & quidem animatis ſæpe repleta; hydatites in placenta humana vidit *Wrisberg* — an & hæ fuere animatæ? In fæminis, quæ hydrope uteri laborantes gravidæ redduntur, aquæ in quodam ſacco contineri debent, ut apud *Cneſton* & *Schenkium*, qui partu edito intumere abdomen vidit, quaſi alter partus inſtaret, atque hoc tumore perſiſtente fæmina concepit.

4. In hydropem tubæ Fallopianæ; quæcunque enim utero accidunt, eadem & in tubis & ovariis contingere poſſunt.

5. In hydropem ovariorum, hydrope uterino longe frequentiorem. Vide *Aſtruc de morbis mulierum* Tomo IV. libro 4. — *Bianchi* 80 libras aquarum ex ovario dextro. — *Haënius rationis medendi* Tomo V. capite 8, libras 31 ex ſiniſtro eduxit. — *Tulpius obſervationum* libro IV. ovarium utrumque hydropicum habet ex hydatitibus. — *Wepferus* 120 libras, an in tuba, an in ovario, vidit? — *Simſon* hydropem ovariorum licet inſignem absque dyſpnœa vidit. — *Frank*, qui ſexageſies forte hydropem ovariorum vidit, ſemel 107 aquarum libras conſpexit.

Hydropis ovariorum porro exempla habent: *Monro de hydrope.* — *Nuck*, *Schenkius* libro III. — *Rolfing* capite 20. — *Fridericus Hoffmannus praxeos medicæ* Tomo IV. — *Vateri diſſertatio ſiſtens graviditatem ex ovarii dexteri tumore inſigni.* Wittenbergæ 1722. — *Imhoff diſſertatio ſiſtens ovariorum hydropem in virgine repertum*, Baſileæ 1718. *In opuſculis Halleri.*

Alexander Monro fæminam habet, quæ prima vice ſe gravidam putans, poſt 10 menſes aquas per genitalia evacuit, probabiliter ex ovario in

uterum transgressas; nam altera vice aquæ collectæ sunt lethali cum eventu, & in ovario inventæ. Idem ovarium habet cum inteſtino colo concretum, unde ſimiles materiæ per anum evacuatæ, quæ poſtmodum in ovario repertæ. *Frank* 1788 tractavit fæminam per 4 dies cum tuſſi continua, ſtertoroſa, crurum tumore, extenuatione ſumma, pulſu intermittente, maculis velut petechialibus, ventre diſtentiſſimo, fluctuante, tumore in integumentis abdominis quaſi diſtante, paracenteſi materia viſcida, vireſcens, flava, purulenta educitur. Poſt mortem detegitur aſcites & hydrops ovarii dextri concreti cum hepate, omentum gangrænoſum; ovarium ſiniſtrum materiam ſimilem continuit, ſed copia longe minori, tum etiam pilos longos in materia quaſi caſeoſa reconditos, & os petroſum. Adeoque impraegnatio olim in ovario facta, fœtusque in materiam hanc velut ceraceam, aut ſpermati ceti ſimilem diffluxit, quemadmodum Pariſiis in cœmeterio innocentum integra ſtrata ſimilis materiæ inventa ſunt. Sceleton quoque fœtus in ipſo ovario hærens *Frank* vidit poſt liquefactas carnes reſiduum.

Exempla habentur fæminarum, quæ infantis motum ex uno latere in ovarii regione percepe runt; ex quo cum partus ſequi nequeat, emoriendum fœtui eſt, aut ovario rupto in cavum abdominis labitur, unde mors matris ex hæmorrhogia in cavum abdominis facta; idem contingere poteſt fœtu in tuba Fallopiana hærente. Si ovarium gravidum cum inteſtino colo, aut recto concretum ſuppuratur, capilli & oſſa exire per anum poſſunt, unde partus diabolici olim habiti explicantur.

Hydrops ovariorum non nimis acutus ex pluribus veſicis non communicantibus conſtat; hic licet ſectio fieret, evacuari tamen omnes aquæ non poſſunt; nec ab initio aquæ, ſed fere materia gelatinoſa reperitur varii coloris, nec in malo adulto & aucto aquæ ſolæ adſunt, ſed diſſepimenta

ma-

maxima parte disparent. Interdum unicus loculus quasi unicum ovulum redditum hydropicum turget.

Tumorem mirum in regione ovarii *Frank* vidit, descriptum in Franks kleinen Schriften, übersetzt von Eyerel pag. 83. — Cui historiæ addendum, quod illa fæmina sanitati restituta in nymphomaniam inciderit, etsi in ea fere ætate constituta esset, ubi sterilitas intrat, nec unquam in vita salax fuisset. Post 6 fere annos fluere materia cœpit priori similis, post aliquod tempus iterum sanata liberatur a nymphomania, & optime habere cœpit.

Ratione materiæ est aquosus, puriformis, purulentus, sanguinolentus: hydrometram sanguineam *Sauvagesius* habet. Ante 3 annos puella nondum menstruata cum insigni ventris tumore accedit nosocomium. *Zeller* uterum plenum detegit, fluctuantem, os uteri non detegendum. Secto utero multus sanguis effluit, sanitate brevi restituta. Post 6 menses vulnere fere clauso iterum tumet, secta sanguinem fundit, mox sana discedit, hactenus non reversa. — Huc casus puellæ pertinet, cui hymene clauso sanguis menstruus retentus est. Atque tali morbosa sanguinea, aut alia etiam uteri repletione spe excidunt, quæ hæredem exoptant, plectuntur steriles circa annos, quibus menses emanere solent, fama periclitantur virgines, præsertim si mammæ simul sororiaverint.

Testante experientia abscessus in uteri substantia nasci potest, unde pus, vel in uteri cavum effunditur, vel in abdominis cavum malo eventu, vel etiam in intestinum colon, aut rectum cum utero forte concretum. Interdum uterus suppuratus supra os pubis effudisse pus est visus. De utero suppurato agit *Hippocrates de morbis muliebribus* libro I. sectione I. cujus signa sunt mensium, aut lochiorum suppressio, dolor circa pecten, atque tumor, qui meliore cum omine die 7—9 rumpitur.

Exemplum uteri suppurati vide in *Boneti sepulchreti* Tom. III. & apud *Blancardum.* Uterum omnino purulentum *Blasius* habet. Interdum diu

pus

pus retinetur, lente malum increſcit, atque gravida apparet ægra, aut uterus plurimum extenditur, fluctuat, atque pro aſcite aperitur.

Si excoriatur uteri ſuperficies interna, ſterilitas ob cicatrices relictas. Si rumpitur abſceſſus per genitalia externa, niſi cito ſanatio ſucceſſerit, ægra periclitatur.

Exulceratio uteri diſtinquenda a fluore albo, quod ſæpe difficile; ubi inflammatio prægreſſa; dolor magis ad pubem eſt, febris lenta adeſt cum ſudore nocturno, de ulcere vix dubium eſt. At fluor albus diu durans interdum ulcera producit, ubi iterum difficilior diſtinctio. Circa hydrometram flatulentam *Sauvageſii*, vide pneumatoſin flatulentam pag. 24.

Ratione originis dividitur in hydrometram a vitio totius ſyſtematis, ſive ſthenico, ſive aſthenico, vel frequentiſſime a vitio locali natam.

Signa, quæ *Hipocrates de morbis muliebribus* ſectione III. libro I. de uteri hydrope ſtatuit, *Frank* non placent. Errat dum putat, mammas ſub hyhydrope uteri ſemper molles eſſe, ac lac nunquam continere. Menſtrua quidem in plerisque ſupprimuntnr, in hydrope tamen uteri ſaccato reſpondere poſſunt, eo magis, cum ipſa adeo imprægnatio locum habeat.

Hydrops uteri ab utero gravido juxta *Sennertum* diſtinquitur per ſequentia:

1. In hydrope uterus æquabiliter tumet, ſub graviditate tumor abdominis comparet acuminatus. Hanc differentiam *Frank* non concedit.

2. Si mulier abdomine tumens adultior, conceptionis vix amplius capax, bono faciei colore inſtructa fuerit, uteri hydrops adeſſe cenſendus. At, & gravidæ dantur, quæ bono faciei colore gaudent.

3. Confirmatur uteri hydropici diagnoſis, ſi poſt 10 menſes a conceptione perſuaſa partus non ſequitur. At quis exſpectare tamdiu cum diagnoſi poteſt? Sed ne tum quidem de hydrope abſolute conſtat,

ſiat, niſi fluctuatio atque alia eum loquantur. Circa cremonam fæmina annis 50 major uterum magnum ac durum geſtans, febris pernicioſæ intermittentis quinto paroxismo enecatur; in utero deprehenditur os magnum, conſtitutionis organicæ expers; adeoque os fœtus non fuit, ſed e ſteatomate induratum, nam ſteatomata alia adfuerunt.

4. Si fœtus motus non percipitur, ſi mammæ, ubi partus ſequi deberet, molleſcunt, hydrops adeſſe putandus. Atque quædam fœtum geſſerunt mortuum, aut ſteatoma, hæ ſane fœtus motum percipere non potuerunt, nec tamen hydrope uteri laborarunt. Fæminam nobilem *Frank* Viennæ vidit adhuc viventem, cum abdomine prægrandi, quæ tres proles enixa, menſium ſuppreſſione laborare cæpit, abdomine tumere, ut gravida haberetur. *Zeller* aliique explorantes nec pro, nec contra decidere audent. Menſe 13 graviditatis putatæ *Frank* vocatur, ventrem videt tumidiſſimum, habitum mulieris bonum, fœtus motus adhuc nullus obſervatus, fluctuatio nulla percipitur, nec admotis ad os uterinum digitis.

5. Sub graviditate nunquam fluunt menſtrua, fluunt ſæpe aliqua in hydrope uterino, quod falſum eſt.

Morgagnius epiſtola XXXVIII. numero 67. circa diagnoſin uteri hydropici ſequentia habet: Si magna ventris moles longo tempore duravit; ſi tumor paulatim, ut in graviditate, increvit ſine multo incommodo & cute faciei parum mutata; ſi artus inferiores tarde tumeſcunt; ſi purgantia non juvant, non adeſt aſcites, ſed in cavo quodam aquæ hærent. Num vero in ovario, tuba, ligamento lato, determinari juxta *Morgagnium* nequit?

Juxta *Frank* hydropem uteri augurari licet, ſi diſpoſitio hydropica adeſt, urinæ paucæ fluunt; ſi nullus infantis motus percipitur, cujus percipiendi tempus jam eſſet; ſi minora, quam ſub alia graviditate incommoda premunt; vel ſi diutius tu-

mor

mor perſiſtat, quam tempus graviditatis concedit, vel ſi in vetula, ubi emanere menſes fere ſolent, tumor contingit; maxime vero exploratio inſtituta rem docet, uno enim, vel duobus digitis ſub ſitu fæminæ erecto ori uteri applicatis & abdomine altera manu percuſſo, fluctuatio percipitur, niſi aquæ in ſacco hæſerint. An pedes tument, nec ne, parum refert; nam tument multis gravidis, & quibusdam hydropicis non tument.

Hydropis tubæ Fallopianæ difficilis cognitio. An noſcitur tumore transverſo longiuſculo? — forte ab initio cognoſci ita poteſt, at malo aucto hæc figura perditur, atque juxta *Morgagnium* epiſtola XXXVIII. numero 40. cum tuba ovarium fere ægrotat.

Signa hydropis ovarii juxta *Swieten* ſunt: dolor obtuſus, & ſenſus ponderis in loco affecto ſub morbi principio, una cum tumore lateris infirmi; diagnoſis certior redditur, ſi crus ejusdem lateris tumens poris inorganicis aquas fundit. Exſudare aquas *Frank* nunquam conſpexit.

Juxta *Frank* diagnoſis hydropis ovarii initiantis obſcura eſt: oritur tumor in uno latere profundus in regione ovarii, ponderis ſenſum excitans, præſertim ſub converſione in alterum latus, mobilis, preſſioni cedens; at & ſine mobilitate tumoris hydrops ovarii adeſſe poteſt, ſi nempe cum peritoneo concreverit, ut habet *Alexander Monro* & *Morgagnius* epiſtola XXXVIII. numero 39. Nec obtuſus ſemper dolor adeſt & pauca non niſi incommoda circumdant, nam commedunt, deambulant, menſtruantur, quin imo concipiunt; aliquando dolor ſub decumbendo, malo vero plurimum adaucto quietem ægra niſi in lecto vix capit; aliquando fluctuatio in latere abdominis affecto manifeſta fit, non tamen percipienda, ſi aquæ, aut craſſæ, aut multis loculis diviſæ, aut ſacci membranæ craſſiores fuerint.

Si ex utroque latere ovarium tumet, ex utroque latere tumor perſentitur, media vero abdominis regio fere ſubſidet.

Ab aſcite hydrops ovarii diſtinquitur, quod abdomine perpendiculariter quaſi percuſſo inter integumenta abdominalia, & tumorem ovarii ſpatium quaſi vacuum appareat, & ſub magno ovarii tumore uterus in longum trahatur, ore uterino non percipiendo, aut in latus preſſo, aut ſurſum tracto.

Cauſæ hydrometræ præter eas, quæ cuivis hydropi communes ſunt.

A. Juxta *Hippocratem* abortus, & menſium ſuppreſſio, ſed menſium ſuppreſſio alterius ſæpe morbi effectus eſt.

B. Morboſa in utero, vel circa illum ſecretio per inflammationem undecunque natam, & impedita humoris morboſe ſecreti evacuatio.

C. Cheſton in pathologiſchen Unterſuchungen und Beobachtungen der Wundarzneykunſt in ſpasmo oris uteri morbi hujus cauſam quærit. Et valet forte in hydrope acuto, valere vix videtur in chronico, quis enim ſpasmum per menſes durantem concipit?

D. Sæpe vitia ſubſunt organica, quæ os uteri claudentia aquas retinent. Huc ſcirrhus oris uterini pertinet; ſic *Fridericus Hoffmannus* uterum hydropicum vidit ſcirrhoſum, & vaſa concretionibus polypoſis repleta; huc excreſcentiæ oris uterini, ſic in fœmina, quæ 10 menſibus gravida putabatur, hydrops uteri cum excreſcentiis inventus eſt; huc oſſeſcentia apud *Monroum*, huc tumor glandularis ad os uteri apud *Bonetum;* huc os uteri in ligamentum firmum concretum juxta *acta naturæ curioſorum* ex prægreſſa probabiliter inflammatione, uti & vagina poſt illam concreſcere poteſt: huc *Veſalii de corporis humani fabrica* libro V. cap. 9. tumor durus cum peritoneo concretus, ubi hydrops ovariorum adfuit.

E. Grumi ſanquinis poſt lochia reſiſtentia nati pro tempore quidem os uteri claudere valent, at non tamdiu, ut illius hydrops naſcatur.

F.

F. Vagina concreta, tumores utero vicini illum comprimentes, menſesque retinentes jam ſecretos. At ſanguis hic poſt longius etiam tempus immutatus ſæpe educitur, ut adeo ſola oris uterini occluſio ad hydropem generandum non ſufficiat, ſed ſecretio quoque morboſa requiratur. An forte ſic enaſci hydrops poteſt, quod ſanguis in utero congrumatus ſerum dimittit hydropem conſtituens?

G. Inflammatio genitalium internorum, præſertim ovariorum excitata per vim quamcunque utero illatam, contuſionem puta, læſionem ſub partu &c. exulcerationem ſub variolis, lue venerea; ut in viris ſub gonorrhœa virulenta teſtes inflammati hydropem tunicæ vaginalis poſt ſe relinquunt, ſic ovaria inflammatione tum acuta, tum chronica hydropica reddi poſſunt. Sic puella honeſtiſſima mantuana furore uterino correpta, & venerem anxie appetens mortua oſtendit ſuperficiariam genitalium internorum inflammationem, quæ facile hydropem reliquiſſet, niſi vita erepta eſſet.

An tot cælibes hydrope ovariorum fors ideo laborant, quod ſub œſtro venereo, cui non ſatis ſit, chronica genitalium internorum inflammatione laborent, qua transſudatio morboſa contingit? Suadere ſic videntur vaccæ, quorum genitalia externa, dum œſtro venereo vere corripiuntur, rubent, turgent, & humorem rubellum plorant, ſæpe ægrotantes, ſi coitus ipſis negatur. Suadere videntur canes ſimilia perpetientes, & aves, quæ ſæpe moriuntur coitu excluſæ, præſertim ſi jam alias coitum expertæ ſunt.

Ad perfectam fœminarum valetudinem neceſſaria videtur generatio, ex cujus defectu tam multæ circa valetudinem querelæ, tam multa circa genitalia incommoda eſſe videntur in monialibus, apud alias cœlibes adultas, quin apud ipſas adeo maritatas, quæ nunquam pepererunt, ſive cauſa id fiat, ſive effectu.

Juxta *Morgagnium* epiſtola XXXIX. numero 28 ſæpe mulieribus accedunt ovariorum vitia, tumo-

res hydropici, aliaque quæ non ſine animi culpa fieri videntur (an forte manuſtupratio huc pertinet, quæ inflammationem chronicam inducere valet?) cujus in circulationem multum imperium eſt; accedunt ob menſium periodum, ob uteri gravidi molem, pariendi difficultatem, unde uteri inflammatio &c.

H. Pars placentæ in utero relicta hydatites contrahere poſſe videtur juxta *Ruyſchium*, & *Swietenium* commentariorum Tomo IV. Praeterea placenta relicta præſertim corrupta ſtimulum inferre, & peſſima mala inducere valet. Sic in puerpera, cujus ſecundinæ evacuatæ dicebantur, dolores ſummos ad hypogaſtria, vomitum, diarrhœam, febrim validam *Frank* conſpexit, quæ ſubito compoſita ſunt, dum die quinta pars placentæ evacuaretur.

Prognoſis: Hydrops uteri rarus, ſed periculoſus, præſertim ſi impedimenta circa os uteri fuerint non removenda.

Hydrops uteri gravidi minus malus; hydrops ovariorum raro curatur, ſed mortem lentam fere inducit. Ovaria admodum diſtenta, aut inflammata gangræneſcere poſſunt, aut rumpi; an & uterus nimis diſtentus rumpi poteſt?

Cura hydropis uterini, quæ ſæpe perdifficilis, ſæpe impoſſibilis eſt, pro varietate cauſæ differt.

Hippocrates de mulierum morbis libro I. ſectione III. circa hydrometræ curam ſic habet: multa calida lavare opportet, ſi dolor urgeat, quo ſedato purgans dandum, & fovere uterum emplaſtro opportet &c. At alvi purgatio rarius locum habebit, nec clyſteres uterini acriores veteribus uſitati ſemper conveniunt, eo minus peſſaria irritantia noſtris temporibus fere obſoleta, quia minus ſecurus eorum uſus eſt, inflammationem facile invitantium.

Valent in hydrope uterino, reſpectu ad cauſam habito, quæcunque in aliis hydropis generibus laudata ſunt, & quidem ſub debilitate balnea,

va-

vapores aquæ tepidæ ad uterum admiſſi, atque his in *actis naturæ curioſorum* decade III. fœmina hydrope uterino laborans reſtituta eſt. Apud *Morgagnium* epiſtola XXXVIII. numero 71. exempla habentur aquarum utero evacuatarum ſub riſu, ſternutatione, vomitu, motu corporis valido, & lapſu apud *Cheſton*.

Indolis ſthenicæ hydrometra vix erit, niſi fors poſt febrem puerperalem. Si vitium locale in vagina, vel ore uteri v. g. tumor, polypus &c. latuerit, id ipſum, ſi fieri queat, auferendum, & recidiva præcavenda.

Monrous, ubi graviditate non præſente vitium locale aquas retinet, catheterem in uterum imittendum præcipit, eoque extracto ſpongiam ceratam cum filo trajecto, ut extrahi poſſit, cervici ingerendam. Si aquæ ex utero plurimum diſtento dolore alvi, & urinæ ſuppreſſione ſtipato evacuari nulla ratione poſſint, *Monrous* puncturam uteri ope tricuspidis ad infimam illius regionem, an per vaginam? conſulit. An non melius fieret per inteſtinum rectum, ubi apud viros veſica urinaria perforari conſuevit? Uteri læſiones non mox lethales eſſe, docuit ipſa ſectio cæſarea absque morte inſtituta,

Frank uterum hydropicum cetera ſanum evacuata prius veſica urinaria ſupra oſſa pubis aperiri poſſe putat, licet lien tumidiſſimus hac in regione compunctus habeatur ſub paracenteſi uterina. Hydrops quoque ovarii, internis quidem nunquam ſanandus, difficilis curatu eſt; exemplum ope fotus reſolventis, cataplasmatis cum gummi galbano. & unquenti altheæ curati *Alexander Monrous* habet.

Ovarium hydropicum ſæpe inflammatum ſuppuratur, atque contenta in abdominis cavum dimittit, aut cum peritoneo concretum ad externa interdum eliminat.

Cum hydrops ovarii medicamentis vix ſanabilis ſit, de illius paracenteſi cogitatum eſt. At *Morgagnius* ovarii puncturæ non favet. *Tozetti* ab inte-

testino, omento fors interceptis sibi metuit lædendis; nec *Frank* sectione restitutam ullam novit.

Difficultates contra ovarii puncturam sunt:

A. Plura sæpe in ovario adsunt loculamenta inter se non communicantia, hinc unica punctura evacuari omnes aquæ nequeunt, sicque inutilis erit operatio.

B. Oleaginosa fere educitur materia, quæ sacco vix concrescente, cito iterum colligitur, aut saccus evacuatus ab æris accessu inflammari potest, & in gangrænam verti.

C. Potest simul adesse scirrhus, & varicositas venarum, quibus læsis hæmorrhagia interna lethalis contingere potest.

Ast nec ad id, ut punctura absque lethali eventu institui possit, concretionem ovarii cum peritoneo poscit, *Cheston* sufficere putat, si scirrhus abfuerit.

Duverney junior, qui in *Zodiaco medico galliæ* mense Februario duo exempla hydropis ovariorum sectione sanati habet, simile in *actis naturæ curiosorum* habetur, ut punctura institui queat, ovarium cum peritoneo concretum petit; bonum hoc consilium pro securitate operationis, secus enim contenta lethali cum eventu in abdominis cavum depluent, at sic sacci evacuati concretio obtineri nequit, neque sanatio. Porro petit, ut pauciores sint aquæ. At aquarum contentarum quantitas difficulter scitur, nec de operatione fere cogitatur, donec sat notabilis tumor fuerit.

Morgagnius epistola XXXVIII. numero 69 — 71. putat, exempla illa tria hydropis ovariorum sectione sanati fuisse potius hydropem peritonei, aut abdominis saccatum.

At juxta *Frank* tria illa exempla persuadere valent de possibilitate felicis eventus per ovarii hydropici puncturam obtinendi. — *A.* Si in tempore instituatur, sacco non nimium distento. *B.* Si simplex hydrops ovariorum fuerit. *C.* Si ovarium

cum

cum peritoneo concretum, ne contenta in abdominis cavum delabantur. At palliativa hic ſolum erit, quia concretio ſacci exſpectari nequit.

An non fors expediret ſcopo mere palliante puncturam ovarii hydropici inſtituere? Suadere ſic videntur *Friderici*, *Ford*, qui eam ibi faciendam ſuadet, ubi manifeſtior eſt fluctuatio, ne membranæ fors craſſiores punctæ inutilem reddant operationem; caſus duo, quorum unus hydropem ovarii inveteratum ſiſtit 5 libras continentis in puella, quæ quater paracenteſin ovarii ſuſtinuit. Alter fœminam concernit, quæ, at quo temporis intervallo? quadrageſies paracenteſi inſtituta 2786 aquarum libras evacuavit, quæ quantitatem ingeſtorum plurimum ſuperabant; debuit igitur reliqua quantitas ex atmoſphæra fuiſſe attracta.

O v a r i o r u m e x ſt i r p a t o r u m quoque exempla habentur. *Cypriani* ovarium in infante annuo exſecuit; ulcus quidem adfuit locum ſectionis indicans. *Pott* ovarium utrumque ad annulos abdominales protuberans reſectum refert cum menſtruorum ceſſatione & uberum collapſu.

Frank etſi difficultates hujus operationis noſcat, & exemplum ſanationis ipſe non habeat, in tempore inſtitutam absque damno perferri poſſe putat; nam ovaria exſecta habemus in gallina, in ſue, imo in fæmina humana utrumque ovarium exſectum refert *Boerhaavius* per porcorum paſtorem, qui filiam in actu copulæ deprehendens illam actutum caſtravit iratus; puella menſtruis poſtea caruit, nec ſalaciæ ſpecimina amplius edidit. *Robert* quidam ſingula ovarii hydropici cava primum evacuavit, dein felici cum eventu exſcidit; exemplum ſimile habet S ch m a l z in ſeinen Vorfällen; in R i ch t e r s chirurgiſchen Bibliothek Band VIII. in *transactionibus philoſophicis*; in *Hœnii rationis medendi* Tomo II, und in R i ch t e r s chirurgiſchen Bibliothek B. III.

Contra exſtirpationem ſunt ſcirrhi cum utero vel tuba cohærentes, & varicoſitas venarum, qua lethalis ſub operatione hœmorrhagia interna fieri poſ-

poſſet. At chirurgus in urbe Rouen 1781 ovarium ſcirrhoſum, aperta prius tuba Fallopiana pure repleta, ſecuit, & exſtirpavit.

Si cyſtis radice unica, & anguſta inſtructa adfuerit, vinculum injici poſſe *Morgagnius* putat, & operationem eventum felicem habere; eam vero probandam non eſſe, ſi radices plures, aut una craſſior adfuerit.

Quocunque vero modo hydrops uteri, aut ovariorum ſanatus fuerit, ulterius illa adhibenda, quæ recidivam impediunt.

Genus VIII. Hydrarthros.

Hydrops articulorum, tumor albus Anglorum, lupia ſynovialis articulorum Gallorum, fungus articulorum.

Articulationes inſtructæ ſunt ligamentis membranaceo-tendineis, in quorum cavo ſynovia ſecernitur conſtans vapore aquoſo exhalante, & ſmegmate unctuoſo folliculorum glandularium, qua oſſium extrema inuncta facilius moventur.

Humore hoc articulari aucto hydrarthros habetur.

Definitur hydrarthros morboſa aquarum, vel in cavo articuli vel circa capſulas articulares collectio.

Hydrarthros in omni quidem articulatione obtinere poteſt; ſic à *Frank* viſus ad pedis & cubiti articulationem; a *Gouteau* in acetabuli cavo, plerumque tamen ad genu occurit, an quod capacior ſit illius articulatio, & pluribus læſionibus per lapſum &c. obnoxia? Hydrarthros veteribus cognitus fuiſſe videtur, ut legere eſt apud *Hippocratem de locis*: mucus omnibus a natura ineſt, ubi purus eſt, ſani ſunt articuli, & facile moventur lubrici; ubi vero dolor &c.

Dividitur hydrarthros a ratione loci, in quo aquæ ſtagnant.

A. In œdema articulare, dum in celluloſa cutanea ad articulum locata hærent aquæ. Signa ſunt: tumor mollis, æquabilis, elaſticus, al-

albus, nisi inflammatio, aut erysipelas accesserit; impressionem digiti non retinens, nec fluctuans, nisi interdum in malo initiante, cum ejusdem articuli dolore, & aliqua immobilitate.

B. In hydrarthron externum, dum folliculi mucosi circa capsulas articulares locati tument infarcti; iis fere familiarior est, qui genubus flexis multum insistunt. Signa sunt: tumor circumscriptus, fluctuatione carens.

C. In hydrarthron internum, dum aquæ in cavo articulari latent. Signa sunt: tumor mollis, si ad genu malum fuerit; ad patellam, dolor in profundo tumoris, qui auctus ad latera expanditur, & ultra patellam adscendens eam e situ movet; fluctuatio, modo aliquam tumor molem nactus sit, & humores collecti spissiores non fuerint; partium vicinarum, ipsiusque cutis inflammatio, suppuratio, intumescentia capitulorum tibiæ ac cruris exulceratorum. Vide Bell über Geschwüre, und ihre Heilung. — *Evers de anchylosi.* — *Wagler* Leipzig 1787. — *Grashuis de hydrope articulorum.* — *Raimarum de tumore ligamentorum circa articulos*, Lugduni Batavorum 1757. — Gescher in den arzneykundigen Annalen, Heft IV. — Camper in der Sammlung praktischer Abhandlungen, Band XVI.

Hydrarthros internus quibusdam dividitur in verum, si liquor collectus lympidus, flavus, viridescens, aut & puriformis fuerit; & in spurium, si purulentus, aut sanguineus fuerit; hunc collectionem purulentam, aut sanguineam articuli dicendum *Frank* putat. Exemplum collectionis cruentæ ad articulum *Ford* habet: dolor ad genu comparet absque pulsatione, aut cutis immutatione; serius fluctuatio comparet cum motu impedito; tricuspide evacuatur mucus sanguinolentus; vulnere dilatato sanguis congrumatus prodit, dein saliens erumpit ex aneurismate aperto. Aneurisma arteriæ cruralis ad genu flexuram vidit *Monrous*, cui simile in altero genu successit pulsans. Theden in Erfahrungen aus der Wundarzneykunst, Band I. sangui-

guinem in articulo tumido item vidit, & lethali cum eventu aperuit.

Diſtinguendus hydrops articularis ab aſceſſu circa articulum hærente, qui interdum ad articuli cavum viam ſibi parat; ad hydropem cavi articularis proprie non ſiſtit: diſtinguendus a fungo, qui extra articulationem hæret, & excreſcentiæ, aut tumoris cyſtici ſpeciem refert, iis frequentem, qui genubus multum inſiſtunt, aut violenter in ea concidunt.

Circa fungos articulorum videndus *Callisen in inſtitutionibus chirurgicis* — Schmukers vermiſchte chirurgiſche Schriften, Band I. qui habet fungum cum fluctuatione junctum poſt abſceſſum natum. — *Heiſter inſtitutionum chirurgicarum* libro IV. Cap. 19.

Hydrops articulorum lente plerumque oritur, & elaſticus eſt; inveteratus vero, aut apertus inflammatur, ſuppuratur, humore evacuato tumor exſurgit inæqualis, tuberoſus fungus. *Frank* fæminam 18 annorum vidit, quæ licet vix non certe labis venereæ expers eſſet, multas frictiones mercuriales in noſocomio mediolanenſi ante duos circiter annos ſuſtinuit ob tumorem genu dextri lente auctum, dolentem, motum impedientem, non fluctuantem; ſenſim auctus, ſuppuratus eſt, & multam materiam fudit, poſtea articulus immobilis riguit. Ubi ægram *Frank* examinat, ab octo circiter menſibus doloribus atrocibus eam vexatam comperit, ut ne 100 quidem laudani liquidi guttis ſub veſperam aſſumtis ſomnum capere poſſet, emaciatam videt, cutem aridam, urentem, ſudores nocturnos, pulſum celerrimum, glandulas circa vaſa lymphatica poſitas tumidas, quaſi ſcrophuloſas, an ob dolorum atrociam, an ob ichoris reſorpti acrimoniam? Amputatio ab ægra expetita, & a chirurgis negata tandem inſtituitur, atque nutrientibus, ac corticis decocto intra 15 dies tumores glandulares diſparuere, intra ſex ſeptimanas bonæ ſuppurationis notæ comparuere atque integre ægra eſt reſtituta.

II. Ratione indolis in morbum localem & a totius ſyſtematis vitio natum; interdum enim plures ſenſim articuli intumeſcunt, ut in ſcrophuloſis, ubi certe omne ſyſtema laborare cenſendum eſt: vide *Kirklands* Verbindung der Chirurgie mit der Medizin. Datur & hydrops articulorum periodicus, cujus exemplum, quod *Frank* novit, unicum habetur in Schmalz ſeltenen Vorfällen 1784. Ortus hic hydrops eſt poſt herpetem in fronte ſuppreſſum, atque omni duodecima die comparuit, diebus 4 creſcens, 4 decreſcens, atque 4 tumor nullus ad genu erat detegendus. III. Ratione originis in idiopathicum, ubi mali cauſa ad articulum hæret; & in ſymptomaticum ex cauſis morboſis ad articulum delatis natum.

Symptomaticum *Bell* dividit in rheumaticum atque ſcrophuloſum. Occurrunt quidem hæ ſpecies, ſed & alias ſtatuere oportebit, ſi ad cauſas reſpexerimus v. g. ex herpete, vel lacte in puerpera ſuppreſſo. Originem hydropis articularis a ſcrophulis negat *Kirkland* ex eo, quod affectio articulorum ſæpe abſque glandularum affectione incedat, aut uterque morbus ſimul adeſſe poſſit, ſua quivis ratione ſanandus. Aſt ſi plurimæ glandulæ circa articulationes ex debilitate totius ſyſtematis tumeant, cur oriri ex ſcrophulis non poſſet? Itali quidam a carie articulorum, quæ in ſcrophuloſis occurrit, eorum hydropem tanquam malum ſecundarium repetunt.

Symptomata hydropis articularis variant pro varietate cauſæ, & ſedis, & durationis.

Symptomata rheumatici: dolor vehemens articuli affecti, ſubin ad aponeuroſes, tendines extenſus, auctus ſub motu, & fere calore lecti; tenſio, quare flectere partem ægrotantes metuunt, unde muſculorum contractorum rigiditas, & immobilitas anchylotica; tumore aucto venæ redduntur varicoſæ, carnes ſupra, & infra tumorem extenuantur, ſæpe œdema partis inferioris, interdum ſuppuratio in diverſis locis tumoris

ris accedit, unde in totidem locis fluctuatio, nisi materiæ spissitudo, aut membranarum incrassatio eam interceperit. Pus ab initio bonæ notæ videtur, mox vero in saniem mutatur, & ulcera mali moris comparent, sine tumoris decremento, quibus forte sanatis alia succedunt cum febre lenta, sudoribus colliquativis, diarrhœa colliquativa, & morte ipsa, nisi amputatione &c. præcaveatur. Articulus resectus materiam tenacem albumen ovorum referentem ostendit, ligamenta crassiora comparent, tendines materiam quasi sebaceam sistunt, ossa carie sunt erosa, ipsæque cartilagines, quæ diutissime resistunt, corruptæ deprehenduntur. Macies tamen, febris lenta, ex dolorum vehementia, somni defectu &c. fors nata, suppurationem, & cariem non loquuntur ut certissimam.

Symptomata scrophulosi sunt: dolor atrocior in quodam puncto fixus, tumor vix ullus, membri ob dolores incurvatio, aucto tumore dolor imminutus, caries sensim fœtidissima & infelix exitus.

Symptomata aliarum specierum describere impossibile, atque inutile. De œdemate articulorum *Kirkland* ita habet: si laxitas, ac debilitas hydropis extra articulum facti causa fuerit, tumor adest absque inflamatione, impossibilitas artum extendendi, membranæ &c. incrassantur, tela cellularis infarcitur, fluctuatio hinc inde, abscessus seroso - purulentus sæpe curabilis, si cum cavo articulari non communicaverit.

Omnes species incipiunt cum molestia ad motum in articulo affecto, cum quodam torpore ac dolore, dein tumor circa articulum albus, elasticus, fere indolens, aliquando fluctuans accedit, non vero pulsans, nisi inflammatio adfuerit, plurimum auctus tumor rumpitur, aut abscessus natus materiam varii coloris, ac consistentiæ fœtidam emittit, articulus crassus redditur, durus, inæqualis, tuberosus, immobilis, utrinque extenuatus. Le-

gi meretur apud chirurgos Taurinenſes, *Bertrandum* qui ediderunt, ſupplementorum tomus II.

Cauſae, quæ cæteris hydropis ſpeciebus communes ſunt:

1. Inflammatio ſynoviam puriformem reddere valet, & hydropem articulorum acutum producere poſt contuſionem articuli, ejusdem nimiam extenſionem, luxationem, qua utraque ligamenta tenduntur, & irritantur, poſt compreſſionem, poſt lapſum in genu aut diuturnam illius flexionem.

An apud Aſiatas, qui cruribus cruciatim poſitis totis diebus ſedent, ob magnam ligamentorum diſtentionem frequentior, quam alibi hydrops genuum eſt?

2. Metaſtaſis ad articulos facta. Hydrops articularis rheumaticus ex inflammatione potiſſimum oritur; ſcrophuloſus abſque cauſa cognita ex ſpina oſſium ventoſa naſci videtur, quæ in oſſibus idem fere eſt, quod ſcrophulæ ad partes molles. Hunzowsky in medizinischen Beobachtungen in den Spitälern in Anglia vidit tumoribus ſcrophuloſis ad collum diſparentibus tumores albos articulorum ſucceſſiſſe.

Exemplum hydropis articularis a metaſtaſi poſt febrim acutam ad genu facta habet *Malouet*; poſt variolas, morbillos, luem veneream, ſcorbutum, rachitidem *Haffnerus in diſſertatione de hydrope articulorum*; poſt febrem puerperalem deſcripſit *Simſon in actorum Edinburgenſium* Tomo IV. & *Stærk anno medico* II.

Prognoſis pro diverſitate cauſæ varia: Hydrops articularis a cauſis externis natus, atque recens, facile fere ſanatur; difficilius vero inveteratus, ubi menbranæ incraſſatæ ſunt. List Beobachtungen über die auflösende Kraft des Kolophoniums in Sack- und weißen Geschwulsten, in Sammlung praktischer Abhandlungen, Band V. Qui a cauſis internis totius ſyſtematis oritur, gravior eſt. Qui originis ſcrophuloſæ, curationis perdifficilis eſt. Plerumque ligamenta craſſa, oſſa carioſa, unde anchyloſis, & co-

pia

pia aquarum aucta, ipsa luxatio, ubi vix quid amplius sperandum.

Mors, quæ interdum accidit, fere ex tabe cum febre lenta est, quare Angli, qui hunc exitum norunt, ad operationem mature, & fors nimis properanter accedunt.

Cura secundum causas dirigenda, ad indolem sthenicam, vel asthenicam: Ubique resolutio tumoris tentanda, quæ si non successerit, fatalis plerumque exitus erit. Internis, nisi a vitio totius systematis fuerit, vix cedit, sed in hoc quoque casu localia simul tentari merentur.

A scrophulis si fuerit, antiscrophulosis internis & localibus mox dicendis tractandus. Multi, qui ex rigiditate malum repetunt, emollientia ad articulum laudant; *Kirkland*, qui laxitatem accusat, illa repudiat.

In malo sthenico, aut mere locali, in robusto post læsionem externam, præter debilitantia universalia hirudines circa articulum ponendæ, aut scarificationes superficiales instituendæ, frigida imponenda; nisi tumor diutius duraverit, multumque doluerit, ubi emollientia requiruntur. *Kirkland* salem ammoniacum in aceto solutum, quod ad excitantia, non ad refrigerantia pertinet, applicuit.

De emolumento frigidæ in malo recenti adplicatæ exemplum præbent saltatores, qui distorsionem, subluxationem &c. passi, mox pedem in vas aqua frigida plenum immittunt, & sat cito restituuntur; quod ni faciant, tumor inflammatorius nascitur, saltationem per menses inpediens. Frigida laudatur *Hippocrati* sectione V. aphorismo 25; laudatur in *actorum Edinburgensium* volumine IV.; sed in vigore morbi, in robustis, post læsionem externam. In malo inveterato, adeoque cum debilitate locali incedente, varia irritantia applicantur sensim augenda.

Ubi sub inflammatione asthenica dolor summus fuerit, fomenta emollientia, balnea simplicis aquæ conveniunt, aut & animalia; pars nempe affecta

cavo

cavo animalis recens mactati imittitur, ut vapore tepido foveatur. Sub malo minus dolorifico fomentationes aromaticæ tum humidæ tum ſiccæ, thermæ ſulphureæ, embrocationes, linimentum volatile cum vel ſine camphora, unquentum mercuriale inunctum, rubefacientia repetita conducunt, & in malo recenti *Frank* ſæpe ſatisfecerunt. Tumorem ad genu pueri inſignem, at recentem, intra paucas ſeptimanas perſanavit, eundem bis terve de die lavando aqua *Goulardi* tepida, & unquento ſaturni ad anchyloſes dicto, quod ex adipe, cera, & extracto ſaturni conſtat, ad ignem inuncto. Eadem hac methodo hydropem genu poſt febrem puerperalem ſanavit.

Monro chartam aceto imbutam applicavit. Quidam per vapores ſpiritus vini ſudores in parte affecta excitant, tentamine digna methodus. *Alix obſervationum chirurgicarum* faſciculo III. ſanationis exemplum adfert ope cataplaſmatis ex cicuta, roſis rubris, & vino rubro coctione parati.

Bell ter in die per horam unquentum mercuriale parti affectæ frictione applicuit. Quidam utuntur unquento ex ſapone, & ſale ammoniaco parato, proficuo potiſſimum ob alcali liberatum. Van Wy in Sammlung praktiſcher Abhandlungen Band XII. laudat frictiones cum ſpiritu ſalis ammoniaci, vel emplaſtrum diachylon cum gummi, & alcali volatili. *Swediauer* in Sammlung praktiſcher Abhandlungen Band VII. ſemel profuit.

℞. Gummi ammoniaci unc. ij.
Aceti ſquillit. q. ſ. ut fiat terendo linimentum.

Liſt, ubi alia localia non juverint, cum fructu colophonium adhibuit, niſi malum admodum inveteratum eſſet. Paravit nempe ex ſtupa cannabina quaſi nidum avium, colophonium in pulverem redactum immiſit, & ſpiritum vini rectificatum ad ſolutionem affudit, partique ægrotanti impoſuit, irrigarique fecit, dum ſiccaretur.

Ruſti-

Ruſtici jam diu therebinthinam applicarunt, quæ vero contineri ſatis nequit, & facile nimis irritat. Quidam articulum hydropicum veſicante exulceratum inſperſo cantharidum pulvere, & unquento digeſtivo per menſes fluentem conſervant. Vide *Orand* in Sammlung praktiſcher Abhandlungen, Band XI. qui dolores magnos ſane excitatos opio mitigavit: Vide etiam derſelben Sammlung, Band V.

At *Frank* non placet hic veſicantium uſus, quia per continuam inflammationem ligamenta &c. facile incraſſantur, corrumpuntur. Circa veſicantium utilitatem, vide *Whyt* von Geſchwüren — Geſſcher — Tode medizin. Annalen, Heft 4. monet ſe nunquam ad inciſionem, aut eſcharotica veniſſe, cum blandiora ſibi ſuffecerint, nempe ſal ammoniacus ad unc. β vel in aquæ calcis, urinæ, vini, lixivii libra j. ſolutus, vel cum cataplasmate tepido applicando unitus. *Schmuker* in vermiſchten Schriften, Band I. fere adhibuit ſalem ammoniacum in aqua ſolutum.

Si reſolutio obtineri nullo modo poſſit, ad auxilia chirurgica veniendum, quorum alterum periculoſum & anceps; alterum crudele & mali extremitati fere ſimile. In tumore ad articulum aquoſo, vel & purulento, ſed cavum non penetrante, ſetaceum *Kirkland* & *Bell* laudant. Tumor talis, ne cavum articulare lædatur, ſectione quoque aperiri poteſt. At *Kirkland* monet, in in loco ſecto tractatione iniqua abſceſſum periculoſum oriri poſſe, nam folliculi ad ligamenta articularia poſiti facile inflammantur, & cum ligamentis concreſcunt. Hinc *Kirkland* apertura facta liquidum ope ſpongiæ abſtergit, balſamum digeſtivum immittit, aut unguentum diachylon, ceſſante inflammatione curam mediante faſcia abſolvit; methodum hanc *Frank* probat.

Cum paracenteſis ad alios hydropes ſanandos contribuiſſe ſit viſa, cogitarunt quidam articulos quoque per ſectionem ab aquis liberare, & evacuatione facta roborantibus tonum reſtituere, atque recidivam prævertere. Aſt quædam hic differ-

ferentia intercedit: in articulorum enim hydrope multus plerumque humor lymphaticus adeſt, qui aëre accedente coagulatur violentam inflammationem excitaturo. Nam vulnera ad cava articularia penetrantia difficulter ſanari, atque rigiditatem fere reliquiſſe ſunt viſa. Sectionis mala teſte *Calliſenio* ſunt fiſtulæ, caries, gangræna: *Acrel* in arte chirurgica fere conſentit. *Liſt* ſub ſecunda poſt aperturam deligatione lympham coagulabilem vidit in vulnere pallido, laxo, ſanationem tardam, aut nullam, ligamentis fere corruptis,

Haffnerus, qui lanceola tumorem pertundere ſolebat, ac vulnus linteis carptis apertum ſervare atque fovere, quosdam ſanavit; ſed eventus etiam nactus eſt infelices, uti febrim, inflammationem, ſuppurationem, cariem &c. Infelix ſectionis exitus confirmatur quoque in Sammlung praktiſcher Abhandlungen Band XI.

Nec retinendum tamen, læſiones in capſulas penetrantes non omnes fuiſſe lethales. Exitus ſectionis infelix repeti & inde poteſt, quod jam ante operationem corruptio partium adfuit; nam tardius fere inſtituitur, cum tamen inſtituenda in tempore eſſet, nam monente *Kirkland* atque *Haffnero* nullum a ſectione auxilium, ſi jam notabilis partium degeneratio adfuerit.

Monendum quoque multas articulorum paracenteſes ideo male ceſſiſſe videri, quod turundæ vulneri ſint immiſſæ, quibus partes plurimum irritatæ inflammabantur &c. *Haffnerus* feliciorem in hoc morbo pertractando ſe fuiſſe aſſerit, ex quo tempore turundis ommiſſis fomentationes ex cicuta impoſuit; ſed nec injectiones probandæ videntur, licet aquæ collectæ ſpiſſiores fuerint, nam & hæ validiorem excitare valent inflammationem. Schmucker in vermiſchten Schriften Band I. paracenteſi facta fomentationes frigidas cum fructu applicavit.

Punctura non ſit juſto major, ne gravior ſequatur inflammatio; nec etiam minor, ſecus enim

enim aquæ minus recte fluent & citius vulnus concreſcit. *Acrel* duabus inciſionibus ſemilunari ad condylos factis & aquis flavis evacuatis ſanationem absque malis ſymptomatibus obtinuit. Si ſalus aut per reſolutionem, aut per aperturam obtenta, faſciis reſtituendus tonus, ut recidiva præcaveatur.

Remanens aliquando rigiditas rarius ab inſpiſſatione ſynoviæ, aut a concretione articulorum eſt, ſed ab accurtatione muſculorum diu contractorum, ut ſub paralyſi, oſſium fractura. Atque in hoc rigiditatis caſu juxta *Bell* profuiſſe ſunt viſæ inunctiones oleoſæ tepidæ bis, ter per diem inſtitutæ. Quidam pro inungendis articulis rigidis medullam oſſium commendant, at facile ranceſcit, nec oleo olivarum potentior eſſe videtur. Omentum animalium recens mactatorum tepide articulo ſæpius de die circumdatum bis *Bellio* profuit.

Balſamum vitæ inunctum & embrocationem Theden in Erfahrungen Theil I. commendat. At ſi malum adeo provectum, ut nec per reſolventia, nec per puncturam ſanari queat, nil ſupereſt, niſi membri ſupra tumorem amputatio; amputari articulus ſi poſſit.

In Anglia triſtiſſimis ſub circumſtantiis, ſub debilitate magna, febre, diarrhœa, ſudore colliquativis, emaciatione ſumma, feliciter ſæpe eſt ſuſcepta, quidquod in debilibus ſanatio facilior fere videatur, auctore *Bell* & *Frank* juxta exemplum fæminæ Ticinenſis.

Quidam, vide Göttingiſche gelehrte Anzeigen 1784. ſolam genu articulationem exſcindere auſus eſt crure relicto, duravit curatio per annum inter multa pericula; tandem ſanitas reſtituta, membro ægrotante 3 digitis breviore relicto.

Ge-

Genus IX. Hydrops vaginalis teſtium, vulgo hydrocele.

Eſt collectio aquarum inter vaginalem teſtis atque albugineam, interdum ad ipſum funiculum ſpermaticum extenſa. Dum aquæ in integumentis ſcrotum conſtituentibus hærent, anaſarca ſcroti adeſſe dicitur.

Differt ab hydrocele, quod ſub anaſarca notabili ſcroti rugæ diſparent, teſtis palpari poteſt; non palpandus in hydrocele adaucto, ubi magna tumoris tenſio adeſt, & quod in anaſarca ſcroti aliarum partium hydrops fere adeſt. Ex vaginali teſtium non ſolum aquæ, ſed humor etiam ſanguineus cum ſanitate inſecuta evacuatus habetur. Virum *Frank* vidit, qui coitum violentum exercens dolorem ſummum ad veſicæ collum perſentit, ſuccedente larga per urethram hæmorrhagia, & tumore ſcroti fluctuante, hydrocelis faciem referente. Die tertio dolor in regione pubis, urinæ paucæ, cruentæ, excretio dolentiſſima, febris cum pulſu debili. Datis excitantibus, & emollientibus applicatis tumor redditur major, quo aperto effluit humor ſtraminei coloris, dein puriformis. Aeger urinam mittere juſſus ad ſcroti aperturam pro maxima illam parte evacuat; ſectio ad urethram usque producitur, atque ſanitas intra 3 ſeptimanas reſtituitur.

Cauſæ hydroceles ſunt fere externæ: compreſſio, contuſio violenta ad ſcrotum facta, gonorrhœa virulenta, quæ ſæpe inflammationem epididymidis & hydrocelem acutum poſt ſe trahit, ſponte intertum diſparentem, apertura vix indigentem.

Frequens hydrocele a perfrigerio apud pueros ante caligarum uſum ſanatur ſuſpenſorio, tegmine calidiori, fomentis aromaticis, aut etiam ſpirituoſis. Sed ex cauſis etiam internis, negante licet *Pottio*, oriri poteſt. Exemplum in *delectu opuſculo-*

rum

rum pag. 107. *Frank* habet. Princeps Spirenſis herpete methodo iniqua exſiccato, in hydropem vaginalem ſcroti incidit. *Frank* pro homine valetudinario punčturam palliativam proponit. At petente ſic principe, & conſentientibus medicis conſultis fit caſtratio, ſequente mania per longius tempus, quæ interdum poſt caſtrationem accidit. Quin ipſi muli coitu prohibiti in hydrocelen incidentes, & ideo caſtrati, velut maniaci redduntur.

Cura conſilio medico vix obtinenda, ſed in operatione fere chirurgica quærenda, & inflammatione conſequente, qua teſtis cum vaginali concreſcit.

Pott rejiciens ſectionem ſcroti longitudinalem, ſcrotum an ex parte anteriori, an poſteriori compungi vult ope tricuſpidis in cannula reconditæ, per quam fila 12 traducit, quibus tradučtis cannulam auffert. Poſt 3 dies inflammatio cum dolore ſummo, ſubſidente per cataplasmata emolientia tumore, filum ſingulis diebus unum extrahit, atque ſic concretione vaginæ cum teſte ſenſim ſuccedente cura inter 4 circiter ſeptimanas abſolvitur. Methodus hæc *Frank* non placet.

Alii tunicam vaginalem ſečtione longitudinali aperiunt, & aquis evacuatis deligationem ſiccam admovent, donec nata inflammatio emollientia petierit. Ope inflammationis tunica vaginalis cum teſticulo concreſcit, unde recidiva præcavetur.

Quidam aquis edučtis ſpiritum vini in vaginam immittunt, ut inflammatio major, & certior concretio obtineatur. At juxta *Frank* inflammatio nimia excitari non valet. Si vaginali aperta teſtis forte veſiculas aquoſas oſtendit, aperiundæ ſunt, nec fere repullulant. Si vero teſtis notabiliter corruptus comparuerit, ſola fere caſtratio relinquitur. Si hydrocele vulnere non ſatis magno aperiatur, in parte inferiori ſcroti cito interdum colliguntur aquæ, non amplius hydrocelen, ſed œdema ſcroti conſtituentes.

Si

Si in vaginali testium & circa funiculum spermaticum aquae simul latuerint, sed non communicantes, apertura ad utrumque locum requiritur. In malo vero graviori ac vetustiori communicatio quidem adest, sed sectione longitudinali tamen opus est, ut pars utraque concrescere, & ab ulteriori collectione praeservari queat.

B. Difficultates urinae

Frequens satis malum constituunt. Morbi viarum urinarium, ut partium genitalium, magni momenti, sed difficilioris cognitionis sunt, circa quas multa cognitione anatomica opus est.

Definitur autem urinae difficultas: impedita plus minus, vel & dolens urinae secretio, (si enim urina non secernatur, malum aliorsum pertinet) & per vias naturales excretio.

Mictio molesta cum ardore interdum & dolore aut flumine tenui molesto, veteribus dysuria appellabatur. Signa sunt: urinae flumine tenui, vel & diviso fluentes, fere cum nisu ad mejendum frequentiori, ardore & dolore. Saepissime oritur ex concubitu impuro, atque viris quam foeminis molestior est, ob urethrae tum longitudinem, tum angustiam majorem.

Ubi urina guttatim & fere cum dolore fluit, stranguria habetur. Signa sunt: urinae guttatim fluentes, plerumque cum nisu continuo ad mejendum, & doloribus circa vesicam summis, velut parturientium, nisi insensilis, quasi paralytica vesica fuerit; ubi nec nisus, nec dolor adest, vomitus, singultus, tumor in regione vesicali fluctuans.

Urinae secretae plenaria retentio ischuria audit. Saepe cum dolore, fere cum nisu ad mejendum conjuncta, nisi paralytica vesica fuerit. Signa sunt: priora majora, etenim dysuria, stranguria, atque ischuria gradu tantum differunt, & ex iisdem causis generantur; tum anorexia, cardialgia, nausea, vomitus, singultus; sapor urinosus, anxietas, bor-

borborygmi, tenesmus, tumor abdominis supra pubem, dolor summus ad vesicam, tensivus ad testem, per crus extensus, denique febris, agrypnia, vel affectiones soporosæ, convulsivæ — an ex urinarum depositione explicandæ?

Cæterum differunt symptomata pro causis specificis malum producentibus, & pro sexus diversitate. Nam apud viros vesica dilatata intestinum rectum comprimere valet, non item apud fœminas, in quibus uterus interjacet. Quare etiam apud fœminas per vaginam inquirere in vesicæ statum opportet, apud viros per anum, ubi digito antrorsum incurvato exprimi urina sæpe potest.

Vesica turgens, & sana constituta tumorem supra pubem pyriformem exhibet. Plurimum vero distentus, ut in pelvi contineri amplius nequeat, sicut uterus gravidus circa tertium graviditatis mensem ad diaphragma usque adscendit, atque pro ascite imponere fluctuatione valet, simul collum sursum trahit, ut digito in anum immisso contingi amplius non possit; in quo casu perforari vesica nec per anum, nec ad perinæum, sed unice supra pubem potest. Monendum tamen, interdum vesica licet repleta tumorem supra pubem non comparere, quia retrorsum extenditur, hinc necessitas in vesicam per anum inquirendi. Monendum quoque, tumorem a vesica urinaria repleta supra pubem efformatum non semper pyriformem esse.

Graviora mala sequuntur urinam non excretam, quam non secretam, atque sat cito quidem sequuntur. Magna enim urinæ excernendæ copia est, præsertim hyeme, ubi minor transpiratio habetur; hinc urina excerni impedita tempore non ita longo mole sua vesicam, ureteres, pelvesque renales replere, inflammare, atque secretione ulteriori impedita ischuriam spuriam inducere valet. Vide *Hœnii prælectionum Tomum III.* Sic *Camperus demonstrationum anatomicarum* libr. II. in puero renes inflammatos vidit cum calculo vesicæ. *Monrous* simile in sene deprehendit.

Ae-

Accedit, quod urina retenta brevi quam plurimum corrumpitur, atque inflammationem, gangrænamque inducit. *Swieten commentariorum* Tomo V. urinam extractam spirasse tantum mephitin vidit, ut chirurgus animo fere linqueretur, & catheter extractus colore nigro obductus compareret. Huc pertinet *Neuburg de acrimonia urinosa* 1784, *& Hæsler de lotio retento.* Ceterum legendus *Dessault* circa morbos vesicæ urinariæ. — *Michael Troja de morbis vesicæ urinariæ, & partium adjacentium,* Neapoli 1785. — *Johannes Hunterus de morbis venereis.* — *Morgagnius epistola* XXXIX. numero 33 fatetur difficultates morbos vesicæ cognoscendi, nam ubi uteri morbus adesse videbatur, tumor vesicæ deprehensus est. Urinæ retentionem ante paucum tempus pro peritonitide habitam *Frank* vidit, quam cathetere sustulit.

Dividitur ratione sedis, quæ est in instrumentis urinæ excernendæ dicatis, in vesicalem, si urina retinetur in vesica per vitium ad collum illius &c. situm. In urethralem, si urina retinetur ob vitium ad urethram locatum. In Uretericam, dum urina secreta in vesicam depluere impedita in ureteribus retinetur. Ad ischuriam uretericam efficiendam obliteratio utriusque ureteris requiritur, unus enim urinam in vesicam deferre impeditus per alterum suppletur. In ischuria ureterica ad pollicis, brachii amplitudinem ureteteres dilatati sunt visi, imo rupti ureteris exemplum habetur. Vide *Camperi observationes* circa mutationes, quas calculi subeunt in vesica, Pestini 1784. Morbi ureterum, canalium membranaceorum, qui multa vasa sanguinea, multosque nervos habentes sensilissimi, & multum dilatabiles sunt, satis cogniti non sunt.

Signa ischuriæ uretericæ sunt: tumor tactu percipiendus, & dolor secundum ductum ureteris in latere abdominis a rene ad vesicam usque extensus, sub attactu auctus. At dubia fere manebit diagnosis, nisi causæ in ureteres agentes v. g. cal-

calculi latentes, cognitæ fuerint. Unico enim uretere affecto deferre urinam alter perget, si vero depluere per neutrum possit, vacua quidem erit vesica, nec nisus ad lotium mittendum, nisi forte per consensum urgebit, sed tum rescire vix poterimus, num vesica non sit vacua ob impeditam in renibus secretionem.

Impeditam urinæ secretionem ob inflammationem, calculos &c. in renibus hærentes, de qua jam *Galenus* libr. II. & III. *de morbis*, quidam ischuriam renalem nephriticam, vel & spuriam dicunt; hunc vero morbum ad ischuriam referendum *Frank* non putat.

Renum degeneratorum casum mirum, & unicum *Joseph Frank* vidit in ægro, qui cum abdomine, ut in ascite, prætumido susceptus, & post 4 dies mortuus omne abdomen intestinis crassis repletum exhibuit; at re accuratius lustrata comparuit, renes plurimum dilatatos, & aquis repletos retulisse hos gyros velut intestinales. An urinæ difficultas prægressa sit, non compertum.

Dividitur porro in *idiopathicam* natam a vitio locali viarum urinæ excretioni dicatarum, vel partium proxime adjacentium v. g. vesicæ, urethræ, prostatæ, vesicularum spermaticarum. Et in symptomaticam, quæ vel a vitio partis remotæ pendet v. g. ab extravasatione, abscessu, carie ad medullam spinalem hærente; ab extravasatione sub apoplexia in cerebrum facta, sensim in cavum medullare descendente, ab utero gravido sub partu descendente, fœtus capite diu incuneato, a turgore venarum hœmorrhoidalium ani, unde per consensum spasmus ad collum vesicæ excitatur, vel a debilitate universali in febribus nervosis. Vide *Ceræ* editionis secundæ dissertationem de febre nosocomiali.

Juxta *Hunterum* ductus excretorii, ductus choledochus, ureteres, oesophagus, intestina pluribus fere morbis quam aliæ partes subjacent; huc potissimum urethra pertinet duplici negotio dicata,

&

& urinæ excernendæ, & coitui celebrando: partes duplici officio destinatæ imperfectiores fere videntur; sic amphibia, nec recte incedere, nec satis natare valent.

Causæ urinæ difficultatum urethram efficientes sunt, quæcunque eam angustare, aut obliterare valent, sive in illa ipsa, sive in vicinia hæserint.

1. Inflammatio tunicæ mucosæ urethræ per medorrhœam contagiosam, coitum nimis iteratum, an & manustuprationem? aut per affectionem rheumaticam cum liberatione partis alterius, quæ simili modo prius affecta fuit excitata. Vide *Andream Murray* de materia arthritica ad verenda aberrante, & *Frank delectum opusculorum*; natusque inde abscessus, exulcerantia, excrescentia, caruncula, aut infarctus glandularum urethralium, incrassatio membranæ mucosæ per lympham coagulabilem transsudantem relicta. Incrassatio urethræ sæpius ad partem posteriorem, ad bulbum contingit, licet inflammatio anteriora, cryptas *Morgagnii* fere teneat. Senes, qui in juventute iteratas medorrheas perpessi sunt, urinæ difficultatibus fere laborant. Nec tamen omnem urethræ angustationem, quæ vel in pueris occurit, medorrhea virulenta præcedit.

2. Vermes, genitalia fæminea, an ex ano transgressi? irritantes.

3. Laceratio urethræ sub coitu violento, vel erosio urinæ faciens viam in scrotum.

4. Spasmus in urethram agens, quo præsente licet fibris muscularibus non instructa, tam violenter interdum contrahitur, ut ne catheterem quidem admittat; nec ubi excrescentiæ adsunt, urinæ difficultas semper adest, ut & hic interdum spasmum accidere verosimile sit, v. g. sub animi pathemate, aut inflammationem, ut sub equitatione &c.

5. Materia polyposa vel calculi e vesica urinaria expulsi & in urethra hærentes, vel corpora peregrina, pisa, acus capitatæ, sive per lusum, sive

ve gratæ titillationis excitandæ caufa intrufa. *Cera* extracta ex puellæ urethra acu capitata urinæ fluxum reftituit.

6. Occlufio urethrae per præputium ante glandem arctatum (phymofis) vel poft glandem conftrictum (paraphymofis); huc præputium hydropicum urethram in fpiram quafi contorquens.

7. Frequens ifchuriæ caufa in viris funt proftatae vitia, induratio &c. quæ interdum ita augetur, ut et inteftinum rectum comprimat, alvique excretionem impediat.

8. Tumores cyftici inter inteftinum rectum, & urethram nati, juxta *Hunterum*.

9. Scirrhus inteftini recti, vaginæ, oris uterini.

10. Fœtus incuneatio diuturna, prolapfus vaginae, uteri, illius retroverfio, quæ tum in gravidis, tum in non gravidis fieri poteft; an ad fterilitatem contribuere valet? —

Caufae ischuriae veficam afficientes, quæ in urethra effe poffunt:

1. Congeftio in vafis colli veficalis, quæ rete notabile formantia magnæ intumefcentiæ capacia funt, interdum a turgore vaforum hœmorrhoidalium ani propagato nata. Vafa colli veficalis turgida interdum rupta fanquinem per penem dimittunt.

2. Inflammatio cervicis veficalis, natusque inde abfceffus, nata induratio, fteatoma, excrefcentia, prolapfus membranæ intimæ veficæ, vide *actorum Bonnonienfium* Tomum I. pag. 473., induratio fcirrhofa veficularum fpermaticarum, proftatæ.

3. Inflammatio corporis veficae, & inde nata induratio, urinæ incontinentiam fere poft fe trahit. Veficæ latera poft inflammationem a calculis natam ad quintuplum incraffata vidit *Gilchrift in actis Edinburgens. novis.* Hominem *Frank* tractavit, qui fub compotatione urinam ftudio re-

tinens eam serius mittere non potuit; ante annum ex eadem causa eodem ex malo restitutus est, urinæ absque difficultate cathetere sunt extractæ, per 6 septimanas extrahendæ, nam linimento volatili cum tinctura cantharidum ad regionem pubis, & perinæi inuncto, vesicante ad os sacrum posito, balneis, decocto corticis cum tinctura cantharidum interne exhibito nil profectum. Memor tandem *Gilchristi* crassitiem membranarum vesicæ suspicans, mercurium *Plenkii* gumosum exhibuit; atque brevi hominem restituit. Incrassatio membranarum vesicalium absque inflammatione prægressa existere potest. An hic forte mercurialia conducunt? Ob vesicæ latus anterius ex inflammatione prægressa induratum nobili Genuensi ceterum sanæ matrimonium *Frank* disuasit, metuens mortis periculum a graviditate, cum uterus gravidus vesicæ dilatationem impedit in parte posteriori, induratio in anteriori, ut adeo non nisi ad latera colligi urina fors potuisset.

4. Hoemorrhagia sub variolis, scorbuto; post violentiam illatam, & inde nata concretio polyposa.

5. Hernia vesicae per annulum abdominalem prolapsæ, vide *Richterum de herniis.*

6. Vesica in plura cava divisa: *Cheston* gravidam habet 4 mense ischuria affectam; urina per catheterem emittitur, sensim vero applicari amplius nequit, accedit inflammatio, gangræna. Vesica post mortem examinata duplex cavum ostendit, & superius urina repletissimum, eamque non dimittens, adeoque hoc cavum per catheterem evacuari non potuit. Huc exemplum sacerdotis ticinensis pertinet.

7. Calculus vesicae pondere ad cervicem delapsus, eamque occludens, præsertim, si figuram illius assumpserit. *Frank* calculum in vesica vidit perforatum cum incontinentia urinæ, quia calculi foramen claudi non potuit; perforatus, si

non

non fuisset, retentionem induxisset. Calculo in vesica præsente urina mox mittitur, mox retinetur; an ob situm calculi inæqualis mutatum, an ob spasmum hinc inde accedentem?

8. Paralysis vesicae sæpe cum paralysi ani juncta, insequens læsionem medullæ spinalis per concussionem, lapsum in dorsum; vertebrarum distorsionem; affectionem rheumaticam alibi disparentem; collectionem humorum post apoplexiam &c. Ante paucos dies *Frank* vocatur ad ægrum, qui ante annum apoplecticus factus, linquæ potissimum paralysi laboravit, remanente quadam lateris dextri debilitate; nunc alium insultum apoplecticum passus majori lateris dextri impotentia laborat, atque urinæ retentione, probabiliter ex humoribus in medullam spinalem e capite delapsis. Positum est vesicans ad os sacrum, tinctura cantharidum inuncta regioni pubis & perinæi, interne datum decoctum corticis cum floribus Arnicæ. At absque vitio medullæ spinalis paralytica quoque reddi potest vesica per diuturnam urinæ data opera retentionem, aut vesicæ per uterum gravidum &c. compressionem.

9. Monente *Galeno* frigidum balneum urinæ retentionem interdum inducit ob paræsin vesicæ excitatam.

10. Potus fermentans, ut mustum, cerevisia recens, assumtus; assumta emollentia hic fere sufficiunt; plebs vero inde affecta clunibus nudis lapidi frigido insidens se liberat. An stimulus nimius per fermentantem potum inductus frigore lapidis aufertur?

11. Quæ acrimonia sua vias urinarias stimulare, & inflammare valent; huc cantharides intus assumptæ, extus admotæ; Meloë majalis, qui contra hydrophobiam exhibitus dysuriam & mictum cruentum effecisse sæpe est visus; abusus salium mediorum, balsamicorum. *Frank* a balsamo peruviano, vanigliæ odorem referente, chiocoladæ

ladæ addito, dyſuriam & mictum cruentum conſpexit. Oves, capræ, herbis acrioribus, potiſſimum ranunculis paſtæ, urinam ſæpe cruentam reddunt; unde veneficia olim putata ſolvuntur.

12. Veſicæ urinariæ per partes vicinas compreſſæ modo retentio urinæ, modo incontinentia ſuccedit, prout nempe corpus illius, aut cervix compreſſa fuerit.

Huc pertinet apud viros ſcirrhus inteſtini recti, apud fœminas prolapſus vaginæ, tumor illius ſteatomatoſus, hernioſus, uterus gravidus ad poſteriora ſcirrhoſus, illius prolapſus, retroverſio, fœtus ſub partu incuneatus.

An qui vermes in veſica latitantes, ut iſchuriæ cauſam accuſarunt, concretionibus polypoſis vermes referentibus decepti ſunt? Si veſica cum inteſtino recto concreta, & eroſa fuerit, poterunt ut ſtercora ita & vermes in veſicam tranſire, & iſchuriam inducere; at in veſica ſana demonſtrati non ſunt. In canis quidem mactati veſica *filius Frank junior* duos Aſcarides gigantes *Linnæi* invenit ruberrimos, ad calamum anſerinum craſſos, veſica tamen integra; hinc in veſica probabiliter nati, quemadmodum, qui in renibus canum reperti ſunt, ibidem evoluti cenſendi videntur.

Cauſae urinae retentionis in ureteribus ſitae:

1. Veſicae urinariae ibi nata inflammatio, ubi ureteres aperiuntur, qui per tumorem inflammatorium comprimuntur.

2. Ureteres ipſi inflammati, qui eadem fere ſymptomata excitant, quæ a veſica inflammata excitantur, dolorem pulſantem, ſed magis ad latera, ubi decurrunt. Poteſt inde naſci abſceſſus vel in ipſum ureterem rumpendus, vel extrorſum ad muſculum pſoam; poſſunt & membranae indurari, atque ſic diameter imminui aut elidi.

3. Sabulum, calculus ex rene delapſus atque ibi potiſſimum impactus, ubi in veſicam aperiun-

riuntur. Huc ſanguis ſive ex renibus, ſive ex ipſis ureteribus ſtillans, & coagulatus obſtruens. Si grumi ita conformati fuerint, ut cruor extus hæreat lympham includens, cruore abluto lympha remanet, & vermis ſpeciem referens ureterem obturat; ſi vero cruor in medio fuerit, eo abluto polypus remanet cavus, per quem tranſire urina utut poteſt.

Concretiones hæ polypoſæ, tum ſolidæ, tum cavæ, interdum inter dolores quaſi parturientis in veſicam tranſprimuntur: vide *hiſtoriam morbi Hahnii apud Tralles.*

4. Spasmi quoque, licet fibræ muſculares non adſint, ureteres occludere poſſe videntur, ſed quænam hujus rei ſigna?

5. Tumores vicini v. g. inflammatio, abſceſſus in muſculo pſoa natus.

Cauſae impeditæ urinarum ſecretionis:

1. Inflammatio renis utriusque, nam ſi unicus modo affectus, per alterum ſuppletur; induratio, abſceſſus, polypi, calculi, oſſificatio arteriarum renalium.

2. Spasmis etiam impediri poſſe ſecretio videtur, licet in hypochondriacis, hyſtericis copioſior ſæpe, ſed pallida ſecernatur.

3. Tumores ſteatomatoſi circa renes hærentes, anaſarca ſuperficiem renum occupans, aſcites plurimum auctus, nam aquis paracenteſi eductis ſæpe urinarum copia augetur.

Prognoſis urinæ difficultatum ſequitur naturam cauſarum, quæ ſi aufferri queant v. g. fœtus caput removeri ſe ſinens, urinæ quoque difficultates auferrentur. Dyſuria ex cauſa leviori nata, ut a potu fermentante aſſumpto, medorrhæa virulenta contracta, tanti non eſt, nec iſchuria febris aſthenicæ ſymptomatica, modo non prætervideatur.

Nam diutius retenta præter injuriam, quam mole & diſtenſione infert, urina, & acrimonia

lædit,

lædit, utpote cito corrumpenda, atque novam febris nascituræ causam sistit; accenditur inflammatio, accedunt singultus, vomitus, deliria tacita, frigus extremitatum cum pulsu minimo, atque mors ex gangræna, sub qua interdum aliquis urinæ acris, fœtentis, viscidæ fluxus, pendens a plenaria cervicis vesicalis paralysi, incautos ad felicem prognosin facile seducens.

Ischuria a spasmo facile, modo difficulter superatur. Ischuria ex hæmorrhoidibus vel mensibus restitantibus nata tollitur fluxu restituto aut evacuatione vicaria per hirudines substituta. Vide *Cœlium Aurelianum*, & *Wierum (Weier) de præstigiis dæmonum &c.* qui laudandus, quod primus cum vitæ periculo se opposuerit opinioni de sagarum in morbos influxu. Quæ cum prostatæ scirrho incedit, cito lethalis evadit. Uteri scirrhus interdum simul & urinæ retentionem & incontinentiam inducit, hanc quidem ob cervicis distractionem. Prostata indurata interdum inflammatur, suppuraturque, ruptus abscessus modo in urethram aperitur, & effluere urinam sinit, modo pus perinæum erodit, viamque urinæ huc effluxuræ sternit. Post gonorrhœam iniquius tractatam interdum talia ad perinæum ulcera comparent. Urina diutius retenta interdum sibi viam parat in cellularem inter urethram & corpora cavernosa sitam, sabulum deponens, aut gangrænam inducens, nisi sectione educatur. Nata ex membranis vesicæ induratis difficulter sanatur; item quæ cum ulceribus vesicæ juncta est, ubi vel tabes, vel nova inflammatio & gangræna succedit.

Quæ ex calculo oritur, eo per sectionem educto non semper sanatur; nam vesica iniquius a calculo tractata potuit vitium organicum contraxisse; atque ob hoc novum vitium retentione, aut incontinentia porro laborare.

Quæ cum vesicæ paralysi juncta, pessima est; paralysis vero, nisi inflammatio & gangræna acce-

cesserit, post quamcunque retentionem diutius durantem metuenda est.

Cura urinae difficultatum, quae saepe difficilis, & absque judicio, & auxilio chirurgiae saepe non perficitur, pro varietate causae differt. Hinc vel maxime in causas inquirendum, quas detegemus tactu examinando

1. Ventrem, num supra pubem tumor elasticus, non adeo durus, pyriformis adsit. Notandum tamen, si alius, quam pyriformis tumor detegatur, non illico concludendum, vesicam non esse repletam; aberrare enim vesicae tumor a pyriformi potest. Cavendum quoque, ne vesica ad diaphragma adscendens, atque omne abdomen replens, pro meteorismo aut ascite imponat; cavendum non minus, ne uterum forte gravidum, aut quendam illius morbum cum vesica confundas. Supra pubem ad annulum etiam abdominalem attendendum, num hernia vesicalis non adsit.

2. Regionem perinaei & ani, an tumeat, an vasa hoemorrhoidalia turgeant, nec ne; regione hac alterutra compressa interdum urina prosilit.

3. Conditionem vesicae, prostatae, vesicularum seminalium, uteri, vaginae, ope digiti oleo inuncti ano aut vaginae immissi; ut quis tactu prostatae duritiem, & volumen sanum vel morbosum determinare valeat, eam in cadaveribus saepius exploret, oportet.

4. Conditionem urethrae catheteris ope, qui obstacula in urethra, prostata, vesica urinaria haerentia commonstrat. Catheterem applicaturus penis etiam vitia, phymosin, paraphymosin, aut ligaturam forte injectam deteget.

Chirurgi instructi esse debent cathetere alio pro viris, alio pro foeminis, atque tertio flexili ex gummi elastico parato, nam vesica angulum interdum cum urethra faciens non nisi flexilem admittit: Vide *Camperum in demonstrationibus anatomico-pathologicis*, & ejusdem observationes circa muta-

mutationes calculorum in vesica, capite II. §. 4. — 7. ubi monet, catheteris apice angustiori calculum facile aberrari, ut non detegatur.

Catheteri non admisso juvat cereolum præmittere, qui facilius adigitur, & intumescens viam catheteri parat juxta *Bromfield* volumine I. parte 4.

Cereoli, candelae, circa annum 1720 ab *Arand* inventæ ad maxima artis inventa pertinent, nam styli tum solidi, tum cavi ex plumbo parati, quos veteres induxerunt, interdum fracti frustum reliquerunt, sæpe exscindendum. Hinc ruri degens semper in promptu habeat candelas bonas diversæ crassitiei. Ad bonitatem cereolorum requiritur rigiditas, & lævitas, ingredientia vix curanda. Candelæ nimis tenues, & molles retroflexæ persuadere possunt, ac si in vesicam penetrassent. Ab initio cereatus immissus per 1/2 horam bis de die relinquitur, donec urethra assueta diutius illum perferat.

Pro applicando tum cathetere, tum cereolo, exercitio opus est. Si urethra, prostata, cervix vesicalis sub gonorrhœa &c. inflammata fuerit, vis in cathetere aut cereolo adigendis ne adhibeatur, secus gangræna invitatur, aut nova via paratur. Circa cereolorum utilitatem, & rectum usum vide *Joannem Hunterum de morbis venereis*; quorum usus etiam in ani induratione esse potest.

Actio cereolorum videtur consistere in mechanica compressione, & distractione, sed irritando simul inducere novam inflammationem valent, & secretionem morbosam, qua partes induratæ liberantur. Si nec cereolus immitti in urethram queat, sæpe chorda musica ab Anglo 1786 laudata viam invenit, quæ sensim intumescens chordæ crassiori aditum parat, donec sensim ad cereolum, & catheterem devenire possimus.

Si ischuria absque vitio locali cum asthenia universali incesserit, ut in febribus nervo-

sis,

sis, urina, si opus, extracta, ipsi febri medicina facienda; nec tamen ubique ad urinam sub febre nervosa retentam extrahendam cathetere opus est, sæpe enim mittitur, dum æger aut genubus, brachiisque innititur, aut juxta *Sydenhamum* lecto exemptus aliquot passus deambulat. At si lectum vel ob sudores, vel ob debilitatem deserere non possit, sufficit interdum regionem pubis & perinæi linimento volatili perfricare.

In malo asthenico cum inflammatione colli vesicæ incedente, sub certis conditionibus evacuatio sanguinea, saltem localis, per hirudines fieri potest, ut evacuatione facta tumor, & periculum urgens auferatur; quemadmodum etiam in hœmorrhoidariis, literatis, debilibus, hirudines applicantur, nec damnum universo systemati illatum tantum erit, quantum emolumentum ad urethram locale. Ablato vero malo roborare sane conveniet.

Si supprimatur sub malo sthenico cum inflammatione colli vesicæ, methodus debilitans in cystitide commendata, adhibenda est, clysmata, cataplasmata emollientia, emulsio cum mucilagine gummi arabici. Compertum vitium locale auferendum, si queat, aufferi item causæ aliæ.

Si ob vesicae paralysin urina retinetur, sedes mali indaganda. Si cum paralysi aliarum partium post apoplexiam juncta sit vesicæ paralysis, urina extracta, secundum ideam morbi principis sananda. Cum vero in hoc casu vitium fere ad medullam spinalem hæreat, ad os sacrum, unde nervi vesicæ adveniunt, erit admovendum, ad regionem vero pubis & perinæi linimentum volatile cum camphora, tinctura cantharidum innungenda. Ubi vero retinetur ex ipsius vesicæ paralysi primaria, injectiones aromaticæ ex salvia, rosmarino &c. at non nimis saturatæ, insuper fieri possunt. Decoctum corticis absque dolore, sed & absque emolumento injectum *Frank* vidit.

Ubi

Ubi ex nimia irritabilitate ſpasmus ad vias urinarias natus urinam retinet, balnea tepida, fomentationes ad perinæum admotæ proſunt, præcipue vero opium clyſteri emollienti additum, additur fere laudanum liquidum ad ſcrup. j. interne opii gr. β. cum Moſchii gr. j. bis, ter de die exhiberi poteſt. Circa opii uſum in iſchuria vide *medical Journal* parte I. 1784.

Si catheter ob ſpasmum immitti non poſſit, non illico deſperandum, quia interdum poſt breve tempus ſpasmo ceſſante immitti poteſt. Interdum mutato ægri ſitu applicatio catheteris conceditur, v. g. ſub proſtatæ induratione immitti ſæpe poteſt a parte poſteriori, dum æger in genua brachiaque incumbit, vide *Trojam*, *Hunterum*, maxime vero *Deſſaultum*.

Contra ſcirrhoſitatem proſtatæ commendatur balneum tepidum, vapores aquæ ad anum & perinæum admiſſi, fomentationes emollientes adpoſitæ, frictiones mercuriales ad partem affectam factæ; proficere hæc poſſunt in proſtatæ infarctu, nequaquam in ſcirrhoſitate. Interne cicuta, decoctum ononidis; ſed cum nec proſtatæ tumor urinam omni tempore retineat, ſpasmus interdum accedere cenſendus eſt, emollientibus, & oleoſis admotis ſuperandus.

Abſceſſus ad proſtatam ex inflammatione natus aperiri bono omine in urethram poteſt, vel in pelvi cavum, vel etiam ad perinæum, relinquens fiſtulas difficilimæ ſanationis; quod ne fiat, emollientia ad perinæum apponenda, & abſceſſus, ubi primum formatus videbitur, aperiendus. Fiſtulæ ſi forte adfuerint, ad originem usque aperiendæ, urethræ læſionem vitando, vitabimus autem cathetere in urethram immiſſo, qui eam manifeſtabit.

Si urinæ retentio ex prolapſu uteri &c. hernia vaginæ, veſicæ, hæc reponenda. In uteri &c. ſcirrho vix non fruſtra labor erit.

Con-

Contra sabulum, calculum cervicem claudentem, catheter illa removens opem temporariam conciliat, cura vero constans calculi tantum sectione obtinetur.

Sanguis in vesica hærens per aquam tepidam syringis ope injectam eluendus.

Si potu acriori fermentante urinæ difficultas inducta fuerit, potus tepidus, demulcens ex Salep, althea &c. paratus, balnea tepida, clyster emolliens prosunt.

Si malum a cantharidibus fuerit, eadem fere conducunt. Quidam pauca camphoræ grana in emulso tanquam specifica laudant. At camphora vesicantibus applicandis addita dysuriam &c. non prævertit.

Si his auxiliis intra 2—3 dies urina educi nequit, ne paralysis, aut inflammatio & gangræna succedat, vesica pertundenda.

A. Methodo *Fleurantii* per intestinum rectum, per quod tricuspis 6 circiter pollices longa in cannula recondita, juxta digitum oleo inunctum, introducitur, & in vesicam adigitur, cavendo prostatæ læsionem, quæ contingere potest, ubi vesica multum jam ascendit, ubi maxime tumet; tricuspis cannula relicta educitur, & ope fasciæ firmatur, tamdiu relinquenda, donec urina fluere per urethram incipiat. A cannula diutius relicta vix metuendum est; novit 5 septimanas *Frank* relictam in sene 70 annorum, qui sanatus est, licet urina purulenta per cannulam longiore tempore flueret. In alio tribus mensibus relicta. In Marchione *Botta* 75 annorum, cui tumor prostatæ insignis fuit, vesica ad diaphragma usque dilatata, vesica supra pubem aperta, & cannula sic volente ægro, qui explorationem urethræ per catheterem renuit, per 5 menses relicta est. Quo tempore asparagi copiosiores mensæ adferri solent, inter prandium mingere per urethram cœpit, & cannula educta crustam non monstravit, ac sanitas est insecuta.

Ab

Ab extracta vero cannula metuendum non eſt, ne urina in pelvim depluat, veſica enim compuncta inflammatur & cum inteſtino recto concreſcit. An & ſupra pubem compuncta peritonæo concreſcit, & ſi concreſcit, an contrahi veſica ſatis poteſt?

B. Ad perinæum, ubi ſectio calculi lateralis inſtituitur. Huic methodo *Frank* non favet, quia multæ carnes perſcindendæ ſunt, nec veſica multum jam elevata aperiri facile poteſt.

C. Supra pubem, qui locus *Frank* fere præplacet.

Or-

ORDO III.

RETENTIONES MUCOSO-LYMPHATICÆ.

Genus I. Icterus Boerhaavii, Cullenii; aurigo Sauvagesii; cachexia icterica Frid. Hoffmanni; morbus regius, arquatus veterum.

Icteri, morbi sat frequentis, & difficilis sæpe sanationis, juxta *Cullenium* characteres sunt: flavedo cutis & oculorum, fœces albidæ, urina obscura, colore luteo tingens chartam vel linteum album immissum.

A Frank definitur: morbosa bilis ad massam humorum refusio cum flavedine cutis, maxime albugineæ oculorum, plerumque cum dyspepsia, alvi obstructione, fœcibus gryseis, albescentibus, urina tincta & tingente, sæpe cum pruritu, & lassitudine universali. Nec tamen hæc singula in quovis ictero adsunt symptomata; sic sæpe quidem adest dyspepsia, anorexia, oppressionis, constrictionis ad ventriculum sensus, cum ructibus, borborygmis, flatibus; interdum tamen appetitus viget, imo auctus est, nec ullum ad ventriculum incommodum premit. Lassitudo, lanquor, debilitas in multis adest.

Alvus fere tarda, excrementa dura, coloris cinerei, interdum tamen sub medio ictero diarrhœa torminosa, fœces flavas evacuans accedit, ut adeo quibusdam temporibus, v. g. sub ictero spasmodico, major bilis in intestina affluxus contingere debeat.

Color cutis in ictero fere flavus; sic in æthiope icterico flavedo minus conspicua est in cute, quam in al-

albuginea, variat item pro morbi duratione & bilis effusæ copia; quo plus bilis in sanguinem refusum est, eo magis cutis flavet, & ad nigredinem accedit, melas icterus veterum, qui alius morbus non est, attamen gravior, quia plus bilis in sanguine hæret; cutis adeo interdum bile infarcta est, ut indusia flavo colore tingat, ut monente *Galeno* apud veteres tinxerit strigilim cuti post balnea admotam.

Nec tamen omnis cutis flavedo de ictero mox testatur, nam & alii cachetici flavent, nec quivis recens natus ictero vero laborat; nam vel robustissimus, ut cancer coctus rubet, sensim flavet, cum cutis desquammatione; nempe ab aëris attactu cutis irritata universalem quasi sugillationem, erythema contraxit, resorpto jam pro parte sanguine color flavus remanet, quemadmodum paucus sanguis cum multo muco remixtus colorem flavum refert, quemadmodum plaga contusa ex rubore, vel livore sensim flavescit, virescit. Sic *Frank* in puella 26 annorum, quæ ex scorbuto decessit, & multum per vices sanguinem naribus amisit, ubi molimina hœmorrhagiæ, maculas conspexit flavas disparituras, quamprimum sanguis naribus fluere incepisset. An non hæ maculæ e pauco sanguine sub cutem evacuato natæ censendæ sunt? Post viperæ morsum omnis cutis flavet, an a spastica cutis affectione, qua pauxillum sanguinis in cellularem subcutaneam evacuatur? an verus icterus est hepaticus spasmo inductus? nam ignorat *Frank*, num & albuginea flaveat, num fœces & urinæ ictericæ secedant.

Cutis ictericorum in morbo præsertim adulto sæpe prurit, præsertim sub nocte, ita ut somnum capere ægrotantes nequeant. Pruritus fere eo major, quo minus tincta urina excernitur, attamen & contra res habet.

Color albugineæ oculorum flavus est. Corneam sub ictero bile tingi in quibusdam tamen *Frank* vidit, dum oblique illam inspiceret, & *Mauchardus de tunica cornea* §. 20. exemplum habet viduæ plus

quam

quam quadragenariae, quae ictero per plures septimanas laborans, corneam flavam ostendit, atque flava quaevis conspexit. *Targioni* quoque volum. I. corneam flavam habet.

Raro ictericis, licet proverbium ita dicat, flava comparent objecta. Negavit omnino *Hallerus; Morgagnius epistola* XXXVII. numero 5. unicum exemplum adfert proprium. *Frank* antequam Viennam appulisset inter millenos ictericos quinque forte habuit, quibus objecta flava comparebant, Viennae tamen hoc illi phaenomenon sat frequenter occurrit. Sed unde flavus objectorum color in ictero? an a bile in cameras oculi effusa, quemadmodum observante *Saint Yves, & Boerhaavio* post sanguinem in oculi cava effusum aeger colorem rubrum accusavit? At secundum *Haënii praelectionum pathologicarum* Tomum V. *de vermibus, & ictero* flava non comparebant objecta, ubi humor vitreus, & lens crystallina flavo colore erant distincta. Visus obscuritatem a *Sauvagesio* inter icteri symptomata allatam *Frank* raro conspexit.

Linqua ictericis plerisque pura, paucis flava, sapor vero vix saepius, quam in aliis morbis amarus est.

Saliva, & lachrymae in ictero nunquam conspectae sunt flavae, lac vero, rarissimo casu in clinico Viennensi, flavum est conspectum, gustatum tamen amarorem non prodidit. At laboravit haec icterica simul fluore genitalium flavi coloris.

Interdum cartilagines, ipsaque ossa flava sunt in ictero reperta. Vidit *Frank* Ticini, vidit *Morgagnius epistola* XXXVII., vidit *Staerk anno medico* I. pagina 150, vidit *Stollius rationis medendi* Tomo III. cerebrum quoque hic idem flavum vidit. Serum sanguinis e vena missi, vel hoemorrhagia narium evacuati, flavum est conspectum, & tingens juxta *Baglivium & Kerkringium.*

Inter constantiora icteri symptomata est urina fusca, opaca, cerevisiam pruneam fere referens; etiam turbida simulque tingens, cum urina

in

in febribus asthenicis sæpe longe magis tincta non tingat. Interdum tamen ictericorum urina prorsus cruda est, non tingens, tingitur vero vel post paucas horas. Legenda *Georgii Bœhm analecta de ictero* Halæ 1780; habetur hæc dissertatio in *Baldingeri opusculorum* volumine VI.

Dividi juxta *Frank* icterus potest:

Ratione extensionis in icterum totius corporis, & in partialem. *Ettmüller operum* Tomo II. pag. 844 icterum unius perfecte lateris vidit, exemplum simile in *ephemeridum naturæ curiosorum* centuria V. observatione 41 habetur.

Ratione decursus in acutum, febrilem, qui pejor; & in chronicum, non febrilem; tum etiam in continuum, & periodicum, febris intermittentis comitem, *Frank* quoque visum.

Ratione modi invadendi in sporadicum & epidemicum, hunc *Brüning* indolis spasmodicæ Essendiæ 1772. observavit.

Ratione originis in essentialem, v. g. ab hepate in parte potissimum concava inflammato, & in symptomaticum, v. g. a mœconio, utero gravido.

Ratione causæ in icterum a vitio locali, hepatis, vel partium adjacentium, v. g. a spissitudine bilis, calculis ductus biliferos obsidentibus, a vermibus illic stabulantibus, a compressione per uterum gravidum &c. vel ex vitio universi systematis sive sthenico, sive asthenico. In febre asthenica graviori interdum comparet. Huc pertinere videtur febris flava americana quasi pestilentialis & contagiosa, cui similem *Frank* semel sanavit, at non contagiosam, nec tantis, ut in America, hœmorrhagiis stipatam.

Cullenius quinque icteri species statuit, quas in exponenda icteri doctrina, cum causas plerasque contineant, *Frank* sequitur; sunt vero:

1. Icterus calculosus, qui incedit cum dolore in parte epigastrica acuto, post pastum aucto,

to, & cum dejectione concretionum biliosarum, calculi cystidis felleæ figuram exhibent ovalem, triangularem &c. superficiem asperam, glabram, impressam, si plures adfuerint, *Frank* 80 aliquando vidit; colorem flavum, pruneum, nigrum. Alii lamellares comparent atque incrustatione nati videntur. Duriores nisi fuerint, flammæ admoti inflammantur, atque pauco carbone relicto deflagrant, hinc maxima parte oleosi sunt; recentes vero muco abundantes flammam vix concipiunt; alii splendentes, in medio quasi spatiosi, non inflammabiles crystallisatione nasci videntur. An forte & in lamellatis primum rudimentum crystallisatione formatur, cui plures sensim laminæ apponuntur?

Symptomata, quæ ex nervorum ventriculi & hepatis unione explicari possunt, sunt: dolor periodicus circa hepar & ventriculum cum nausea, vomitu, cardialgia crudeli per diem unum alterumve durans, dein per aliquod tempus cessans, iterumque rediens, periodis non sat fixis. Quamdiu calculi immoti jacent, dolorem, nisi plurimum angulosi fuerint, vix excitant, sed dum per ductum cysticum &c moventur, cruciatus horrendos, ipsasque convulsiones inducunt; in intestina si promoti fuerint, symptomata cessant, multa bilis effluit, alvum sæpius motura.

Difficilis icteri calculosi diagnosis, nisi calculi alvo excreti litem dirimant; sæpe enim in cadavere eorum, ictero qui calculoso laborasse videbantur, calculi non sunt reperti; in cadavere aliorum, multi in hepate & vesicula fellea calculi sunt reperti, quin ictero unquam in vita laborassent.

Calculos biliosos vomitu rejectos *Frank* non vidit, at rejectos *Sallaba* novit a fæmina post insignes in hepatis regione dolores, diramque cardialgiam, ubi aliquamdiu æthere vitriolico usa esset.

2. Spasmodicus juxta *Cullenium* sine dolore regionis hepaticæ incedit, morbis spasmodicis subjectos plectit, nascîturque spasmo circa hepar inducto, bileque inde retenta, post animi pa-

pathemata, iram, terrorem, poſt capitis concuſſionem, ſub frigore intermittentium. Exemplum hujus icteri habetur in *Friderici Hoffmanni medicinæ rationalis*, Tomo IV. cap. IV. In *miſcellaneis naturæ curioſorum* icterus habetur infantis lactantis poſt iram matris exortus.

Circa icterum ſpasmodicum legendus eſt *Brüning in tractatu de ictero ſpasmadico infantum* Esſendiæ 1773. Icterus hic epidemicus periodicus infeſtus fuit ſub methodo evacuante multis lethalis, ſolis antiſpasticis, moſcho, camphora, valeriana ſylveſtri ſanandus. Erupit hic icterus, niſi mors præpediviſſet, poſt dolores atroces cardialgicos, colicos cum rigore corporis, ſæpe cum animi alienatione; adeoque non ſemper ſine dolore incedit, ut vult *Cullenius*, cum reſpiratione difficillima, anxietate præcordiorum ſumma, pulſu parvo, contracto, intermittente. Paroxiſmus talis bis, terve per diem invaſit, quo ſoluto aucta urinarum excretio, quæ ſub paroxiſmo ſæpe tenues, aquoſæ, & ad paucas guttas dolorifice excernebantur.

In Anglia quoque ſeculo elapſo poſt colicam bilioſam epidemicus eſt viſus, periodicus, irritabilibus infeſtus, evacuantibus exacerbatus; habetur etiam apud *Pringle de morbis caſtrenſibus* parte III. cap. 4.

Quarin de morbis chronicis icterum ſpasmodicam adeſſe putat, ſi ſubjectum facile irritabile, ſi ante icterum natum urina copioſa & pallida excreta, ſi poſt animi pathema ſubito exortus eſt absque cauſa cognita alia prægreſſa, ſi nulla in hypochondrio dextro durities ſit. Apud infantes tam ſenſiles facilius icterus ſpasmodicus naſcitur, quam alius, ſi forte recens natorum excipias a meconio reſtitante inductum.

Icterum ſpasmodicum frequentiorem, quam ullum alium putant *Cullen*, & *Decheaux* überſetzt von Vogler. Wezlar 1791. — *Frank* licet ſat frequentem ipſe viderit, non conſentit, forte tamen eatenus

nus verum eſt, quatenus cuivis icтero ſpasmus facile accedit.

Heberden, & alii icterum ſpasmodicum omnino negarunt. Difficile eſt ſpasmum ut icteri cauſam explicare, cum fibræ muſculares in ductu hepatico, cyſtico, atque choledocho non adſint.

At præter fibras muſculares aliis etiam partibus vis contractilis concedenda videtur, nam & urethra absque fibris muſcularibus contrahitur. Porro ductus choledochus oblique inter duodeni membranas in illius cavum aperitur, irritato jam per vermes &c. inteſtino duodeno, & conſtricto, aut per flatus, cruditates dilatato, comprimitur orificium ductus choledochi, & bilis retinetur.

3. Hepaticus, per varia hepatis, partiumque adjacentium vitia induci poteſt, atque ſine dolore incedit. *Celſus* de ictero loquens de hac ſpecie intelligendus videtur.

Ad cauſas icteri hepatici pertinet

a. Hepatis inflammatio tali in loco nata, ubi tumor exortus comprimere ductum hepaticum, aut alium valet. *Fridericus Hoffmannus* frequentiorem hepatis inflammationem putat in ſuperficie, quam in parenchymate.

b. Hepatis abſceſſus ſat frequentes dubitari non ſinunt de parenchymatis hepatici inflammatione, licet ita clandeſtine ſæpe incedat, ut ægri de moleſtia ad hepar vix conquerantur, adeoque ſat inſenſibile in parenchymate hepar videtur. Aperto fæminæ cadavere, quæ hepatitide laboraſſe ipſi videbatur, hepar *Frank* ſanum, non tumidum conſpexit, quod tamen diſſectum abſceſſum magnum exhibuit; exempla alia habentur apud *Bartholinum*, *Foreſtum*, *Aretæum*, *Hippocratem in prænotionibus coacis*, ſectione VII. cap. 45. — *Dundas* icterum cum hepatis abſceſſu periodicum habet. Quomodo hac cum cauſa ſemper adfuit?

c. Hepatis obſtructio ſcirrhoſa, induratio, ita ſita, ut comprimere ductus excre-

torios poſſit. Hepatis ſcirrhus frequentior fere quam aliorum viſcerum eſt. *Richard de Hauteſierk* poſt ictẽrum cum gravi dyſpnœa, & anxietate junctum hepar duriſſimum invenit. Hepatis ſcirrhum prægrandem poſt icterum *Frank* Ticini 1785 item detexit. At cum hepatis ſcirrho volumen illius ubique auctum non eſt, interdum potius imminutum, quod & de liene, utero, induratis valet, nec hepar volumine auctum ſemper ſcirrhoſum: Vide viſconiam *Sauvageſii*. pag. 3.

d. Hepatis ſteatomata, tumores pinqueoſi, comprimere ductus biliferos valent, vide *Heuermann*. Plerumque ad lobulum *Spiegelii*, hinc in vicinia ductuum biliferorum ſunt. Cum hic lobulus minori ventriculi curvaturæ accumbat, poſſunt hæc ſteatomata carcinomatica ventriculum erodere, indeque materia ichoroſa inter dolores inſignes vomitu rejici.

e. Cyſtidis felleae, quæ iisdem, quibus veſica urinaria, ſubjacere morbis videtur, inflammatio, cujus exemplum habet *Sabatier*. Montis peſſulani 1785. fæmina, quæ 3 ſeptimanas hepatitidis diræ ſymptomata perpeſſa eſt, in clinicum Ticinenſe ſuſcepta tumorem in hepatis regione exhibet attactus impatientem cum frequenti vomitu. Mortua poſt plures venæ ſectiones &c. in hepatis convexitate plagam ſemilunarem lividam offert; in loco veſiculæ felleæ, deeſſe quæ videtur, tumor ſplendens, albus comparet, & calculus aliquantum prominens ex membranis veſiculæ felleæ, ut poſtea conſtitit, perforatis, atque pollicis craſſitiem æquantibus; in ſuperficie interna cyſtidis gangræna comparet per medium hepar ad illam usque plagam protenſa, quæ livida in hepatis parte convexa hærebat. Adeoque lethalis hæc inflammatio a calculo excitata videtur.

f. Cyſtidis felleae abſceſſus, cujus exemplum habet *Baumé junior in journal de Medicine*, & *Guettard*. Veſicula fellea ſuppurata, vel hydropica tumore ad limbum coſtarum fluctuante impo-

imponere valet pro hepatis abſceſſu, cujus rei exempla vide apud *Veſalium*, *Swietenium*, *Zwingerum*, *Petitum* &c. Cave, ne talem tumorem aperias, depluunt enim contenta in abdominis cavum lethali cum eventu.

g. Inflammatio, induratio ductus hepatici, cyſtici, choledochi per calculos &c.

h. Bilis inſpiſſata ductus biliferos obſtruens. Bilem inſpiſſatam vidit *Bonetus* in theatro tabidorum, & *Brüning*. *Stoll rationis medendi* Tomo III. ductum cyſticum & hepaticum impervium vidit, bilem in veſicula fellea extractum liquiritiæ referentem, ſub vitæ tamen fine alvus æruginoſiſſima fluxit. *Frank* ad atramenti craſſioris ſpiſſitudinem reductam vidit, quid mirum, ſi ductus biliferi inde obſtruantur. Nihilominus icterum a bile ſpiſſiori naſci poſſe negat *Marcardus*.

i. Tode in Medizinisch-Chirurgischen Bibliothek Band II. ſub ictero hydatites evacuatas vidit cum ſanitate inſequuta, quæ probabiliter in ipſo hepate hæſerunt, & per ductum choledochum in duodenum evacuatæ ſunt. *Valſalva* icterum habet ab hydatite ductum choledochum comprimente enatum.

k. Vermes, ſive in inteſtinis hæſerint, ut apud *Bianchi*, & *Lieutaudium*, ſive in ductum choledochum ſe inſinuaverint; ſic *Tozetti* exemplum habet hydrophobiæ absque morſu animalis rabidi cum ictero, ubi vermis in ductu choledocho repertus; ſive etiam ad hepar ipſum aſcenderint, exempla vide in *ephemeridum naturæ curioſorum* decade I. & in *actorum naturæ curioſorum* Tomo V. *Wierus* & *Pott* exemplum habent vermis, qui exeſa hepatis ſubſtantia ad ſuperficiem illius externam prorupit. Sed an ſemper vermes fuerunt, adeſſe qui videbantur? & ſi vermes fuerunt, an jam in vita ibi hærebant, an primum circa mortem tranſierunt? quemadmodum ſub mortem per œſophagum aſcendiſſe ſunt viſi, male habentes vel ex hoſpitis morbo, vel ex victus penuria.

l.

l. Compreſſio ductuum biliferorum per uterum gravidum, colon dextrum adſcendens fœcibus diſtentum, ſcirrhum pancreatis, oris ventriculi &c. Vide *Bonetum*, & *Swietenii comentariorum* Tomum III. *Frank* in fæmina macilenta ex ictero & hydrope demortua hepar ſanum invenit, cyſtidem felleam bile tenaci repletiſſimam, & ductum choledochum ſcirrho pancreatis compreſſum. In alia ex ictero defuncta vidit ventriculum perpendicularem ita, ut pylorus infra umbilicum hæreret, duodenum angulum cum ductu choledocho acutiſſimum efformaret, & ſic bilis effluxum impediret.

Quidquid vero bilis in duodenum effluxum impediverit, ductus biliferi ad inteſtini tenuis capacitatem ampliari poſſunt, cyſtis fellea ita extendi, ut vel rumpatur, ut *Lieutaud* habet, & *Frank* in fæmina Siegel vidit, aut fluctuationem edat, ut non ita pridem *Joſeph Frank* vidit in fæmina poſt inſignem hepatis ſcirrhum icterica.

4. Icteri gravidarum character juxta *Cullenium* eſt, quod ſub graviditate, antea nunquam præſens, oriatur, & partu abſoluto, vel & paulo prius diſpareat. Explicari poteſt ab utero ad hepar adſcendente, ductusque bilis excretorios comprimente. Cum enim interdum uterus ad diaphragma usque pertingens illud irritando tuſſim ſpasmodicam inducere poſſit: quid mirum, ſi inteſtina verſus hepar premendo ductum choledochum, veſiculam felleam comprimat. Icterum hunc *Sauvageſius* plethoricum vocat, qui rarius ſane a plethora eſt.

Exempla icteri gravidarum habet *Fridericus Hoffmannus* Tomo II. — Storch in medizinischen Jahrgang IV. — *Lieutaudius in hiſtoriæ anatomico-chirurgicæ* libro I. habet & *Frank*, an fæmina Siegel huc pertinet?

At non omnis in gravidis icterus ex uteri compreſſione pendet; naſci quoque poteſt per fœces in colo adſcendente collectas, clysmate & eccoproticis tollendus; & cum gravidæ vomitu ſæpe pertina-

tinaci vexentur, icтero etiam ſpasmodico affici poſſunt.

5. Icterus recens natorum, aurigo neophytorum *Sauvageſii*, natus ex meconio bilis in duodenum effluxum impediente, vel quod tenacitate inteſtina obducat, vel quod acrimonia ſpasmum inducat. Icteri hujus cauſam in meconio eſſe comprobatur, quod educto per ſyrupum cum rheo &c. meconio cito fere hic icterus diſpareat. Meconium quidem fere in inteſtinis craſſis hæret, probabile tamen, & in tenuibus hærere poſſe, cum adeo per vomitum habeatur rejectum.

Ad meconium pertinet coloſtrum ex lacte craſſiore natum, inteſtina infarciens. Adeſſe tamen in recens natis vitium organicum etiam poteſt, icterum inducens. Ut quidam variolarum, ſic *Levretus* icteri recens natorum cauſam falſo quærit in funiculo umbilicali ante deligationem non ſatis emuncto, cujus ſanquis corruptus icterum produceret. Quidam ad icterum hunc prævertendum non ſatis habebant funiculum emulgere, ſed ſale etiam conſpergebant, quo corruptionem impedirent: hic vero ſolutus omnem ventrem, obſervante *Frank*, lethali cum eventu inflammavit.

At ne omnem recens natorum flavedinem pro ictero habeas, ad quem etiam flavedo adnatæ. & urinæ tingentes requiruntur. Nam recens nati rubent eo quidem magis, quo robuſtiores fuerint; rubent vel ipſi æthiopum infantes, ſed poſt 8 circiter dies colorem æthiopibus proprium oſtendere incipiunt: rubor vero hic ſenſim in colorem flavum fatiſcens imponere pro ictero valet.

Cauſa proxima eſt bilis ad inteſtina fluxus impeditus & ejusdem ad ſanguinem per vaſa lymphatica reſorptio. Quidquid jam bilem regurgitare in ſanguinem facit, ad cauſas remotas pertinet, quæ fere ſingulæ ſuperius ſunt allatæ: inflammatio hepatis, veſiculæ felleæ &c. abſceſſus, bilis ſpiſſitudo, calculus, vermes, concretio ductuum biliferorum, obturatio orificii, ductus choleodo-

ledochi per meconium, ſpasmum; acria quæcunque, v. g. rheumaticum, priori ſede relicta & ad hepar delatum; paroxismus podagricus minus recte decurrens.

Sic in nobili vicinenſi alias podagrico inſigniter abdomen tumet, durumque tangitur, adeſt cordis palpitatio, reſpiratio difficilis cum ictero. Medicus obſtructionem ſubeſſe putans, ſolventia ſine fructu per ſeptimanas exhibet. *Frank* vocatus ſuadet balnea pedum cum ſeminibus ſinapi parata ad podagram revocandam; diſplicet conſilium, continuantur per ſeptimanas ſolventia; validus nunc paroxismus podagricus inſurgit, âbdomenque intra duos dies ſubſidet.

An morſus ſcorpionis, ut vult *Marcellus Donatus*, icterum infert? *Frank* læſos a ſcorpione multos vidit, absque ictero inſequente. An infert morſus felis, canis irati, ut vult *Lanzonus?* — Erit hic icterus ſpaſticus.

An bilis copia major ex inteſtinis reſorpta icterum inducere valet? valere *Frank* putat, negat *Hallerus*. *Marcard* in vermiſchten Schriften, Leipzig Theil I. negat icterum excitari poſſe per bilem hepaticam; refutatur a *Tode* in der medizinisch-chirurgischen Bibliothek, Band VII. Stück 1. Ratio negandi fuit, quod parum tincta, parumque amara eſſet bilis hepatica, adeoque inefficax. At copia majori reſorpta tingere ſatis poterit; dein ductu cyſtico obſtructo, dum ſola bilis hepatica ad inteſtina fluit, lanquet quidem digeſtio, at non deficit, adeoque penitus inefficax non eſt bilis hepatica. Sunt enim animalia, quæ ſolo ductu hepatico inſtructa ſunt, quorum tamen bilis ſat acris & ad digeſtionem ſufficiens eſt; poteſt porro diutius ſtagnare, unde acrior ſane reddetur. Exempla denique habentur icteri, ubi veſicula fellea defuit, aut ubi vacua, vel aqua mera fuit repleta.

Swieten atque *Morgagnius* icterum naſci poſſe putant a bile in ſanguine generata. At absque ſecretione nulla bilis erit, quemadmodum in eunu-

cho

cho semen non habetur, licet materia seminis in sanguine adsit.

Prognosis: Icterus levis interdum morbus est, sponte fere sanandus, auferri si causa queat; icterus v. g. recens natorum leni evacuanti fere cedit. Spasmodicus, nisi cum calculis fuerit, sponte sæpe sanatur. Ex hepatis inflammatione natus, periculosus, sed ob inflammationem. Ex hepatis scirrho natus lethalis; a calculis majoribus natus fere lethalis, quia expelli vix possunt.

Calculi fellei maxime post annum 50 in fæminis, quam viris frequentiores sunt, in proportione ut 5 ad 1. In agro Gœttingensi calculi fellei longe frequentiores, quam viarum urinariarum, in Italia contrarium obtinet; ergo an regio, an vitæ ratio &c. in genesin calculorum influit?

Hœmorrhoides ictericis fluentes dicuntur salutares; at si debilioribus fluunt, morbum exasperant. Qui in febribus asthenicis ante morbi solutionem præsente rigore & singultu oritur, pessimus est.

Hippocrates in libro de victu in acutis, in porrheticorum libro II. & *aphorismorum* libro IV. circa prognosin icteri nimis anxius *Frank* videtur; metuit vero icterum ante diem septimum comparentem, nisi diarrhœa sequatur &c. At monente *Averroë* citius comparere icterus potest absque lethali eventu, præsertim in calidioribus Indiæ & Persiæ regionibus.

Icterus cum febre lenta incedens, observante *Frank* & *Stoll* malus; an quia calore febrili acrior bilis redditur? videtur suadere pruritus mox major, nisi bilis per urinas evacuetur.

Icterus in febre intermittente symptomaticus, sæpe sat facile cortice tollitur. Urina quo parcior, quo magis tincta, eo pejor icterus. Icterus non sanandus in hydropem vel tabem abit.

Cura causarum sequitur indolem. Hinc circumspiciendum, num icterus sit acutus, an chronicus; an ex vitio locali vel partis adjacentis, an

ex

ex culpa totius ſyſtematis ſthenica vel aſthenica natus.

Si ſthenicæ indolis malum fuerit, v. g. ex hepatitide ſthenica, methodus antiphlogiſtica convenit, utens victu tenui, eccoproticis ex tamarindis, venæ ſectione, qua eductus ſanguis ſerum flaviſſimum ſæpe exhibet. In ictero aſthenico methodus excitans convenit. In ictero cum febre intermittente incedente cortex febrem jugulans icterum ſimul fere jugulat, præmiſſo, ſi opus propter ſaburras fuerit, purgante.

Icterus ſæpe ſub quartana, quam alia intermittente occurrit, cum obſtructionibus junctus, quæ ſi manifeſtæ fuerint, lenia ſolventia ex cichoreo, taraxaco conducunt. Ictero cum hepatis obſtructione in quartana incedenti fruſtra factam medicinam *Frank* vidit; comparente poſt aliquod tempus diarrhœa febris quartana ſiluit; diarrhœa ceſſante mors non multo poſt accidit.

Spasmodicæ indolis ſi fuerit, cavendum ab evacuantibus, tum emeticis, tum purgantibus, quæ juxta *Brüning* peſſime ceſſiſſe ſunt viſa; cavendum item a nimis ſtimulantibus. Conducunt vero emollientia, tum externa, tum interna, infuſum chamomillæ, vel valerianæ ſylveſtris cum pauco moſcho & opio; frictio abdominis, inunctio olei, unquenti altheæ, addita tinctura anodyna, bis, ter de die inſtituta. Juxta *Vogler* laudanum liquidum clyſteri ad guttas x—xv additum melius agit, quam ore aſſumptum.

Donatus Monro, *Kœmpf*, *Homé*, emetica laudant. Prodeſſe poterunt ſaburra præſente, at facile nocebunt vitio hepatis organico præſente, aut in ægro jam debiliore. *Frank* & *Quarin* emeticis non favent.

At leniter per alvum evacuantia, bis terve per diem agentia, in omni ictero, ſpasmodico excepto, *Frank* profuerunt, etiam in eo, qui cum obſtructione incedit; prodeſſe vero videntur, tum evacuando materias in inteſtinis collectas, tum ſtimu-

ſtimulando duodenum, & ſtimulum per ductum choledochum iisdem cum duodeno membranis inſtructum ad hepar communicando, quo tenacitatem bilis, obſtructiones ſolvere videntur.

℞. Aquæ menthæ unc. iv.
Tinct. rhei aquoſ. unc. jj.
Extract. taraxaci
Arcan. duplic. aa. dr. jj—jjj.
Syr. cich. cum rheo unc. j. capiatur omni bihorio cochlear j.

Similibus ſolventibus per 5—6 dies continuatis volatilia adhibet, v. g. aquam menthæ cum extracto taraxaci, vel infuſum amarum cum liquore minerali Hoffmanni; tempore verno ſuccos recentes herbarum, v. g. ſucci taraxaci cum toto expreſſi unc. jj—jjj. cum juſculo carnium, addito interdum arcano duplicato. Si icterus ex obſtructione natus his reſiſtat, ad fortiora perveniendum, ad ſaponem, gummi ammoniacum, extracta, v. g.

℞. Sap. veneti, vel alicantini, vel debreczinenſis
Gummi ammoniaci aa. dr. jj.
Extractum taraxaci dr. jjj.
Pulv. rhei dr. β. fiant pillulæ gr. jjj. capiantur ter de die numero 6—7. ſuperbibendo infuſum amarum, vel decoctum graminis, taraxaci.

Hoc non juvante interdum profuit tartarus emeticus refracta doſi cum extractis amaris:

℞. Extracti taraxaci dr. jjj.
Gummi ammoniaci dr. jβ.
Tartari emetici in aqua ſoluti gr. vi.
Pulv. rad. val. ſylv. dr. β. fiant pillulæ gr. jj. capiantur ter in die numero iv—v.

At notandum, tartarum emeticum, ſicut & alia pharmaca valida pillulis addenda, prius ſolvendum eſſe, ne minus diviſus, & in quadam doſi majori copia præſens hypercatharſin &c. excitet.

Stœrk in ictero ex hepatis obſtructione nato laudat mixturam ſaponaceam, ſat nauſeoſam, vomi-

mitum facile moventem, adeoque diutius, ut *Frank* expertus est, vix continuandum.

℞. Saponis veneti unc. ß. solve in
Aquæ fumariæ libr. j. adde
Syr. fumariæ unc. jj.
Rhei electi dr. jß. capiantur omni bihorio
cochlearia jj.

In ictero ex hepate obstructo oriundo ova recentia in aqua soluta. Vide *Whytt* in Sammlung praktischer Abhandlungen Band II. Stück 1. *Frank* sæpe profuerunt; duo exhibentur mane, dein unum omni quarta hora; post aliquot dies suo colore tinguntur fœces, & interdum icterus sanatur, aliis remediis non sanandus. Ovis sic exhibitis icterum aliis non sanandum *Frank* sanavit in milite, sanavit 1785. in Barone *Nefzer*, quæ macilentissima simulque gravida nullum amplius remedium pertulit, ova retinens; ex ictero fuit restituta, antequam adhuc peperisset.

Ova sic porrecta prodesse possunt, tum vi nutriente, tum saponacea, qua materiam tenacem in intestinis hærentem abstergunt. Sed in ictero ex hepate obstructo, ne externa quidem negligenda sunt, hinc manu calida, vel panno regioni hepaticæ inungendum linimentum volatile, unguentum nervinum, addito in malo graviori unguento mercuriali:

℞. Ungenti alth. unc. j.
— mercurialis dr. jj—jjj.

Huc pertinent balnea, semicupia ex aqua simplici, vel saponata, fomentationes resolventes hepati adplicatæ.

℞. Herbæ cicutæ unc. jjj. infunde
Aquæ fervidæ mens. jj. per ¼ horæ, in
Colatura solve
Sapon. veneti unc. iv. adde
Lactis vaccini libr. jjj.

Huc pertinent clysteres resolventes Kæmpfii ex decocto saturato taraxaci & marubio albo, aliave herba aromatica infusa parati. In sanando icte-

ictero calculoſo, vix cognoſcendo, quamdiu calculi ano non excernuntur, duplex cura opus, alia præſente ſpasmo per calculos excitato, alia ſpasmo ſublato. Ubi inſignis cardialgia, vomitus, convulſio, ſpasmum adeſſe teſtantur, volatilia e. g.

℞. Aquæ chamom. unc. vj.
Liquor. cornu cervi.
Laud. liquid. Sydenh. aa. ſcr. j.
Syr. menthæ unc. j.

Signetur omni dimidia, vel integra hora cochlear j. *Gallus* quidam in *actorum Pariſienſium* Tomo II. calculos felleos examinans reperit lamellares at non cryſtalliſatos, ſolvi alcohole, melius vero æthere vitriolico, quare propoſuit

℞. Aetheris vitriolici dr. jj.
Spirit. therebinth. dr. j.

Capiantur ter de die guttæ xv—xx. cum ſaccharo. At cum ſpiritus therebinthinæ nimis irritaſſe ſit viſus, æther vitriolicus ſolus exhibitus eſt cum fructu. Prodeſſe vero videtur ſpaſmos ſolvendo, ut exitus calculis non nimis magnis concedatur, non vero ſolvendo, nam ætherem ad hepar usque ſat efficacem pervenire poſſe, quis concipere valeat?

Sallaba matronam nobilem reſtitutam ex ictero vidit poſtquam guttis xx—xxv. ætheris vitriolici ter, quater de die aliquamdiu aſſumptis, calculum ſat magnum ore excreviſſet. Ad ſpaſmum ſolvendum contribuere poſſunt ſemicupia, fomentationes emollientes ad regionem hepatis applicatæ.

Spaſmo in ictero calculoſo ablato commendatur ſapo, qui iterum non proderit ad hepar tranſiens, ſed ſtimulo ad inteſtinum duodenum excitato, & per ductum choledochum propagato.

Huc caſus fæminæ *Siegel* pertinet, quæ inter uſum ſaponis cum extracto cichorei & rheo, & decocti ſolventis 80 calculos cum ſanitate inſequuta excrevit. Tentari item meretur ſal ſodæ ad gr. j—jj. cum ſacharo, vel ad dr. j—jj. in aquæ vel ſimplicis, vel ſelteranæ libr. ij. ſolutus, & ſyrupo

gra-

grato edulcoratus, bibendo ter, quater vitrum ordinarium.

Icterus gravidarum post partum, mole uteri imminuta, cito plerumque tollitur, interdum 14 ante partum diebus disparet, cum uterus descendens hepar comprimere desinat. At si alia simul causa subsit v. g. colon dextrum fœcibus distentum, aut spasmus, hæc suo modo auferenda. Venæ sectionem in gravidis rarius instituendam *Frank* putat, quia plethora non ubique peccat; novit enim, quo tempore frequens administrabatur, abortum sæpe exstitisse, aut matrem ac fœtum plurimum esse debilitatos.

Icterus recens natorum, si a meconio fuerit, hoc ipsum leniter evacuandum per syrupum cichorei cum rheo, omni bihorio ad cochlear parvum exhibitum, vel per sequentem *Quarini* formulam:

℞. Aquæ fœniculi dr. vj.
Tincturæ rhei aquos. dr. ij.
Sapon. venet. vitello subacti gr. xvj.
Syrupi de cichoreo unc. β f. ut prius.

Si forte lac nutricis, quæ jam pridem peperit, nimis spissum fuerit, nutrix cum alia commutanda, & priora exhibenda.

Boër im Theil III. balneum frigidum commendat; quo icterum in recens nato inductum *Frank* novit. An ubi juvit, icterus forte spurius fuit post erythema relictus?

In ictero a morsu animalis irati, viperæ &c. *Frankio* nunquam viso, commendantur unctiones oleosæ cum camphora & a *Kæmpfio*, an ex propria experientia?

℞. Salis volat. oleosi dr. β.
Laud. liq. Sydenh. gutt. xv.
Syr. de diacodio unc. j.
Aquæ destill. unc. v.

Capiatur omni hora cochlear j. superbibendo infusum chamomillæ &c.

Ga-

Galenus de locis affectis libro V. capite 7 refert icterum post viperæ morsum natum, epota solutione theriacæ *Andromachi*, quæ ad dr. β—j. in aqua menthæ solvi potest, sanatum.

Genus II. Obstructio.

Quo juniora sunt animalia, eo plura vasa habent pervia, injectione demonstranda. In oculo, tympani cavo juniorum longe plura comparent vasa, quam in adultorum; partes singulæ, & ipse ossis fracti callus, quamdiu crescunt, vasa plura ostendunt, quam incremento absoluto. Horum jam vasorum pars magna sensim obliteratur. In ipso adeo recens nato clauditur ductus arteriosus *Botalli* urachus, clauduntur venæ umbilicales. Atque hæ vasorum obliteratio stante sanitate contingit, sæpe vero morbi ex vasorum obliteratione existunt.

Veteres ad vim vitalem non satis attendentes omnem canalium obstructionem derivarunt ab emphraxi, stenochoria, thlipsi, symphysi, & synizesi; præterviderunt hinc obstructionem a contractione spasmodica, & atonia vasorum.

Obstructionem, quæ malum secundarium est, præcedit:

C o n g e s t i o, i n f a r c t u s, qui determinatione latiori est visceris spongiosi canaliculosi nimia & morbosa distentio ab humoribus justo copiosius collectis. Determinatione vero magis speciali est repletio vasorum nimia & morbosa a justo majori materiæ in illis collectæ copia formata, qua diameter præter modum ita augetur, ut in farciminis fere morem turgeat, quaque circulatio retardatur, functio partis læditur, humores stagnationi, & mutationi spontaneæ vicini redduntur.

Quantum humoribus stagnantibus repleri partes possint, sectiones pathologicæ docuerunt. *Vesalius de corporis humani fabrica* venam portarum pollicem æquasse vidit. Vasa meseraica ad intestini tenuis amplitudinem extenta *Fridericus Hoffman-*

mannus conſpexit. Poſt vomitum cruentum ventriculi vaſa plurimum diſtracta detexit *Kæmpf.* Varices in pedibus gravidarum ad pollicem extenſæ oculis ſubjacent.

Infarctus in vaſis fere venoſis, & quidem minoris diametri vix non tantum locum habet. Ipſius tamen venæ cavæ adſcendentis penitus obliteratæ exemplum habetur; exemplum infarctus arterioſi largiuntur aneuriſmata lymphæ coagulabilis membranis infarcta &c. Congeſtio contingit in venis partium textu celluloſo laxiori inſtructis v. g. in plexu choroideo, unde vertigo, apoplexia; in venis hœmorrhoidalibus ſub hepatis potiſſimum obſtructione, qua præſente venæ hœmorrhoidales evacuari nequeunt; in venis ſpermaticis, quæ turgentes cirſocelen ſic dictam conſtituunt; in pulmone, hepate, liene, utero.

Congeſtionis cauſa eſt irritatio partis, qua major humorum copia ad illam determinatur. Sic ad oculum frictum major affluxus, ſic poſt ſpinam brachio infixam dolor partis, affluxus humorum auctus, tumor, calor, inflammatio; an ab energia partis aucta? Nam cum in reliquo corpore pulſus augmentum non deprehendatur, illorum, quæ in brachio contingunt, particeps cor reddi non videtur. *Boerhaavius* inflammationem ex obſtructione finis arteriarum repetit, qua major cordi reſiſtentia ponitur, ad quam vincendam cor validius inſurgit. At minus vera hæc videtur explicatio, nam obſtructio arteriarum, niſi aneuriſmaticarum demonſtrata non eſt; dein obſtructio ſæpe absque febre eſt, ut adeo ab obſtructione cor non illico in ſocietatem trahatur; porro a ligato funiculo umbilicali, ubi certe obſtructio eſt, febris non accenditur, & *Hallerus* ligata quadum arteria majorem quidem ſanquinis contra ligaturam arietationem vidit, quæ vero ſanquine per ramos laterales diffugiente poſt pauca minuta ceſſavit.

Al-

Altera congestionis causa est aucta partis debilitas, qua præsente sanquini impulso nec resistere, nec illum promovere valet.

Circa infarctum legendi sunt:

Joannes Kaempf de infarctu vasorum imi ventris, Basileæ 1751. — *Daniel Koch de infarctu vasorum infimi ventris*, Argentorati 1751. — *Friderici Elvert novæ observationes de infarctu venarum abdominalium*, Tübingæ 1754. — *Gottlieb Faber ulterior expositio methodi Kaempfianæ &c. Tübingæ* 1785. — Tria hæc opuscula continentur in *Baldingeri opusculorum medicorum* sylloge III. *Schmied de concrementis uteri in disputationum Halleri* Volumine III.—*Baillie* articulo 8. Londini 1793, juxta quem sanquis in vasis coit, vel ligatura vasi injecta, vel sub illius dilatatione: coagulatio vero incipit ad superficiem vasis, quæ in aneurismate raro tanta fit, ut omnem cavitatem aboleat.

Doctrina Kaempfiana circa infarctus, haud omnino negandos, multis erroribus locum dedit. Nam, quæ sub applicatione clysterum irritantium excretæ sunt materiæ polyposæ infarctus titulo, artis sæpe productum sunt, & ad clysteres continuandos facile seducunt incautos. Ubi enim irritatio, major illuc humorum affluxus, secretio morbosa, & concretiones polyposæ; sic oculo irritato lachrymæ fluunt, irritatione continuata lachrymæ spissiores materiam lymphaticam ad canthum oculi deponentes, continuata & nunc irritatione, sub inflammatione ad summum aucta, nulla excretio.

Si humores in parte infarcta in molem spissam abeunt, omnemque in illa circulationem intercipiunt, obstructio habetur. Potest quidem obstructio a compressione, constrictione &c. nasci; sed de his obstruendi modis hic sermo non est.

Omnia nostra liquida ob lymphæ & muci, quam continent copiam, in coagulum & concretionem sunt prona. Humores aquosi frigore mutantur in glaciem, concretiones calculosas in renibus, vesica di-

mittit urinam, lympha vero præter frigus ab alcohole, acidis, ipſa quiete coagulatur, quod docent membranæ aneurismata obducentes, oſſeæque arteriarum tunicæ; bilis cyſtica interdum ſpiſſior reddita ductus replet, in calculos abit; in podagra ſæpe materia calcarea ad ligamenta &c. articulorum deponitur, qua motus partis impeditur; folliculi ſebacei materiam melleam, lardaceam, gypſeam, oſſeam interdum recondunt, variosque tumores cyſticos, meliceri des, atheromata, ſteatomata efficiunt; ipſe ſanquis in parte gangrænoſa cito congrumatur.

Obſtrui canales, & cava per liquida degenerantia poſſunt, dum vel in iis ipſis in concretiones polyposas, calculoſas coëunt, vel ſi fluidum concrescibile in cellularem depoſitum condenſatur, vel etiam, ſi utrumque contingit. Inde partes molles redduntur duriores, augentur volumine, interdum tamen minuuntur; in ipſo ſcirrho, obſtructione ſane maxima, nullus ſæpe tumor eſt; imperviæ redduntur, ſanitatem, mobilitatem, figuram, & ſenſibilitatem, niſi nova inflammatio, & morboſa ſecretio accesserit, & functiones inde pendentes amittunt. Cave vero, ne quodvis partis cujusdam augmentum pro obſtructione habeas, nam glandulæ, viscera plurimum aucta optime ſæpe injiciuntur, qui ſtatus visconiam *Sauvageſii* conſtituit.

Tumor inflammatorius, nec reſolutus, nec ſuppuratus, nec etiam in gangrænam converſus, interdum ceſſante febre in tumorem durum abit, qui quidem induratio, nequaquam vero ſcirrhus dici poteſt.

Simpliciſſima indurationis ex inflammatione natæ idea hæc eſt: humor gelatinoſus vel in cavum, vel in cellularem partis inflammatæ morboſe ſecernitur, cujus pars tenuior vel exhalat, vel reſorbetur, pars craſſior reſidua in concretionem prona in gluten quaſi ſcrinariorum abit & partes adunat. Sed præter inflammationem a cauſis diverſiſſimis naſci poteſt induratio; in ſenibus ſingu-

ſingulæ fere partes ſenſim in oſſeam quaſi indolem abeunt, unde generalis tandem ſtagnatio, & mors.

Ad obſtructionem formandam requiritur vis vitalis aucta, qua ut ſub inflammatione humor morboſus ſecernitur, qui vaſa contrahit, & in partem quaſi viventem ſolideſcit, qualem pſeudomembranæ pulmonem cum pleura nectentes ſiſtunt, ſi jam tale in cavitate vaſorum contigerit, concreſcent, & obliterabuntur: vel requiritur plenaria vis vitalis ceſſatio, quidam quaſi aſphyxiæ ſtatus, ſub hac enim liquida ſtagnantia iterum corrumpuntur, & concrescunt.

Quamdiu vero vis vitalis partibus infarctis, obſtructis, licet multum imminuta, ineſt, tamdiu fluida ſtagnantia non concrescunt, ſed facultatem in priſtinam fluiditatem redeundi conſervant: docent hoc animalia per omnem hyemem quaſi dormientia, quæ redeunte veris calore ad vitam ſuscitantur. Induratio partis glanduloſæ, vel alterius major, cartilaginea, lapidea, cum inſenſilitate juncta dicitur

Scirrhus.

A *Boerhaavio* definitur: tumor durus, indolens glandulæ; huic definitioni quidam addunt, cum diſpoſitione in cancrum.

Richter in Anfangsgründen der Wundarzney, Band I. §. 423. hanc definitionem reprobat: nam non in omni ſcirrho tumor comparet, nec ſcirrhus in ſolis glandulis eſt, nec omnis ſcirrhus in cancrum degenerat; poſſunt enim glandulæ tumore etiam non ſcirrhoſo laborare; nec ſolus ſcirrhus glandularis, ſed & aliæ indurationes in cancrum ſunt diſpoſitæ. Quid vero juvat tribuere ſcirrho diſpoſitionem in cancrum, quæ non patet, donec evolvi cancer incipit?

Recte quidem hæc monuiſſe, nec meliorem tamen definitionem dediſſe *Richterus* videtur: eſſe

quamcunque partis alicujus indurationem. Quomodo enim juxta hanc definitionem pars indurata differt a ſcirrhoſa? callus pedum, manuumque induratio quidem, at ſcirrhus non eſt. Qui ſcirrhum definiunt tumorem durum ex materia cancroſa natum, errorem petiti principii committunt, etenim materiæ cancroſæ præſentia demonſtrata non eſt. Et licet verum ſit, ſcirrhum ſæpe ex univerſi ſyſtematis culpa accidere, cum ſcirrho exſecto ſæpe alius in loco diſſito ſuccedat, tamen & hoc certum eſt, etiam a cauſis externis, contuſione v. g. mammæ &c. adeoque a vitio locali ſcirrhum oriri, qui per annos bene multos benignus manet.

Secundum *Frank*, qui glandulam infarctam duram, ſæpe in cartilaginis, lapidis modum cum ſenſus & functionis abolitione, ſcirrhoſam dixerit, vix errabit. Adeoque *Frank* ſcirrhus definitur: partis vivæ & mollis, ut plurimum glanduloſæ mortificatio ex induratione nata cum pronitate in inflammationem, ſub qua ſenſibilitas redit, malignam, exulceratione terminandam, cum fluxu ſaniei accerrimæ corrodentis. Scirrhus cum carie oſſium quidquam commune habere *Frank* videtur; quemadmodum enim oſſa ſenſu in ſanitate deſtituta per inflammationem ſenſilia redduntur, & in cariem abeunt, ita ſcirrhus inflammatione ſenſilis redditur, & in ſaniem degenerat.

Mirum ſane, indurationes tot annis in aſphyxia quaſi hærentes, vix ſentientes aut calentes, vitalitate non privari, quod inflammatio interdum enata ſatis comprobat. Dolores in carcinomate comparentes non in ipſa parte indurata, ſed in partibus vicinis ſedem habere *Morgagnius* putat; at in media mamma obſtructa dolores *Frank* obſervavit.

Effectus omni ſcirrho communis eſt functio partis affectæ plusminus ſublata (nam obliterantur vaſa, comprimuntur nervi, unde circulatio, & ſenſus perit) ſublatusque illius influxus in totius corporis œconomiam, niſi a parte ſocia ſuppleatur; quem-

quemadmodum rene uno ſcirrhoſo urinam ren alter ſecernit, parotide una obſtructa ſalivam altera largitur.

Ceterum effectus ſcirrhi differunt:

a. pro diverſitate partis affectæ; alia enim comparent ventriculo, alia utero &c. indurato:

b. pro varietate partis, quam mole, ſitu comprimit.

Scirrhus mammarum interdum 30 annis ſat commode fertur. Tractavit *Frank* fæminam, quæ a tumore duro abdominis 14 annis perpeſſo aliud incommodum non eſt experta, quam ut poſt cibos largiores ingeſtos de ventriculi oppreſſione quereretur. Sed ſi tonſilla ad fauces anguſtas indurata tumuerit poſt cynanchen &c mors ex ſuffocatione, aut fame ſequi poteſt.

Si oeſophagus induratus alicubi fuerit, eadem contingunt, quæ a corpore peregrino illapſo; impedita nempe aut omnino negata aſſumtorum deglutitio, dyſphagia, ſub qua locum, ubi hæreant, ægrotantes aſſignare norunt, accedit anguſtia pectoris, ſputatio frequens, donec ſecrendo, vel vomendo rejecerint hærentia, unde mors ſenſim ex tabe. Vide *Bleuland de morbis œſophagi*, Leydæ &c.

Diſtinquenda ab hac dyſphagia venit illa, quæ per ſpasmodicam œſophagi conſtrictionem inducitur, hæc etenim in irritabilibus poſt animi pathema occurrit, & licet per 15 adeo dies impedire deglutitionem poſſit, illam tamen poſtea liberrimam relinquit, cum ſub ſcirrho œſophagi, licet minus hinc inde, ſemper tamen impedita ſit. Dein ſi in œſophagum induratum ſpecillum longius, flexile, ex coſta balenæ paratum, ad apicem ſpongia obductum immiſerimus, obſtaculum quoddam deprehendemus.

Militem potatorem *Frank* ſecuit, qui ubi diu non niſi liquida, tandem ne hæc quidem deglutire valebat, ex tabe periit, omnem hic œſophagum induratum, atque adeo anguſtatum exhibuit, ut pi-

lum

lum porcinum vix admitteret. Oesophagi induratio nasci potest ex causis scirrhi quibusvis, tum etiam ex inflammatione illius prægressa; nam si fauces inflammari possunt, cur œsophagus, illarum continuatio, non posset?

Diagnosis vero difficilis, quia admodum postrorsum decurrit, partibus vicinis arcte nexus, ut œsophagitis pro pleuritide &c. imponere facile possit.

Scirrhus œsophagi sæpissime ad cardiam hæret, hinc ab assumtis supra obstaculum dilatatur, donec sensim rejiciantur per superiora, corpusque nutrimento defraudetur.

Si ventriculus ad pylorum, rarius parietes illius indurantur, scirrhosus fuerit, ita ut exitus in intestina assumtis negetur, anxietas, oppressio, cardialgia, nausea, vomitus materiæ acidæ &c. pertinax alvi obstructio: vide *Morgagnii epistolam* XXIX. numero 16. & *Trilleri dissertationem de fame lethali ex ventriculi induratione*, Wittenbergæ 1750: qui putat dolorem ad pylorum excitatum imponere pro cardialgico posse.

Induratio ventriculi, & pylori tactu non semper facile distinquitur, potest enim obscurari situ a solido abludente, potest hepate obtegi. Si tamen major ad pylorum induratio fuerit, æger in alterum latus conversus ponderis labentis sensum habet, quem sensum sub conversione interdum & manus imposita percipit.

Wichmann in operis diagnostici volumine I. pylori scirrhum adesse putat, si materia vomitu rejecta sedimentum caffeanum referat. Magni hoc signum *Frank* habet; vidit tamen talem materiam vomitu rejectam, ubi pylori scirrhus non est detectus. An & pylori scirrhus adesse potest, quin materia vomitu rejecta hunc colorem referat?

Cave tamen, ne ex vomitu periodico post aliquot a pastu horas contingente, cum alvi obstructione incedente, ad ventriculi mox scirrhum concludas. Vocatur *Frank* ad ægrotantem 8 ante mortem

tem diebus, qui per annum vomitu periodico laboravit, ſenſim ita aucto, ut ſub finem vitæ ſingulis fere horis accederet. Multa per id tempus emetica atque purgantia aſſumſit, multas venæ ſectiones, evacuationesque per hirudines ad anum poſitas ſuſtinuit. Scirrhum ventriculi adeſſe pronuntiat, alii duo medici conſentiunt; ſectione inſtituta ſcirrhus non reperitur, ſed vaſa ſingula vix non vacua. Fuit igitur hic vomitus ab inanitione per evacuationes immodicas inductus.

Si ad inteſtina ſcirrhus fuerit, ubi in chymum converſi cibi ad obſtaculum venerint, ibidem hærent, locum dilatant, flatusque extricati ad crepaturam usque eum diſtendunt, donec motu antiperiſtaltico aucto ad ventriculum repellantur, vomituque rejiciantur tempore a paſtu ſat conſtanti, attamen vario pro majori, vel minori indurationis a pyloro diſtantia. Evacuatis per vomitum cibis ſat commode habent ægri, at alvo carent, ſenſimque contabeſcunt.

Ut plurimum ſub veſperam vomitus contingit; ſi tamen ſat profunde obſtaculum hæſerit, per 2—3 dies retinentur aſſumta: ubi vero materia corruptiſſima, acida &c. evacuatur, meſenterii vel meſocoli glandulæ ſi obſtructæ fuerint, in ſcrophuloſis macilentis tactu ſæpe percipiendæ, comprimuntur inteſtina, ingeſta deſcendere impediuntur, alvus intercipitur, volumen ventris cum extenuatione totius corporis augetur, quia tranſitus chyli per vaſa lactea intercluditur. Quidam tamen cum glandulis meſenterii duriſſimis absque macie notabili ſat diu vivunt, in his quædam vaſa lactea communicant cum vaſis lymphaticis hepatis, per quæ chylus ad ſanquinem tranſit, ut injectionibus detexerunt *Mascagnius*, & *Cruikſhank*; eadem hæc vaſa hepatis lymphatica mammas interdum adeunt, ut *Aſelius* vidit. Unde explicari fors poteſt, quomodo nutrices tam cito poſt cibum aſſumtum lac fundere tenello poſſint.

Si

Si ductus thoracicus per tumentem glandulam comprimatur, tabes ſequitur, niſi ad talem locum compreſſio contigerit, ubi in plures ramos diviſus decurrit, ita ut per reliquos in ſanguinem venire chylus poſſit. Interdum glandula indurata gangrænoſa eſt facta, cujus ichore ductus thoracicus, & pleura eroſa ſunt, atque chylus in thoracis cavum effuſus hydrothoracem chyloſum effecit. An hydrothorax chyloſus generari nequit ſola ductus thoracici crepatura?

Scirrhoſæ in pulmonibus concretiones tubercula pulmonalia, acervatim ſæpe poſita, piſi, nucis avellanæ magnitudinem habentia (quæ notante *Portal* non ſunt a glandulis pulmonum lymphaticis, ſed a bronchialibus, nam lymphaticæ tam multæ non adſunt, quam quidem tubercula ſæpe comparent) comprimere valent ramificationes aſperæ arteriæ, & ſubſtantiam pulmonalem, unde vaſa pulmonalia varicoſa redduntur, dyſpnæa, tuſſis rebellis, ſputum cruentum, inflammatio, & ſuppuratio mali moris vix ſananda, exſurgit.

Ratio, cur vomicæ pulmonum ſat notabiles ruptæ interdum ſanentur, tubercula vero ſuppurata longe minora, phthiſin immedicabilem fere inducant, videtur eſſe, quod partes ſcirrhoſæ bonam ſuppurationem non experiantur, ſed ichoroſam, rodentem.

Pancreas, glandulæ ſalivali, parotidi ſimillima, in potatoribus ſæpe redditur ſcirrhoſa, quæ vero ſcirrhoſa ſuccum ſuum bili in duodeno admiſcere non poteſt, unde digeſtio, & nutritio deficit. Major ſi pancreatis tumor fuerit, comprimere ventriculum valet, unde nauſea, & vomitus; comprimere valet ductum choledochum, unde icterus, ut *Frank* in icterica Ticinenſi vidit; comprimere valet venam lienalem ad venam portarum ſupra pancreas decurrentem, unde lien turget; comprimere valet aortam, cui transverſim accumbit, & pulſationem inſignem producere pro aneuriſmate imponentem, vel & verum aneuriſma excitare. Non

ita

ſta pridem Viennenſem *Frank* vidit fœminam, quæ a pluribus menſibus digeſtione depravata laborans contabuit, abdomen durum exhibuit, tumorem ad pancreas inæqualem, qui fortius compreſſus pulſationis validæ ſenſum manui tangenti impreſſit; valida hæc pulſatio usque ad aortæ bifurcationem fuit percipienda, ut verum adfuiſſe aneuriſma dubitari vix queat.

Quamvis non omne viſcus glandulis conſtet, ut veteres voluerunt, ſed plura textu celluloſo, & artificioſa vaſorum in immenſum diviſorum intricatione componantur, infarctus tamen ſcirrhosque patiuntur, unde icterus, hydrops, tabesque immedicabilis inſurgunt. Si ſcirrhus conſpicuus hepar teneat, ſitum mutat ad anteriora pulſum, digitis ſat facile percipitur malum; mole ſua diaphragma irritat, unde difficultas ſpirandi, tuſſis ſicca fere continua, decubitus in latus dextrum difficilis, corpore erecto pendere quid ex diaphragmate videtur; vide *Frank delectum opuſculorum*, de ſitu partium in morbis mutato.

In hepatis conditionem ſub diverſo ægri ſitu inquirendum; ſi genubus utrisque inſiſtit, ſi lateri ſiniſtro incumbit, ſi coſtas lateris dextri ſpurias compreſſeris, hepar melius ubique prominens examinare ſatis poteris. Nec mirum eſt tot ſtaſes, & obſtructiones occurere in viſcere, in quo tot inflammationes occultæ, quæ indurationem partis facile relinqunt, in quod agere valet conſtitutio ſcrophuloſa, arthritica; ſæpiſſime tamen hepar induratur poſt febres intermittentes, maxime quartanas, quod ſuſpicari licet ex colore cachectico, ex flavo & albo conflato.

In liene, cujus functio nondum intellecta, qui in canibus, & aliquoties in homine exſectus habetur absque notabili ſanitatis detrimento, in viſcere hoc admodum ſpongioſo, multo ſanguine repleto, cujus circulatio per ventriculum repletum impeditur, frequens infarctus, ſcirrhus, qui in hypochondrio ſiniſtro eadem fere producit, quæ ab hepate obſtruc-

obſtructo in dextro producuntur; ventriculum nempe comprimit, vaſa brevia obliterat, vomitum repleto potiſſimum ventriculo excitat, ſpirandi difficultatem, tuſſim ſiccam, ponderis ſenſum ſub ſitu erecto cauſat.

Interdum lien ita turget, ut ad umbilicum ipſamque pelvim deſcendat, ibique incarceretur, qui lienis ſtatus quibusdam prolapſus lienalis dicitur, frequens in Inſubria.

Non omnis tamen lien tumidus infarctus eſt, aut obſtructus, nam in lienes magnos quam optime *Rezzia* ſæpe injecit. Ticini *Frank* fœminam tractavit, quæ ubi diu tumorem in hypochondrio experta eſſet, dum menſtrua inſtarent, diſparentem fluxu menſtruo abſoluto, ventrem ipſi duriſſimum ſphæricum non fluctuantem exhibuit, ipſum adeo hepar obtegens, & ex pelvi difficillime extrahendum. At lien hic infarctus non fuit, ſed ſolum volumine auctus. Cur ab initio ſolum ſub moliminibus menſtruis lien turgebat? unde lien ſæpe turget ſub paroxismo febris intermittentis, atque paroxiſmo exantlato ſubſidet? Poſt febres intermittentes ſæpius lien, quam hepar relinquitur infarctus, ſæpe tamen non niſi volumine auctus eſt.

Similia obſervaſſe videtur *Hippocrates* (in quo multi mirati, quod ad litora maris habitans de ſcorbuto non ſcripſiſſet) at ubi de lienibus magnis loquitur, ſimul de ſcorbuto locutus videtur; dicit enim de ulceribus pedum malignis, impuris, fœtidis, ſanguinem plorantibus; item de gingivis ſanguinem fundentibus, de dentibus vacillantibus &c. in iis, qui humido inhabitant. Ipſi inſubri plebeji male habitantes & victitantes ulcera ſimilia offerunt.

Lien tumidus comprimere valet angulum inteſtini coli, quem transverſum cum deſcendente efficit, unde fœces retinentur. Fæminam illuſtrem Parmenſem, quæ ubi per 10 — 14 dies alvo non redidiſſet, borborygmis, meteoriſmo inſigni, doloribus colicis atrocibus corripi, poſtea vero fœces copioſas, fœtidiſſimas alvo evacuare ſolebat ſub lypothimiis continuis, *Frank* ſolventibus, frictio-

nibus

nibus abdominis mercurialibus ita restituit, ut paulo post gravida facta filium sanum eniteretur.

Ovaria, tubæ fallopianæ, ipseque uterus, scirrhosa sæpe redduntur. Apud moniales aliasque cælibes scirrhus uterinus frequens malum est, sed & maritatas prehendit, Viennæ quam alibi fere frequentior; potissimum vero manifestatur, quo tempore menses emanare solent, velox tunc capit augmentum, citoque sæpe in carcinoma degenerat.

De scirrho uterino cogitandum, quoties fluor albus pertinax adest, qui ante omnia fere de illo nos admonet. Si menstrua aut quantitate, aut tempore excedunt, ita ut enormes interdum hœmorrhagias sistant, si hæc in vetulis potissimum contingunt, quæ carere jam mensibus deberent, aut aliquo jam tempore caruerunt; si dolores graves circa coxas, ad os sacrum, stupor vel claudicatio cruris, induratio ad mammas comparet; mirum enim mammæ, & uterus consentiunt, ita ut utrobique sæpe scirrhus adsit, vel in una parte existens mox etiam alterius partis post se trahat. Hinc antequam scirrhum mammæ sectione auferas, in uterum inquire; nam si & hic scirrho laboraverit, inutilis erit ad mammam operatio, quid quod scirrhus uterinus citius exasperari possit. Si pars tantum uteri scirrhosa fuerit, conceptio fieri potest, at abortus dato tempore sequetur, quia pars uteri indurata extendi nequit.

Si ad posteriora induratus fuerit, intestinum rectum comprimet, alvum retinebit, tumere vasa hœmorrhoidalia faciet &c. An exploratione per anum facta detegi potest? Si ad anteriora scirrhosus fuerit, incontinentiam, aut retentionem urinæ causabit, prout collum vesicæ, aut corpus ipsius compresserit; an tactu supra pubem cognosci valet?

Si omnis uterus scirrhosus fuerit, digitus in vaginam mulieris stantis immissus pondus duritiem percipiet, & volumen auctum; interdum tamen voluminis augmentum deest, ita ut uterus volumine non auctus scirrhum abesse non commonstret.

Sæpis-

Sæpiſſime cervix uteri induratur, præſertim poſt medorrhœas virulentas, partum difficilem, violentum inſtrumentorum ad partum urgendum uſum. Si inteſtinum rectum poſt dyſenteriam, dolores hœmorrhoidales, ex inflammatione induratur, borborygmi vexant, alvus retinetur &c. Inteſtinum rectum cum colo usque ad flexuram ſigmoideam calloſum, carcinomaticum *Frank* vidit in fœmina quadam Ticinenſi. Proſtata, glandulæ urethrales ſub mœdorrhea virulenta &c. induratæ, urinæ vel retentionem, vel incontinentiam inducunt.

Scirrhus teſticulorum frequens malum eſt, enaſciturque, vel poſt compreſſionem, contuſionem, vel poſt medorrheam virulentam, ſub equitatione multa, unde militibus equeſtribus familiaris eſt. An equitantibus teſtium ſuſpenſorium multis Gallis familiare commendandum? Cum teſticulo ſcirrhoſo interdum univerſa vaſa ſpermatica ad renes usque, vel ſaltem pars eorum, quæ retro annulum abdominalem hæret, indurata habetur.

Marquiſius Botta 40 circiter annorum antea ſanus conqueri cepit de doloribus lumborum, quos per 3 menſes erectus, & absque auxilio fere adhibito pertulit; cum tempus hybernum eſſet, quo foco aſſidens dorſum ad ignem convertere ſolebat, poſtea vero frigori ſe incautus exponere, lumbaginem indolis rheumaticæ adeſſe *Frank* putat. Accedunt dolores veſicæ urinariæ, ventris in regione ureterum cum vomituritione, tumor in abdomine hominis pinquis non percipitur. Per aquam menthæ cum liquore anodyno, per clyſteres nil emendatur. *Scarpa* vocatus indolis ſpasmodicæ malum putat, continuantur volatilia, infricatur linimentum volatile. Ubi dicta mala aliquo adhuc tempore modo mitius, modo atrocius continuarunt, macies oritur cum febricula, tumor in abdomine tangitur. Chirurgus clyſterem injiciens teſticuli ſiniſtri tumorem conſpicit durum, ab ægroto intempeſtive verecundo male hactenus celatum; funiculus ſpermaticus extra annulum abdominalem tan-

gitur ſanus, ſupra annulum vero durities percipitur. Ab hoc tempore dolores interdum atrociſſimi, ut æger ſomno careret & humi volveretur; poſt 3 menſes emaciatiſſimus moritur. Teſticulus & funiculus ſpermaticus ſupra annulum abdominalem comparet ſcirrhoſus, ſcirrhoſum atque carcinomaticum comparet meſenterium 13 libras ponderans.

Negavit *Scarpa* huic ægro caſtrationem, quam ſepties cum morte inſecuta ſuſcepit, ſemperque vaſa ſpermatica ſupra annulum abdominalem turgentia, dura, & gangrænoſa, ex inflammatione poſt operationem nata vidit; ſemel mortem ſubitam vidit die poſt caſtrationem tertia, arteriæ enim ſpermaticæ intra annulum retrotractæ lethalis inter peritoneum, & muſculos abdominales hœmorrhagia ſucceſſit.

Si teſticulorum ſcirrhus cum tumore, & dolore abdominis laterali inceſſerit, de funiculo ſpermatico ſimul indurato cogitandum, & caſtrationem omittendam *Frank* putat; ſi vero teſticuli ſcirrhus a cauſa externa enatus, absque dictis ſymptomatibus incedat, eam tuto fere inſtitui poſſe exiſtimat.

Caſtrationem vero ſuſcipiendam ſuadet, quam primum dolores pungentes in teſte indurato percipiuntur, ſecus carcinoma ſuccedit.

Si glandulæ inquinales poſt medorrhæam &c. indurantur, vaſa tum lymphatica, tum ſanguinea per illas tranſeuntia comprimuntur, unde crus œdematoſe tumet. Glandula quoque ſubaxillaris induratur præſertim poſt mammam induratam. Aliquando ipſa cutis cum partibus ſubjectis ſcirrhoſo more induratur in lepra arabum ſeu tuberoſa, quam ut elephantiaſin univerſæ cutis cancrum dixerunt veteres.

In lepra hac tuberoſa, quam *Frank* prima vice in Germania, altera in Italia, & ante biennium Viennæ vidit, licet univerſi ſyſtematis morbus ſit, una tantum vel altera cutis pars redditur ſcirrhoſa, potiſſimum tamen in facie v. g. ad frontem, parotidem, aures, angulum oris, alas naſi, quæ

acce-

accedente irritatione ad os præſertim, & naſum, in cancrum mutatur.

Nec in omni tamen lepra cutis induratio adeſt, & cancer naſi atque labiorum absque induratione prægreſſa obſervatur. Lepra Græcorum, ſeu ſquammoſa frequens in Italia occurrit.

Ex ſcirrho degenerante, nec tamen omnis degenerat, naſcitur

Carcinoma, Cancer.

Scirrho degeneraturo ſequentia accidunt:

Dolores pungentes, lancinantes, fugaces, ſenſim vero tum numero, tum vehementia aucti, donec conſtantes & atroces fiant. Dolores potiſſimum augentur ad atmoſphæræ mutationem, & in ſcirrho mammarum tempore menſtruo. Scirrhi rotundi & æquales mitius tardiusque dolent; inæquales vero qui ſunt, ſæpe jam dolent, antequam tactu percipiantur.

Dolere ubi ſcirrhus incipit, duritie ac volumine cito augetur, venæ varicoſæ fiunt, inſtar farciminis turgent, atque livent.

Cutis ſcirrhum obtegens ingrate prurit, velut a carbone ſubjecto ardet, rubella fit, purpurea, cærulea, livida, tenſa ſplendet, concreſcit cum ſcirrho ſubjecto, ut immobilis fere reddatur, ſeparationem minatur absque fluctuatione ſubjecta. Atque quamdiu hic ſtatus absque cutis exulceratione durat, dicitur carcinoma aut cancer occultus.

Carcinoma *Boerhaavio* adeſſe dicitur: ſi rubor & dolor ad glandulam induratam oritur. *Cullenio* definitur: tumor ſcirrhoideus dolens, in ulcus mali moris abiens. At cum tumor non ſemper adſit, *Frank* definiendum videtur: induratio glandulæ dolens, & in ulcus mali moris abiens. Interdum omnes fere glandulæ lymphaticæ poſitæ ad illud vas lymphaticum, quod glandulam ſcirrhoſam, carcinomaticam tranſit, induratæ occurrunt, ita ut hoc

vas

vas chordam quasi tensam referat. Ubi ad partem scirrhosam cute rupta ulcus compareret, cancer, cancer apertus habetur.

Nec tamen omnis cancer apertus ex occulto nascitur, interdum enim illico exulceratur induratio. Juxta *Hume* ad nasum, labra, linquam, quæ penitus non raro destruitur, in gingivis sæpe nascuntur ulcera cancrosa absque scirrho prægresso.

Per annos interdum cancer manet occultus, interdum vero cito exulceratur, & ubi cancro aperto accessus aëri datur, citissima degeneratio malique dilatatio. Ex ulcere cancroso sanies fluit pauca, serosa, livescens, fulva, nigra, fœtidissima, lintea tingens, accerrima, partes molles & duras exedens, unde ulcus horrendum redditur, insanabile, inæquale, labiis induratis, callosis, in se ipsa reversis, excrescentiis spongiosis, mollibus, vel & durissimis (wildes Fleisch) coloris rubri, lividi, vel pallidi. Sæpe hœmorrhagia larga ex vasis varicosis ruptis, vel sanie cancrosa erosis, appetitus prostratus, febris lenta, macies summa, virium prostratio, convulsiones, animi deliquia, mors optata.

Nec tamen in cujusvis partis cancro, nec in in eadem parte omni tempore sunt eadem symptomata. Interdum varices non comparent, si nempe vasa majora non adfuerint, interdum bonam suppurationem cancer mentitur, sed brevi iterum sanies corrodens comparet.

Symptomata allata dolores potissimum, & hœmorrhagiæ ex summa saniei acredine explicari possunt. At acredo in massa humorum quærenda non videtur, nam cancer mere localis similem materiam fundit, sola igitur secretione morbosa paratam. Febris lenta, macies &c. quas quidem a materia cancrosa resorpta, & ad humores delata repetunt, explicari fors possunt ex dolorum atrocia, natoque inde somni ac nutritionis defectu.

Notan-

Notandum, quod vasa lymphatica ex parte cancrosa exeuntia, & glandulæ, quas adeunt, simili fere modo afficiantur; si a mamma cancrosa plectuntur glandulæ subaxillares, an per acre resorptum & inflammationem inde excitatam?

Interdum mendicantes, in Italia vel maxime, aut alii fraudulenti, ulcera mali moris acribus applicatis sibi excitant, atque sustinent, quæ ipsis adeo medicis imponere pro cancrosis valent. Sic Viennæ fæmina mammam circumtulit molis insignis fœtissimam, atque fœtentissimam, cum post 12 adhuc annos boni habitus esset. *Haënius* fraudem suspicans in rem serio inquisivit, atque detexit mammam artificialem sanæ impositam, spongiam nempe pellibus piscium affabre ita contextam, ut cancri inæqualitates, callositates, varicositates, ipsumque adeo colorem referret. Sub axilla spongiam gessit, ex qua ad spongiam mammalem decurrebant ductuli, qui spongia subaxillari compressa humorem fœtentissimum eructabant.

Nulla quidem pars a cancro immunis est, sæpius tamen partes corporis superiores tenentur, labia, nares, aures, parotides, linqua, mammæ in sexu utroque; frequens apud viros in testibus, inquine est, apud fæminas vero frequentissima cancri sedes uterus est.

Binum *Frank* exemplum mammæ in viris cancrosæ; canonicus Hungarus post contusionem ad mammam tumorem experitur insignem, durum, tuberosum, varicibus cinctum, cum cute livida, glandula vero subaxillaris adhuc fuit sana. Sanatus est operatione & alius sacerdos.

Frank ipse sub equi adscensu mamma dextra in sellæ equestris nodum alidit, doletque per annum, penitus sensim restituitur. Cancer viscerum, hepatis, pancreatis &c. difficulter agnoscitur, nisi scirrhum prægressum certo noverimus; in ventriculo per cardialgiam atrocem, & vomitum materiæ fœtentis cognoscitur; in utero tamen facilius detegitur, quia exploratio fieri potest, & materia e pudendis nos instruit.

Notan-

Notandum vero, non omne ulcus sordidum, inæquale, callosum, rebelle, mox cancrosum esse; atque de tali ulcere maligno sanato gloriari agyrtæ possunt, non item de vere cancroso.

Pro cancro sæpe declarantur caries extremitatum, spina ventosa, ulcera venerea, scrophulosa variarum partium, noma seu cancer aquosus, exulceratio nempe ad angulum oris &c nata ex pustula parva, rubra, cito nigrescente cum limbo tumido, rubro vel pallido, fere insensili, frigido, sphaceloso, ita ut genis cadentibus dentes nudi appareant, sensimque & ipsi cadant, vide Birchens Abhandlung von den Kennzeichen der Krebs-Schäden, übersetzt von Adolph Murray, Göttingen 1775.

Magnæ sunt difficultates ulcus cancrosum discernendi ab alio maligno, nam juxta *Richter* signum nullum est pathognomonicum, *observationum chirurgicarum* fasc. III. Non est dolor vehemens, cum & alia ulcera atrocissime interdum doleant, & cancer interdum non adeo doleat. Nec sanies fœtida, acris soli cancro propria est, nec omni tempore in cancro apparet. Labia dura, inversa, excrescentiis inæqualia in aliis quoque ulceribus non cancrosis adsunt. Sæpe quidem ex scirrho cancer nascitur, sed etiam absque scirrho glandulari ex verruca, ex rhagade, cutis fissuris cum crustis iterato deciduis, ad tumores cysticos, ad ipsos adeo musculos, ut quidam contendunt, nasci potest; ut ideo non omnis cancer ex glandula scirrhosa, ut alii volunt, oriri necesse sit, ut etiam in partibus non glandulosis enasci possit. Sic *Birchen* exemplum juvenis adfert, qui in scorbutum proclivis verrucas multas in facie gessit, quæ acribus tractatæ in cancrum abierunt. Et si *Swietenii commentaria* consulantur, patere videretur, glandulas non pro unica cancri sede esse declarandas.

Dupplex hinc genus cancrorum videri potest, alterum in glandulis, alterum in partibus non glandulosis; vide *Friderici dissertationem de signis*

cancri Lipſiæ 1782. At quidam ulcera mali moris in partibus non glandulosis exiſtentia cancrum dici nolunt, ſed ulcera cancroſa, & juxta *Swietenium* cancrum fungoſum, denominatione, ut videtur, non ſatis apta, cum fungoſitas in quovis cancro adſit.

At contra priorem illam aſſertionem, partes etiam non glandulares crancro affici poſſe, dubium moveri poteſt, nam vel ipſa cutis ſuos folliculos glanduloſos habet, in quibus juxta *Aſtruc* ſedes, hæc vero nullibi absque glandulis incedunt, quod item de muſculis valet; adeoque cancer utique ad glandulas pertinere videtur, modo non ſemper iſtas majores facile demonſtrandas requiramus.

Si dolor in ulcere lancinans, fœtor ſaniei effluentis ſummus, corrodens acredo, ſi labia ulceris dura, calloſa, retorta, ſi caro luxurians fungoſa adſit, ſi remediis in aliis ulceribus proficuis, mercurialibus præcipue & martialibus adeo non emendatur, ut potius exaſperetur, eo magis ſi tale ulcus in parte glanduloſa ſcirrho prægreſſo fuerit, dubium de cancro juxta *Frank* nullum eſſe poteſt.

Notandum tamen, poſſe quædam horum adeſſe, vel abeſſe, quin ideo cancer aut adſit, aut deſit.

C a n c r i m a m m a l i s 3 ſpecies *Birchen* ſtatuit:

1. G e n u i n u m, qui oritur ex tumore ſcirrhoſo, parvo, piſiformi, duro, æquabili, mobili, qui lente volumine & duritie augetur, ita ut vel per 30 annos absque multo incommodo aut in cancrum degeneratione perferri poſſit. Interdum chordam tenſam decurſui vaſis lympathici reſpondentem æmulatur. Senſim ubi augetur tumor, inæqualis redditur, tuberoſus, anguloſus, aut corni figuram referens, immobilis ex concretione cum muſculo pectorali, dolores hinc inde accedunt pungentes, ſenſim frequentiores, tandem continui &c. Tumor hic ex glandulæ augmento ad ovi gallinæ, anſeris &c. magnitudinem exſurgit, per quod differt a ſcrophuloſo, in quo tumor conflatus eſt ex glandu-

lis

lis pluribus adunatis, dein minor item in ſcrophuloſo durities eſt.

Interdum ſcirrhus in mamma ſe manifeſtans ſolus eſt, interdum vero glandulæ ad internam ſterni ſuperficiem poſitæ ſimul ſcirrhoſæ ſunt, cujus rei ſuſpicionem juxta *Camperum* movet dolor ad internam ſterni ſuperficiem perceptus. Quod probe notandum, nam ſi in hoc caſu mammam exſtirpaveris, malum ad ſternum plerumque ſat cito exaſperatur.

2. Fungoſum, qui mammas pinques, laxas, pendulas occupare ſolet; initium, ut prior ſumit, ſed citius longe v. g. intra 8—10 menſes a nucis avellanæ ad pugni &c. magnitudinem excreſcit, minus elaſticus ac durus, magis ſpongioſus eſt, ex pluribus tumoribus conſtat ſibi appoſitis; excreſcentias coloris hepatici multas oſtendit, quæ ruptæ aquam fere fundunt ſanioſam, at copia longe majori, quam in genuino.

Adeoque multo magis luxurians hæc ſpecies eſt, at licet ſpongioſus appareat, interdum tamen cartilaginis inſtar durus eſt; glandulam vero ſubaxillarem rarius quam genuinus ſimul affectam habet.

Cancer fungoſus obſervatur etiam ad dorſum, ſcapulas, lumbos, & crura. *Hænius rationis medendi* Tomo VII, pag. 128. tumorem mammæ, ut videbatur, cancroſum enucleari jubet, tumor ruptus multam aquam fundit, & ſubſidet, renaſcitur poſt aliquod tempus, moritur ex alio morbo fæmina; hydatis ſcirrhum referens in mamma detegitur. Tumorem hydaticum, qui cancrum referebat, *Bell* quoque habet.

3. Scrophuloſum, qui ex cauſa interna naſcitur, & acri ſcrophuloſo fovetur, quod affinitatem cum venereo habere *Birchenio* videtur. At hanc affinitatem *Frank* non concedit, nec hanc *Birchenii* ſpeciem cancrum, ſed ulcus ſcrophuloſum appellandum putat.

Species duæ posteriores solum varietates, minime vero diversitates, *Frank* esse videntur. Juxta *Frank* cancer aut genuinus est, ibi natus, ubi hæret, hinc operatione fere sanandus; aut symptomaticus, alterius morbi soboles, a vitio totius systematis generatus, in quo adeo nec remedia localia, nec ipsa exstirpatio juvat.

Causae infarctus, obstructionis; ut omnis retentio, morbusque omnis, ita & obstructio contingit ex vitio vel sthenico vel asthenico, & quidem aut totius systematis, aut, quod frequentius, ipsius partis obstructæ, vel etiam ex impedimento mechanico. Exemplum obstructionis a vi totius systematis nimia inflammatio sthenica pulmonis &c. præbet, sub qua lympha coagulabili infarcitur.

1. Frequens obstructionum causa est secretio morbosa per stimulum majorem excitata. Ita si oculus fricetur, aut si sabulum inciderit, illico dolor, major affluxus humorum, major vasorum ocularium actio, quæ jam conspicua redduntur. Parotide irritata secretio in telam illius cellularem, & parte liquidiore resorpta obstructio, induratio. A nucleo pruni &c. in intestino recto hærente dolor, turgor vasorum, inflammatio, repletio telæ cellulosæ per lympham coagulabilem, & parte illius tenuiore resorpta obstructio.

Purgantium præsertim drasticorum abusus viscerum obstructiones irritando &c. sæpe inducit, sicut spasmi circulationem impediendo. Sæpe post dolores colicos secretio morbosa in abdominis cavum, & stasis, quæ hepati ab ira, tristitia &c. contingunt, nimis nota sunt.

Quo tempore semen secerni incipit, glandulæ inquinales tument, turgent, indurantur ob stimulum insuetum. Sed stimuli etiam soliti defectus obstructionem causat; sic bile in intestina non effluente fœces retinentur. Hanc obstructionem præcedens congestio repeti nequit a corde plures humores in partem quandam pellente, sed sola partis affectæ actione

tione aucta, quia non in omni congestione motus cordis mox augetur. Sic spina alicubi infixa dolor in parte affecta, calor, rubor, tumor, quin cor potentius agat, sed solius partis affectæ arteriæ magis irritatæ potentius agunt, unde secretio morbosa contingit.

Si ulcus ad crus fuerit, vel si vesicans illi admoveatur, glandulæ inquinales irritatæ tument, infarciuntur; a tinea capitis, a vesicante cervici admoto tument glandulæ jugulares. Huc casus puellæ pertinet, quæ ob tumorem ad genu album amputationem cruris sustinuit.

2. Obstructionis causa priore non infrequentior est debilitas, aut l a x i t a s p a r t i a l i s per causas debilitantes quascunque inducta. Debilitatem tum universalem, tum partialem potiorem obstructionum causam esse patet, quod post causas debilitantes applicatas potissimum oriantur, tum ex eo, quod resolventibus, quæ sane stimulantia sunt, persanentur. Sic post repetitos febris intermittentis paroxismos viscerum debilitas, infarctus, atque obstructio, lienis exempla. Sic apud sedentarios, literatos frequens abdominis infarctus; sic apud pueros victu crudo, viscido pastos sæpe infarciuntur glandulæ meseraicæ, an quia chylus viscidus ad illas defertur? An ex debilitate viscerum, & secretione morbosa? Sic ipsa animalia domestica hyeme stabulis inclusa turgent ob exercitii defectum, non ob victum lautum, nam dum tempore verno pascua petunt, turgore hoc amisso marcescere videntur. Norunt laniones calculos in hepate vaccarum vix non hyeme tantum reperiri.

Suppressionem mensium, hœmorrhoidum, hœmorrhagiæ narium consuetæ, sive ex stimulo nimio, sive ex debilitate suppressæ fuerint, infarctus sæpe sequitur, vel in parte, ubi evacuatio fieri solebat, vel in alia, ad quam sanguis retentus regurgitat. Sic non fluentibus hœmorrhoidibus sæpe infarciuntur vasa colli vesicæ, unde urina retinetur.

Men-

Menſibus inſtantibus corporis gravitas, dolor lumborum prehendit, abdomen tumet, tenditur, & ob conſenſum, qui inter mammas uterumque ſummus intercedit, mammæ quoque turgent, quæ ſingula diſparent fluxu menſtruo abſoluto; interdum vel ſola hac periodo præterlæpſa, quin fluxus contigerit. Alias tamen fluxu non ſuccedente tumor abdominis augetur, mammæ ſororiant, lac fundunt, ut graviditas ſubeſſe videatur.

Interdum ſanguis periodicus alicubi retentus via evacuatur alia v. g, hœmorrhoidalis in viris per penem, in fæminis per vaginam. Si vero evacuatio hæc ſolita nullibi ſuccedat, infarciuntur vaſa abdominalia, dolores colici, lumborum urgent, venæ ſectione, vel hirudine diſſipandi; ſive ex robore, ſive ex debilitate retentio contigerit.

Si vaſa hæmorrhoidalia laxiora diutius nec reſiſtere ſanguini appellenti, nec eum expellere alìorſum valent, infarctus augetur, ægre movetur ſanguis per venam portarum, ſtagnatio ad hepar, lienem, ventriculum, ſub qua variam ſpiſſitudinem, acrimoniam inducit, variaque ſyſtematis nervoſi mala producit.

Vir 34 annorum poſt cauſas debilitantes prægreſſas oppreſſione ventriculi, doloribus cardialgicis prehenditur, habitum cachecticum offert, velut qui viſcera gerunt obſtructa. A ſtimulis lenibus paulo melius habet. Ante 6 ſeptimanas *Frank* vocatur ob vomitum ſanguinis nigri, picei, quo ceſſante abdomen tumet, ſanguis idem per alvum copioſus ruit. Ceſſant dolores, ſed brevi iterum inſurgunt cum vomitu materiæ priori ſimilis; componuntur nunc quidem ſymptomata, ſed æger exhauſtus iteratas experitur lypothimias, lenteque refocillatur.

Docet hic caſus, doctrinam de infarctu nimis veram eſſe, præſertim in partibus laxioribus, maxime in ſyſtemate venoſo, & tela cellulari. Ex hoc quoque caſu intelligenda venit atra bilis veterum, quæ eſt ſanquis ſtagnando ſpiſſus, niger, pi-

ceus

ceus factus; nam juxta *Fourcroy*, & *Frankii* experimenta materia talis vomitu rejecta biliosi nil ostendit.

Hœmorrhagiam narium assuetam in robusto subsistentem œsophagi spasmum insequutum *Frank* vidit, deglutitionem impedientem, duabus hirudinibus ad angulum narium admotis illico sanatum.

Suppressionem item aliorum humorum ad excretionem destinatorum, si obstaculo quocunque effluere impediuntur, & parte tenuiore resorpta inspissantur, obstructio sæpe sequitur. Sic bilis effluere e vesicula fellea impedita atramentum retulisse est visa.

In puerperis mammæ, nisi suctione evacuentur, insignitur interdum turgent, motum brachiorum impediunt, quemadmodum in vaccis aliisque fæminis non humanis gressum impediri per ubera distenta videmus; stagnatione jam diuturniore aut pars caseosa a lacte secedit, mammam obstruens, aut irritatione accedente secretio morbosa in cellularem, iterumque obstructio.

Ad obstructionum causas metastasis quoque refertur.

Spissitudo humorum, quam *Boerhaavius* aliique pathologi humorales pro obstructionum causa assumpserunt, *Frank* non satisfacit, atque refutata hæc hypothesis habetur in *Jacobi Gregory conspectus medicinæ theoreticæ* volumine I.

Inspissantur quidem humores in obstructione, sed ex morbosa solidorum culpa id contingit.

3. Ad infarctus & obstructionis causas pertinet etiam impedimentum circulationis mechanicum, compressio &c.

Si hærentibus in intestino recto fœcibus vasa hœmorrhoidalia tenduntur, debilitantur, infarciuntur, tum ex compressione mechanica, tum ex debilitate vasorum. Ita uterus gravidus vel scirrhosus vasa cruralia, tum lymphatica, tum sanguinea comprimit, unde varices, congestio in cellulari; & cum deficiente vi vasorum jam minus movea-

tur,

tur, ſpiſſitudinem contrahit, nam fluida animalia quieti vicina in coagulum nituntur.

Huc peregrina pertinent in cava illapſa; ſic ſabula pulviſculi in bronchia illapſi, cum humoribus ibi uniti, concretiones duras conſtituunt. Scirrhis bronchiorum plectuntur, qui pro abigendis paleis &c. frumenta vertunt, criſpatores, lapicidæ &c. Equi ſæpe concretiones calculoſas ab avena pulverulenta &c. natas in inteſtinis gerunt, quorum nucleum grana avenacea fere conſtituunt. Atque triplici hoc modo, nempe irritando, debilitando, vel mechanica compreſſione agere videntur, quotquot allatæ ſunt obſtructionum cauſæ.

Cauſae ſcirrhi eædem fere, quæ obſtructionum ſunt, diſpeſci tamen poſſunt:

1. In externas, huc pertinet ictus, contuſio &c. ſic ex ictu mammæ illato inflammatio, ſecretio morboſa, infarctus telæ cellularis, ſcirrhus per omnem ſæpe vitam durans; ſæpe poſt partum difficilem, inſtrumentis abſolutum aut poſt placentam violenter extractam irritatio, inflammatio, ſcirrhus uteri.

Acre applicatum, ſic viro gonorrhœico urethra inflammatur, ſecretionem morboſam patitur, unde induratio, ſtrictura, anguſtatio urethræ &c. Spirituoſorum, ut alcoholis, aut acidorum mineralium abuſus, quæ in vaſis teneris, quæ contingunt, lympham coagulant. Potatores ſæpe œſophagi anguſtia & induratione laborant.

Stimulus mechanicus irritans; ſic ſpinam piſcis in œſophago hærentem ſequuta eſt inflammatio, ſecretio morboſa, & obliteratio canalis deglutitionem tollens.

2. In internas; huc pertinent mœror, triſtitia, aliaque pathemata deprimentia, quorum actio in glandulas conſpicua eſt; ſcirrhi enim jam præſentes manifeſto ſub his augentur, citoque in cancrum degenerant.

Rententio menſium, hœmorrhoidum &c. his enim retentis diſtractio, irritatio, inflammatio venarum

narum retinentium, secretio morbosa in cellularem vasorum hœmorrhoidalium, condylomata, scirrhus intestini recti.

Frequens scirrhorum proventus & augmentum, observante *Dionisio*, & *Hallero* in illud tempus cadit, quo menses anno ætatis 45—50 cessant; a stagnatione enim sanguinis retenti in partibus genitalibus irritatio, inflammatio &c.

Cœlibes sæpe ovariorum, uteri induratione laborant. An ex negato necessario coitus stimulo, & mensium anomalia facile inde nascenda? Acria diversa, ut scirrhi, atque cancri causa sunt accusata, quæ si existant, facile sane producere posse videntur, stimulo enim congestionem invitabunt, unde distentio, irritatio, secretio morbosa &c. Sub arthritide ex prægressa irritatione &c. induratio ligamentorum, & immobilitas partis enascitur.

Veteres, vide *Galeni methodi medendi* librum II. caput 12. ab atra bile derivant. Magna difficultas in explicanda scirrhi, & cancri natura, an ex acri nascantur specifico? Suadere sic posse universo systemati vitium, utut incognitum, inesse videatur, cum scirrho alicubi exsecto alius in parte dissita sat cito sæpe succedat.

Frank vero acre specificum eo minus admittendum putat, quod nullius nobis frugis esse possit, cum indolem illius ignoraremus; allatæ vero observationi opponi, quod corpore ceterum sano glandula quædam indurari possit, accedente vero stimulo iterum externo in cancrum mutari, in quo casu de acri specifico eo minus cogitandum videtur, quod tali glandula exsecta vix alibi vitium renascatur. Denique scirrhi degenerationem absque acri specifico assumto intelligi posse putat; cum enim scirrhus in asphyxia quasi partis consistat, ea præsente humores stagnantes corrumpuutur, accedente vero nova inflammatione eo major degeneratio cancrosa continget. In Anglia qui caminos purgant, ulceribus scroti sæpe prehenduntur, quibus testiculorum cancer succedit ad abdomen extensus, & gangræna letha-

lethali terminandus; an caufa in carbonis foffilis fuligine?

Prognofis: Pars, quo nobilior, quo major illius portio obftructa fuerit, quo diutius obftructio duraverit, eo majus periculum; fic pulmone obftructo plurima damna ob circulationis, & refpirationis difficultatem.

Ut obftructio univerfalis ideam mortis totius exhibet, ita partialis mortem, vel faltem afphyxiam partis obftructæ exhibet, fub qua fenfus, & functio ceffat.

Quæ obftructio humori nutrititio, hinc & medicamentis aditum ad fanguinem intercludit, periculofiffima; hydropem, tabem, refolutionem univerfalem inducit. Huc pertinet obftructio glandularum meferaicarum, & ductus thoracici. Hepate obftructo tranfitus fanguini negatur, hydrops nafcitur. Si glandulæ inquinales obftructæ, comprimuntur vafa cruralia, atque circulatione impedita atrophia cruris, & gangræna.

Ubi fumma folidorum atonia, fruftra medicina paratur, cujus actio fine corporis reactione nulla.

Si princeps partis alicujus ramus arteriofus obftructus, & nutriri per ramos laterales nequit, ut ligata &c. arteria brachiali gangræna partis nafcitur. Sic fenes fæpe gangræna pedum ficca infanabili prehenduntur ob vaforum offificationem. Ubi inteftina fub hernia incarcerata ftrangulantur, ceffat circulatio, nafcitur gangræna.

Hœmorrhagiæ fub obftructione irrefolubili contingentes periculofiffimæ, fic fcirrhus uterinus hœmorrhagia fere necat; hepate obftructo frequens eft hœmorrhagia narium, e nare potiffimum dextro.

Plurima mala, inter quæ varicofitas venarum, fub fcirrho enata e compreffione partium vicinarum repetenda.

Scirrhus non exquifitus, non lapideus, medelam aliquando admittit; exquifitus vero nullam, & per acria, veficantia iniquius tractatus, monente jam *Hippocrate*, in cancrum citius mutatur, quam

fi

ſi tentatus non eſſet, ita ut illud: noli me tangere, de ſcirrhis exquiſitis potiſſimum valeat.

Peſſimum, quod a ſcirrho accidere poteſt, cancer eſt, qui metuendus, ubi dolor in ſcirrho enaſcitur pungens, ubi tuberoſus redditur, volumine cito augetur, cute tenſa immobilis redditur; pericula augentur, ſi calor, rubor, pruritus cutis, dolor lancinans, ſæpius repetens accedit, ſi ſub ſcirrho mammarum tumor chordam tenſam referens advertitur, vel ſi tumoris loco contractio rugoſa apparet, quæ peſſimum ſignum præbet.

Notandum tamen, non omnem mox dolorem minari cancrum, notante enim *Richtero*, & *Frank* in vicinia naſci ex compreſſione inflammatio poteſt, & abſceſſus, quo evacuato dolor iterum diſparet.

Nec omnis ſcirrhus non irritatus, ne poſt 30 quidem annos, in cancrum abit, cum alias absque nota cauſa cito ſæpe degeneret,

Cancer ex ſcirrho glandulæ natus pejor eſt, quam qui in loco non glanduloſo hæret.

Mammarum & uteri cancer multo pejor, quam narium, labiorum, oris. Ubi cancer apertus adeſt, omnis ſpes fugit eum per auxilia medica ſanandi, juvat interdum chirurgia, exſtirpari ſi poſſit. Exſtirpationem quidam declarant inutilem, ſi virus cancroſum jam fuerit reſorptum.

At ſat dubia hæc reſorptio eſt, an cancro alicubi exſecto alibi ſimile malum ideo ſuccedit, quod materia cancroſa ſit reſorpta? an quod aliæ glandulæ jam per ſe in degenerationem ſcirrhoſam ac cancroſam fuerint diſpoſitæ? Vidit *Frank* cancrum apertum cum ſanitate inſequuta eo tempore exſectum, quo reſorptio ſaniei certe multa fieri potuiſſet. Si jam in hoc caſu glandulæ tumuiſſent non ex irritatione conſenſuali, ſed ex viru reſorpto, tam cito genu reſecto detumeſcere potuiſſe non videntur. Novit *Frank* mammam ſcirrhoſam, ubi glandula ſubaxillaris indurata ſimul tumuit, una cum glandula ſubaxillari ſæpius exſtirpatam cum ſanitate item ſuccedente.

Can-

Cancro externo internus pejor eſt, cujus progreſſus æſtimatur colore, fœtore ſaniei, & hœmorrhagiis. Saniei effluxum cohibitum ſequitur fere mors cita ex partium vicinarum corroſione.

Cura ut recta fiat, inquirendum:

1. An adſit revera obſtructio; hinc cavendum

a) ne viſceris cujusdam, vel glandulæ: Sic monente *Hallero* apud infantes majores, proportione habita, quam apud adultos ſunt glandulæ, præſertim lymphaticæ.

b) Ne tumor poſt inflammationem aliquamdiu perſiſtens de obſtructione nobis perſuadeat. Sic *Frank* juvenem nobilem, hypochondriacum, qui ex gonorrhœa prægreſſa glandulas inquinales tumidas diu geſſit, & fruſtra diu tractatus, in Italiam miſſus eſt a medicis, ut contra ſcirrhum initiantem auxilium inveniret, ne timeret, monuit, quod mera turgeſcentia eſſet cum ſenſilitate aucta poſt inflammationem aliquamdiu durare ſolita. Ordinavit linimentum volatile, & balneum maris Neapoli adhibendum; ſanus poſt 8 menſes redux metum tum ſuum, tum medicorum riſit.

Hinc cavendum, ne obſtructiones viſcerum ſupponamus, tactu &c. non commonſtrandas, & ne huic ſuppoſitioni indicationem ſuperſtruamus ægro moleſtam, ſumptuoſam, aut etiam noxiam.

c) Ne craſſum illum errorem, quem juxta *Morgagnium* medicus quidem commiſit, committamus, ut columnam vertebralem pro glandularum meſeraicarum obſtructione habeamus.

2. An ſpes reſolutionis adſit, quæ ſub duritie ſumma, lapidea, nulla eſt. Quod ſciendum, ne medicinam inſtituamus activam, & aut cancrum invitemus, aut reliquam ſanitatem atteramus.

3. An idiopathica vel ſit ſymptomatica. Multum enim pro hac differentia differt cura; ſic ſi glandulæ inquinales ab ulcere pedum intumuerint, ulceribus facienda medicina, non glandulis; ſi ab oſſis carie venerea, lui per interna obviam

erit

erit eundum; si a corpore peregrino in vulnere hærente, hoc ipsum erit auferendum. Glandulæ jugulares sub dentitione puerorum sæpe tumentes, dentitione absoluta fere sponte detumescunt.

4. An obstructio morbus sit totius systematis, an localis. Sic apud chloroticas mensium suppressio, tumor circa uterum &c. culpa totius systematis contingunt; hinc & in totum systema potius agendum, quam in solam partem affectam. Sic ubi febris intermittens diu duravit, ex totius item systematis culpa lien sæpe tumet. Sic fœminam, quæ ex quartana diuturna lienem durum retulit, sub usu resolventium, graminis, taraxaci, terræ foliatæ tartari, gummi ammoniaci semper auctum, *Frank* ope corticis intra 3 septimanas a febre, & maxima parte a tumore liberavit. Sartori Rastadiensi quartana item laboranti, & per 5 fere menses evacuantibus tractato, liene tumido, & ascite ad incitas fere redacto corticem *Frank* exhibet; cito febris silet, augentur urinæ, subsidet venter, & intra 3 septimanas sanatur.

Ante 3 annos in clinico Viennensi juvenis intra 14 fere dies ex tertiana ope corticis sanatur. Ingluviei crapulæque indulgens, frigorique se exponens post 14 dies redit cum febre tertiana, & liene tumido; cum saburræ signa non adessent, illico iterum cortex exhibetur, hinc inde clyster pro educenda fœce injicitur, & post 11 circiter dies tum a febre, tum a lienis tumore liberatus discedit.

Nec opponi potest, multos sub corticis usu in intermittentibus intumescere, & obstructiones pati, nam hujus rei ratio est, aut corticis usus nimis tardus, ut & sine illo obstructio successisset, aut usus illius perversus, ut nempe pro tanta debilitate dosi exhibeatur justo majori, ubi sane decocto cum volatili quodam principio juncto incipiendum fuisset, sensim transeundo ad pulveres, sed dosi parciori exhibendos, addito iterum principio volatili.

5. An

5. An obſtructio ex totius ſyſtematis vitio nata indolis ſit ſthenicæ, vel aſthenicæ, ſeu directæ, ſeu indirectæ.

In obſtructione ſthenica conducit methodus debilitans, utens diæta tenui, eccoproticis, venæ ſectione, hirudine. Sic in tumoribus inflammatoriis procedendum eſt, ubi obſtructio tum in vaſis, tum in tela cellulari hæret. Indolis ſi fuerit aſthenicæ, cujus quidem obſtructionum pars major, præſertim chronicarum eſt, videndum, an debilitas ſit directa an indirecta.

In directa, quæ frequentior, excitantia, reſolventia ſic dicta conveniunt, tum interne adhibita, tum ipſi parti affectæ, vel in vicinia applicata. Sed accommodanda ſunt debilitatis gradui, incipiendo à lenioribus ſenſim ad fortiora transeundo; nam pars obſtructa, reſolutionis adhuc capax, conſideranda quaſi in aſphyxia hærens, debilior, functionem edere vix valens.

Boerhaavius tum obſtructiones, tum actionem remediorum reſolventium nimis mechanice & chemice conſideravit. Materiam enim obſtruentem putavit tenacem, viſcidam, hinc cum aqua non miſcendam. Saponem hinc requiri putavit, qui materiam hanc aquæ miſcibilem redderet, quemadmodum ſapo maculas pinques ex linteis aufert. An vero ſtimuli, & virium vitalium rationem habere non opportuit?

Stimulum externum largiuntur: lenis contrectatio partis obſtructæ, frictio ope lintei, vapore aromatico baccarum, juniperi &c. imbuti. Frictio talis juvare valet agitatione mechanica, calore & electricitate extricata.

Exercitium corporis moderatum, viribus accommodatum, præcipuum pro reſolvendis obſtructionibus a debilitate natis remedium eſt. Præcipue tamen pars affecta exercenda, v. g. pars paralytica œdemate obſeſſa, vel ſynovia ad articulum aucta. Quod ſi fieri motus activus non poſſit, per

lenem

lenem contrectationem, frictionem, passivus saltem conciliandus.

Fomentationes tepidae, mucilaginosæ cum aceto squillitico &c. quarum actio potissimum pendet a calore partem asphycticam stimulante, quemadmadum arbores, hyeme quasi dormientes, circulatione per redeuntem veris calorem restituta frondes emittunt.

Balnea calida, thermæ Badenses sulphureæ &c. Hæ præter caloris stimulum prodesse quoque possunt stimulantibus suis, quæ continent principiis. Vapores parti affectæ admissi, qui balneis potentiores sunt. Quanta sit vaporum potentia, docent ossa in machina Papiniana emollita. At ne eandem illorum in corpus vivum actionem esse putes, nam vires corporum chemicæ, quas in aliud mortuum edunt, corpore vivo multum infringuntur, mutantur. Sic corpus vivum calorem impedit eum in se affectum edere, quem edit in mortuum. Nam Angli quidem cubile canalibus subterraneis eo usque excalefactum, ut aqua in medio posita ebulliret, ingredi per aliquot minuta ausi calorem quam antea vix majorem exhibuerunt; quemadmodum sub frigore intenso calor animalis non multum imminuitur, cum ferrum &c. radiis solaribus, aut frigori expositum, insigniter vel caleat, vel frigeat. Vaporis in corpus vivens actio certe stimulans est.

Embrocatio, sub qua ex alto labentes aquæ potentius agunt.

Linimenta volatilia, tum principiis suis, tum frictione adhibita prosunt. Emplastra stimulantia, sinapismi, interdum vesicantia. Parotides post epidemicam quamdam cynanchen induratas & ad quævis remedia rebelles emendatas cito vidit vesicantibus ipsi tumori applicatis *Frank*; sed scopo solum rubefaciente admota proficua vidit in œdemate crurum & tumore ad genu albo.

Fasciae utiles se præbuerunt in infarctu aquoso ex debilitate partiali nato, & in similibus ulce-

ri-

ribus. At cautus fasciarum in his malis usus esto; si totius systematis vitium superfuerit.

Electricitas stimulo item prodesse valet.

Stimulos ad internos pertinet hilaritas, grataque animi pathemata excitando agentia, quæ ad resolvendam obstructionem ex debilitate natam summe sunt proficua. Ad balnea qui proficiscuntur, ex itineris motu, objectorum varietate grataque inde animi distractione nata, dulci amicorum consortio &c. plus sæpe lucrantur, quam ex ipsis balneis; quemadmodum qui priscis temporibus ad loca sacra peregrinati sunt, tum his ipsis, tum confidentia sanati sunt.

Victus medicamentis sit respondens, hinc excitans, nutriens. Ad solvendas obstructiones esui fructuum horræorum plurimum quidam confidunt, quasi saponis instar humores tenaces aquæ miscibiles redderent. Ventriculo valenti, qui non omnino aquosi sunt, sed aromatis quid fovent, cibum largiuntur sat facilem, sed parum nutrientem; ventriculo vero debili copia præsertim majore ingesti acescunt, flatulentiam, diarrhœam, debilitatem sæpe inducunt, post quam citum sæpe augmentum obstructiones capiunt.

Ad remedia interna pertinent salia media; non quod fluida penetrantia eorum tenacitatem spiculis suis dividant, nam stimulo agunt applicato, quem comprobat oculus a sale illapso lachrymas multas fundens, docet vulnus insperso sale acute dolens. Agunt vero simul in urinas, a quarum excretione aucta multus sæpe in obstructionibus fructus habetur. At ea dosi danda, ne per alvum ruentia debilitent. Pertinent herbæ amariusculæ, amaræ, lactuca, endivia, gramen, taraxacum, cichoreum, non quod illorum succus lacteus humores instar saponis solvat, miscibilesque aquæ reddat, sed leniter irritando, & resorptionem promovendo. Exhibentur vero vel recentes jusculo incoctæ, aut succus illarum expressus, vel ex siccis decoctum paratur, aut extractum

exhibetur, ſive ex ſucco, ſive decócto inſpiſſato obtentum.

Incipitur fere cum ſucco, vel extracto graminis, utpote mitiori, addito ſale medio.

℞. Extr. gram. liquid. unc. j—jß.
Arc. duplicat. dr. jj.
Aquæ fontis vel deſtil. unc. vii—viii.
Syrup. ononidis unc. j.
Signentur, omni bihorio cochlearia jj. cum decocto graminis aut taraxaci addita liquiritia parato.

Dato hoc per aliquot dies ad extractum taraxaci tranſimus:

℞. Extr. taraxaci dr. jj—unc. ß.
Salis Glauberi dr. jj.
Aquæ fontis unc. vij.
Syrupi cich. cum rheo unc. j. S. ut prius.

Cui pillulæ præplacent, illi parari poſſunt ex extractis amaris, ſapone, bile inſpiſſata, gummi ferulaceis, cicuta, antimonialibus v. g. ſulphure aurato, tartaro emetico refracta doſi, qui vero jam ſolutus maſſæ pillulari addendus eſt, ut æquabiliter diſpergatur &c.

℞. Extr. taraxaci.
— ſaponariæ aa dr. jj.
Sulph. aurat. antim. ſcr. j.
Gummi ammoniaci dr. j. m. fiant pillulæ gr. iij. conſpergantur pulvere lycopodii, & ſignentur, ter de die numero v—vii.

℞. Ext. cichorei dr. jjj.
Gummi ammoniac. dr. jß.
Tart. emetici aqua tepida ſolut. gr. vi.
Pulv. cicutæ ſcr. j. m. fiant pillulæ gr. jjj.
Signentur, ter de die numero iv—vi.

℞. Extr. cichor. dr. jj—jjj.
— quaſſiæ vel
Bilis inſpiſſatæ
Gummi ammon. aa dr. j.
Mercurii dulcis vel
Sulph. aurati antim. ſcr. j. miſcetur &c.

Saponum actio, qui ideo vel maxime multis commendantur, quasi materiam tenacem solverent, ab alcali potissimum pendet. Debilibus minus convenire *Cullen* putat, quia ab acido in primis viis fere præsente decomponuntur, ubi oleum, præsertim si forte rancidum fuerit, lædere valet. Hinc semper curandum, ne sapo exhibeatur cum oleo rancido paratus, quod a veneto, debrezinensi vix metuendum. Ubi acidi præsentiam *Frank* metuit, alcalia saponi præfert, ne ab oleo extricato ægrotus forte lædatur.

Sapones cum amaris junctos cum fructu sæpe *Frank* exhibuit.

℞, Ext. taraxaci.
Sapon. debrezinensis aa dr. ij.
Gum. ammon. dr. iß.
Pulv. cicutæ scr. j. m. fiant pillulæ gr. iij. &c.

Mercurius ad potentiora resolventia pertinet, non quod globuli ejus humores tenaces pondere dividant, sed quod stimulet:

℞. Extr. taraxac.
Gum. ammoniac. aa dr. iß.
Mercurii dulc. scr. j. — fiant pill. gr. iij. &c. Attendendum, ut gr. j. — ij. mercurii dulcis de die exhibeantur, ne salivatio excitetur.

Aetheres, ipsumque opium apud sensiles, quibus multæ ex spasmis obstructiones sunt, vires resolventes sæpe exhibuit: sic chloroticis, quibus sæpe menses supprimuntur, aut cum dolore crurum, lumborumque parce, ac moleste fluunt, dum *Frank* paucis ante fluxum instantem diebus opium exhibuit, fluxum instantem paucis diebus, spasmis compositis, rite absolutum vidit.

Ubi vitium universi systematis debilitati adest, resolventia interne simul, & externe sunt adhibenda. In hepatis v. g. obstructione externe frictiones cum linimento volatili, vel unguento ex althea, & mercuriali unguento composito; interne resolventia superius allata. Maxime vero ad causas ob-

struc-

ſtructionis reſpiciendum, quæ ſæpe quaſi ſpecificæ ſunt, atque ignoratæ vix non impoſſibilem curam reddunt: ſic in obſtructione a lue mercurius præ aliis ſtimulantibus indicatur. Glandulæ jugulares a dente carioſo tumidæ detumeſcunt dente carioſo extracto. Eædem glandulæ poſt tineam inique ſuppreſſam tumidæ detumeſcunt, ſi tinea per ſemiveſicans loco prius affecto admotum revocatur.

Cortex peruvianus mediocriter adſtringens ſtimulo ſuo in aliis quidem obſtructionibus prodeſſe poteſt, præcipue tamen proderit in obſtructione poſt febrem intermittentem nata.

Sub reſolutione vero obſtructionum & id perpendendum, humores reſolutos non ſemper in ſubſtantiam noſtram commutari poſſe, hinc eorum evacuatio per lenia diuretica & eccoprotica facilitanda.

Ultima indicatio eſt partibus antea obſtructis tonum reddere, quæ obtinebitur per continuatum roborantium uſum, per uſum aquarum mineralium, præſertim martialium, quales ſpadanæ ſunt.

Cura ſcirrhi externi vel per reſolutionem tentatur, vel per exſtirpationem obtinetur, exſtirpari ſi poſſit.

Reſolutio tentari juxta *Richterum* poteſt:

a. Ubi exſtirpatio fieri nequit.

b. Ubi ſperare reſolutionem licet; in ſcirrho nempe non exquiſito, non lapideo.

c. Ubi propinquus cancer non videtur.

Pro reſolvendo ſcirrho non exquiſito, attamen operationem non admittente, ſingula indicantur, quæ contra obſtructiones pertinaces laudantur, quæ tamen aut minus efficacia ſe præſtant, aut nimis irritando cancri metum incutiunt.

Inprimis vero opportet ſcirrhum a frigore & violentia, ut ſunt frictio, contuſio, defendere, quibus facile cancri faciem induit; hinc tegere illum opportet pelle leporina &c. quæ & calorem æquabilem conſervat, & frictionem arctioremque cutis cum ſcirrho concretionem præpedit.

Inter potiora, quæ ſcirrhum reſolvunt, juxta *Richterum* pertinet tartarus ſolubilis cum extracto graminis, taraxaci, & melle. Absque fructu diu ſæpe *Frank* exhibuit.

Cicutam multi cum *Stœrk* laudant, contemnunt alii, Angli circa illam multum ſibi contradicunt. *Gattenhof*, qui 200 extracti libras adhibuit, effectum laudabilem non vidit. *Birchen* vires cicutæ concedit in ſcirrho ſcrophuloſo, ſed non in genuino; in hoc quidem ab initio prodeſſe, & dolores componere videtur, verum paulo poſt cito malum augetur.

Frank cicutam putat remedium potenter ſtimulans, in obſtructionibus ſæpe proficuum, in ſcirrho vero exquiſito inefficax, quod illi vero culpæ non dandum, cum & alia inefficacia ſint reperta. In inſigni uteri induratione cum lue incedente fructum eximium *Frank* vidit ab extracto cicutæ cum mercurio dulci juncto, qui ut ipſi videtur, ſoli mercurio adſcribendus non eſt. Eodem Viennæ connubio inſignes uteri indurationes, — an cum lue, an ſine illa? abſtulit. Una quidem ægrotans poſt 6 menſes ſimili modo affecta rediit, ſed & iterum reſtituta eſt. In quatuor vero his ſubjectis ſcirrhus exquiſitus adfuiſſe *Frank* non videtur.

Interne extractum cicutæ exhibetur a gr. j. ſenſim ad viij. pro doſi bis in die, vel ſequenti formula.

℞. Gummi ammon. dr. jß.
Extr. ſtipit. dulcamaræ dr. jj.
— cicutæ dr. j.
Calomelas ſcr. j. fiant cum
Syrup. aurantiorum pillulæ gr. jjj. ſignentur, bis — ter de die jjj — iv. — aut plures, mercurium ſi non addideris.

Externe *Frank* apponit emplaſtrum cicutæ addito, ut melius hæreat, emplaſtro de galbano, vel diabotano; interdum vero majoris efficaciæ gratia unguentum mercuriale addit. Sic Gœttingæ paroti-

dem

dem ſat duram ſanavit, datis ſimul reſolventibus internis.

Belladonnam, ut remedium potentiſſimum contra ſcirrhum, laudat *Richterus*: interne: ℞. Pulv. herb. bellad. ſiccæ gr. j.—ſenſim v. ſacchari albi ſcr. j. detur talis pulvis bis. Externe herba recens contrita, aut ſuccus illius apponitur. Laudandam *Frank* non habet, at in provecto uteri ſcirrho adhibuit. De digitali purpurea, ad gr. j. in pulvere exhibita, & ad gr. xv—xx. infuſa, experientiam *Frank* non habet.

Quidam emollientia applicata, aut vapores admiſſos laudant, qui in cancri metu non conveniunt, quia ſuppurationem malignam invitant. Cum monente *Richtero* ſcirrhus exquiſitus vix ſolvatur, eum illico exſtirpandum putat, quin reſolutionem tentando tempus ad operationem opportunum perdamus.

Valere hoc præceptum *Frank* putat in ſcirrho locali, at non in ſymptomatico. Quid enim proſit exſtirpatio, ſi vitium univerſi ſyſtematis non ſit emendatum, v. g. in ſcirrho ſub lue venerea, ſub diſpoſitione ſcrophuloſa. Differri operatio eo minus poteſt, ſi major ſcirrhi durities & inæqualitas fuerit in corpore, præſertim ſenili; ſi cutis calens, pruriens, rubens &c. cancri inſtantis metum injicit; ſic differenda non eſt caſtratio, ſi in ſcirrho teſticuli dolor ad abdomen, lumbos extenſus, modo funiculus ſpermaticus ſanus fuerit. Antequam vero ſcirrhus exſcindatur, ſciendum, an non aliæ glandulæ ſimul tumeant, quæ ſectione inſtituta exaſperabuntur. At hæc regula non ubique ſatis certa, poſſunt enim vel ob dolorem, vel ob compreſſionem vaſorum lymphaticorum ſymptomatice quoque turgere.

Sic *Deſſault* amputationem brachii ab aliis chirurgis negatam, ob ulcus ad carpum ſitum cum carie junctum, feliciter ſuſcepit, licet glandula ſubaxillaris tumeret. Idem cum ſcirrho mammarum inferiorem glandulæ ſubaxillaris ſimul tumidæ par-

tem

tem felici cum eventu exſecuit. Repetiit hoc idem *Scarpa*, licet ob arctum illius cum vaſis ſanguineis nexum multus hœmorrhagiæ metus ſit. Huc reſectio genu carioſi pertinet.

Antequam exſtirpatio mammæ ſcirrhoſæ, aut cancroſæ inſtituatur, juxta *Camperum in demonſtrationum anat.-pathol.* lib. I. tab. 1. conſtare debet:

a) Eum eſſe natum a cauſa externa.

b) Eum eſſe mobilem, cum muſculo pectorali non concretum.

c) Glandulas ſubaxillares, aut colli eſſe ſanas. Uteri integritatem addendam *Frank* putat; nam ſi hic ſcirrhoſus fuerit, ſtatus illius mamma exſecta cito exaſperatur.

d) In ſuperficie ſterni interna ad coſtam 2 & 3 veram, ubi vaſa mammalia decurrunt, dolorem pungentem non adeſſe; qui ſi adfuerit, glandulæ ibidem hærentes ſcirrhoſæ cenſendæ ſunt, exſtirpationem interdicentes. Dolor hujus loci, licet mammæ ſanæ fuerint, conditionem illarum glandularum ſcirrhoſam juxta *Frank* prodit.

Scirrhi vero hujus reſectio exacte fiat, ita ut omnis auferatur, nam ſi pars quædam remanſerit, regenerari cito ſummo cum periculo poteſt.

Puella nobilis 3 annorum tumorem inter coſtam 2 & 3 circa mammam ſiniſtram oſtendit, ſub applicatione linimentorum, & fomentationum reſolventium auctum, at non adeo durum, cum bono puellæ hilaris ad aſpectum habitu. *Frank* nunc vocatus tumorem vidit ad ovi gallinacei molem auctum, venas varicoſas, lividas; cum tumor adeo durus non eſſet, tumoris cyſtici ſuſpicionem movit. Omnis, ut videbatur, ſaccus eſt exſtirpatus; clauſo vulnere ſana apparet puella. Brevi nodulus comparet inſtar piſi durus, accedente ſenſim dolore, tandem acutiſſimo. Negavit *Frank* alteram exſtirpationem, quia tumorem internum ſimul adeſſe verebatur, & tumorem externum ultra pugni magnitudinem auctum cum vena ſubclavia concretum ſuſpicabatur. Negavit operationem *Stœrk*, negavit

vit *Siebold*, ad quem Wirceburgum deducta fuit; accenditur febricula, & post paucos dies suffocata perit. Tumor externus detectus est arcte cum vena subclavia cohærens, in pectore vero tumor prægrandis steatomatosus comparuit.

Pro cancri sanatione tot celebrata habemus remedia, ut quævis fere vetula de cancro curato glorietur. At gloria hæc ulceribus aliis impuris, malignis, facie externa cancrum æmulantibus persanatis nititur; nam præter exstirpationem remedium, quod cum spe sanationis cancro opponamus, habemus nullum.

Circa exstirpationem cancri plurimum dissentiunt medici & chirurgi. Quidam de utilitate dubitantes eam rejiciunt. Huc pertinet *Ledran & Triller in opusculorum medicorum* vol. I. *dissertatio de nociva cancri exstirpatione* exemplis demonstrata. *Monrous* senior inter 60 exstirpationis casus non nisi 4 felices vidit. Paucus quidem hic numerus est, interim tamen aliquis, qui invitare valeat ad operationem hanc ulterius suscipiendam.

Alii vero utilitatem operationis testantur: Tode in medizinisch - chirurgischer Bibliothek, Band VIII. & *Hill*, qui 3 annorum spatio 88 cancros exscidit, e quibus 40 sanati sunt. In nosocomio Viennensi mammam cancrosam absque recidiva exsectam interdum *Frank* novit.

Exsectio vero instituenda in cancro recenti, quamdiu vires non fractæ, febris lenta, sudores nocturni non adsunt; si solitarius est, nam si cum cancro externo symptomata scirrhi interni, v. g. uteri adsunt, parum ab operatione sperandum; si parvus, & mollis fuerit, si loco ad exstirpationem apto hæserit, sic e faucibus, palato exscindi nequit; si varicositas venarum notabilis non adfuerit.

At vero ita instituenda exstirpatio, ut nec de ipsa glandula cancrosa, nec de illius radicibus, quæ sunt vasa lymphatica cum glandulis suis indurata, chordas tensas referentia, quid relinquatur; secus inutilis erit operatio, nam alia ulcera can-

crosa brevi succedunt. Vide *Begril dissertationem de cancro* academiæ Londinensi communicatam 1773.

Cura per remedia duplici nititur indicatione, altera curativa, quæ remedia adhibet tum interna, tum externa; altera palliativa. Curatoria difficilis, quia causa mali primaria ignoratur. Si vero indoles cancri aut venerea, aut scrophulosa patuerit, tractandus cancer ea ratione, quæ de scirrhis his symptomaticis habetur commendata; venereus nempe mercurialibus, scrophulosus cortice simul & mercurio.

In omni cancro multum laudatur mercurius sublimatus corrosivus ad quartam grani partem bis de die ex aqua destillata, vel spiritu vini exhibitus.

℞. Merc. sublim. corros. gr. j. solve in
Aqua destil. unc. iv.

Summatur mane & vesperi quarta pars. Remedio hoc ulcus linquæ cancrosum sanatum habetur apud medicos Londinenses.

Circa mercurium sublimatum corrosivum vide Gooch in Sammlung medizinischer Abhandlungen, Band II. Stück 4. — *Gærtneri methodum specificam recentiorem cancrum sanandi* Tübingæ 1757. — *Martinet de duplici cancri remedio*, übersetzt, Weimar 1784. quorum alterum est alcali volatile. In cancro tamen diu jam aperto, qui profunde jam partes corrosit, parum mercurius corrosivus proderit.

Cicuta suas laudes non ubique comprobavit. Ab initio, ut alia narcotica multum sæpe præstare videtur, qui vero effectus salutaris disparet, dum æger assuesit; dosi auctiore iterum juvare videtur, donec ob periculosa symptomata augeri amplius nequeat.

Londinenses dolores in uteri potissimum cancro extracto cicutæ melius, quam ipso opio sopiri asserunt, quod testari *Frank* nequit. Extractum cicutae ad gr. j — x. bis de die exhibitum habetur. Extractum hoc aqua solutum, linteis carptis exceptum, ulceri applicare potest, vel possunt

fo-

folia cicutæ recentia contusa cataplasmatis forma imponi, vel infusum pro lotione parari. Edinburgenses in ulceribus cancrosis extractum seminum præ extracto foliorum laudant ea dosi exhibitum, ut vertiginem non inducat. *Gooch* cicutæ parum confidit. Juxta *Frank* parva dosi non juvat, majori ad gr. v. &c. vertiginem &c. facile inducit, ut desistendum sit. Ex medicorum tanto dissensu patere putat, interdum cum fructu adhiberi posse. Belladonna ad gr. β—viii. sensim exhibita scirrhum, & cancrum mammæ sanatum habet *Lentin. Frank* absque fructu exhibuit, at non nisi paucam circa illam experientiam habet. Caute cum belladonna incedendum, ad plantas venenatas pertinet, inferre valens vertiginem, amaurosin, deliria, convulsiones. Similia visa sunt a foliis belladonnæ ulceribus cancrosis impositis. Aliquot tamen experientiæ favere videntur foliis conquassatis, & ulceribus applicatis.

Circa succum expressum œnianthi, oeniocanthini *Linnæi*, quibusdam laudatum, experientiam *Frank* non habet.

Aqua calcis recens cum decocto sassaparillæ ad partes æquales, v. g. ad uncias v—vi. in die exhibita laudatur; vide *dissertationem de cancri occulti & aperti curatione*, Gœttingæ 1769. Gallus quidam in Richters chirurgischer Bibliothek Band III. pag. 482. arsenicum sic laudat:

℞. Arsen. albi crystallini gr. iv. solve in Aqua destill. libr. jj. detur jejuno ventriculo cochlear j. cum eadem lactis quantitate & syrupo; post 8 dies bis hæc dosis exhibeatur, post 14 dies ter.

Frank, experientia licet destitutus, arsenici usum ab Anglis & in intermittentibus laudati, cum adeo suspectus sit, dissuadet, præsertim in sensilioribus. Tristem ab arsenico in cancro effectum habet *Thilenius* in Richters chirurgischer Bibliothek, Band V. — Aliquot tamen exempla habentur, ubi arsenicum profuisse est visum; vide *Justamonte* in

Samm=

Sammlung medizinischer Abhandlungen Band XII. pag. 399. und Richters Bibliothek, Band V.

Pulvis Guisii contra cancrum laudatus arsenicum continere putatur. Usum arsenici externum in cancro Gallus quidam laudavit in Sammlung medizinischer Abhandlungen, Band VII.

Spiritum salis ammoniaci triplici modo, non periculoso, adhibuit *Martinet*. Interne ad gutt. v—vi ex vitro aquæ bis de die; externe aqua item dilutum, vel ad cutem ulceri vicinam, vel ad ipsum cancri suppurati fungum applicavit. An irritando prodest, an indolem ichoris cancrosi acidam invertendo? Bufo vivus mammæ cancrosæ ab ipsis Anglis olim applicatus, ut saniem exsugeret, fidem non amplius habet. Circa digitalem purpuream in cancro laudatam *Frank* experientiam non habet.

Sanatio cancri si per remedia obtineri nequeat, exstirpatio vero fieri non possit, sola superest cura palliativa, quæ fœtorem corrigere, dolores mitigare contendit. Fœtor emendatur per illa, quæ aut meliorem suppurationem inducunt, aut ichorem auferunt bis, ter per diem. Ichor auferri potest spongia ope aquæ tepidæ, & pauci spiritus vini madefacta, aut infuso cicutæ instillato.

Ab aëre fixo ope machinæ ad ulcus cancrosum admisso plurimum quidam exspectant, an scopo curativo, an palliante, suppurationem emendante? Fructum nullum *Frank* novit. *Steidele* Versuche über einige spezifische Mittel wider den Krebs, Wien 1788. curatum mammæ cancrum vidit sequenti compositione ipsi ulceri admota:

℞. Tinct. cort. peruv. unc. j.
Laud. liquid. Sydenh.
Essentiæ myrrhæ aa. dr. j.

Ab initio fœtor auctus est, sed aucta opii dosi suppuratio & sanatio successit, post 6 a sanatione menses mors ex hydrope. Ulceri sensiliori applicandum *Frank* putat.

Ra-

Rasura dauci hortensis linteo excepta & cancro imposita, ante plures annos laudata est ad dolores mitigandos, *Hautesierk* cancrum labiorum sanatum vidit. *Nordford* laudat succum ricini Americani ad pintam j. in vase plumbeo soli expositum, donec olei spissitudinem acquisiverit, vel cum succo hoc expresso miscet plumbi calcinati unc. j. & mercurii præcipitati albi scrup. j.

Idem fere *Frank* præstare videtur unguentum nostrum nutritum, dolores ad tempus saltem componendo. Solutionem myrrhæ in aqua calcis factam, plumaceolis exceptam, superposito emplastro quodam *Vogel* laudat.

Contra dolores atroces somnum fugantes opium interne cum fructu sæpe *Frank* exhibuit; sensim vero non amplius juvit, quia exhiberi dosi tanta non potuit, quæ pro somno conciliando fuisset requisita.

Genus III. Struma, scrophulæ.

Eodem tractatu hos morbos *Frank* complectitur, licet satis differant. Differentia vero ex eo patet, quod una sine altera plerumque incedat, & remediis, quibus scrophula sæpe paret, struma vix mutetur, & contra.

Glandulæ thyroideæ, quæ in viris, quam fæminis major est, hactenus ignoratur usus. Non videtur ad id solum formata, ut laryngem obtegat, & ab injuriis externis defendat; nec humorem laryngi prospicientem secernere dici potest, cum ductus excretorius in laryngem patens demonstratus non sit. Ut glandulæ thyroideæ in sanitate usus, ita & morborum illius indoles obscura est. Ob structuram præsertim in fæminis laxiorem tumori chronico, struma dicto, sæpe subjacet, qui ab initio mollis, elasticus, sine cutis rubore, dolore incedit, sanitatem vix lædens.

Struma male quibusdam bronchiocele dicitur, quia pars nulla intercepta est, si vero interna laryn-

ryngis membrana extenſa in cartilagines elabitur, bronchiocele habebitur, cujus rei præter *Guetardi* exemplum *Frank* aliud non novit.

Indolem ſtruma variam exhibet, nunc ad tumores cyſticos pertinere videtur continens materiam fluidam, craſſam inſtar mellis, aut ſevi; interdum gypſeam, vel lapideam in folliculo uno vel pluribus; interdum membranis induratis reſiſtentiam cartilagineam, oſſeam refert; interdum materia aëriformis collecta hæret, bronchiocelem ventoſam *Roncallii* conſtituens; alias in ſolo augmento morboſo conſiſtere videtur non lædente, niſi malo fors nimis aucto, ubi deglutitionem & reſpirationem impedit, compreſſis vaſis jugularibus circulationem intercipit & apoplexiam invitat.

Struma ad altiores Helvetiæ, Tyrolis, Styriæ, Carinthiæ, Inſubriæ montes, in quodam Angliæ comitatu &c. at vix in planitie, aut montium cacumine, quam frequentiſſime vero ad montium pedes & in vallibus occurit, quæ montibus interjacent. Strumam quamdam bronchioceles titulo deſcripſit *Baker*, Londini 1776, quæ inter 8 & 12 ætatis annum in ſolo ſexu fæmineo enata, intra 4 & 5 annos ita increvit, ut ſenſim omnem juguli partem occuparet, tumor, qui ab initio mollis fuit, ſenſim vero durior, circumſcriptus eſt redditus, reſpirationem lædens.

Ad ſtrumam cretinismus referri poſſe videtur, malum noſtris temporibus, quam priſcis longe frequentius & accuratius deſcriptum per *Zimermannum de experientia in medicina* — per Abbatem *Richardum Sauſſure de cretinismo* Tomo II. — *Foderéz*, Taurini 1772. — *Vincentium Malacarne*, Taurini 1789. — Ackermann über die Kretinen ꝛc. Gotha 1790. — *Gauthieri de Tyrolenſium &c. ſtruma*, Viennæ 1793. Cretini, Tölpel, frequentes in Helvetiæ alpibus, præſertim in Walleſia, in valle Aoſta &c. ſed magis ad montium pedes & in vallibus montibus interjectis, quam in illorum cacumine. Singulare eſt, quod exteri ibi degentes vix

cre-

cretini reddantur, modo annum ſeptimum ſuperaverint, nec illi etiam, qui ibi naſcuntur, modo ad 7 usque annum ætatis in montium cacumine enutriantur. Sedes cretinismi externa eſt, glandula thyroidea ſtrumoſa, omnes enim cretini ſtrumoſi ſunt, nec tamen omnis ſtrumoſus jam cretinus eſt. Strumam cretinorum ex laxitate potius fibrarum, quam ex obſtructione repetit *Sauſſure*, nam muſculi cretinis ſunt molles, flaccidi, cutis flaveſcens, laxa, pendula, palpebræ tumentes, inertia ad motum ſumma &c.

In cretinismo, varios qui gradus habet, ſequentia *Frank* obſervavit: faciem pallidam, tumidulam, labium ſuperius craſſum, inferius pendulum, multa ſaliva depluente continuo madidum, glandulam thyroideam in omnibus ſtrumoſam, linquam craſſam ad loquelam vix aptam; quidam verba quædam balbutiendo proferunt; alii vocem articulatam vix edunt, ſed ſonum velut ranarum &c. auditum in quibusdam gravem, viſum objectorum remotorum in aliis deficientem, hebetudinem, inſenſibilitatem, ut ad interrogata vix reſpondeant, ſed ſtupidi rideant, nec ab ulla fere re moveantur. Quidam pecunias oblatas omnino non acceperunt, alii acceperunt quidem, ſed absque gratiarum actione &c. Quidam imitari labores domeſticos, rurales valent; alii nullum motum ſpontaneum ſuſcipiunt præter deglutitionem, nam cibos oblatos avidi quidem deglutiunt, ſed manus ad eos vix extendunt, multo minus pro iis obtinendis pedem movent, ut fame perituri videantur, niſi cibi ipſis ingererentur. Quidam generationi indulgent, cretinam *Frank* vidit veneream.

Cretinus, quod *Frank* novit, nullus adhuc ſectus eſt; nam ſumma miſericordia & quaſi veneratione cretini fruuntur apud affines, qui ſectionem non admittunt. *Frank* duas cretinorum calvarias obtinuit hinc inde pellucidas, fere planas, pauco nonniſi cerebro continendo capaces.

Cau-

Caufas ftrumae *Frank* ignorat. Accufatur quidem

1. Aqua nivalis, glacialis, quam jam *Hippocrates* accufavit, quod congelatione pars aquæ tenuior (aër fcilicet fixus) diffipetur, fuadere hanc affertionem videtur ftruma ad Alpes endemica, ubi multæ funt aquæ nivales. Probabilitas huic opinioni accedit, quod cum *Cook* ad mare glaciale perveniffet, & nautæ pro potu obtinendo glaciem funderent, poft 3 feptimanas ftruma omnes afficerentur, a qua liberabantur, ubi ad regionem minus frigidam delati aquis melioribus utebantur.

At ftrumæ & ibi occurrunt, ubi, ut in Infubriæ planitie, Genevæ aquæ glaciales vix potantur, & quod magis eft, occurrunt in infula Sumatra calidiffima, ubi aquæ nivales, aut glaciales nullæ.

2. Laxitas glandulae thyroideae, nam fœminæ fub partu difficili, præfertim, fi fub moliminibus collum retroflexerint, ftrumofæ fæpe redduntur.

3. Metaftafis & excitata per eam fecretio morbofa.

4. Eandem, quam fcrophulæ ftruma habere caufam non videtur; nam ex conftitutione fcrophulofa glandula thyroidea rarius intumefcit.

Tumores glandularum conglobatarum, feu lymphaticarum præfertim in collo fitarum dicuntur.

Scrophulæ,

Anglis *Kingsübel*, quia olim tum Angliæ tum Galliæ regibus prærogativa a Deo conceffa putabatur, tumores hos glandulares folo attactu perfanandi, additis hifce verbis: Rex tangit, deus juvat. *Andreas Laurentius* Henrici IV. archiater, agens de ftrumæ natura, & cura, multos hoc regis attactu perfanatos fe vidiffe narrat. Si vera hæc

fcro-

ſcrophularum curatio, in ſolidorum potiſſimum vitio conſiſtere videtur, atque magnam ad eas perſanandas ſyſtematis nervei autoritatem eſſe; juviſſe enim videtur confidentia, & mutatio ſyſtemati nerveo per illam inducta; quemadmodum manus cadaveris frigida, aut pellis ſuſpenſo cuidam detracta, collo ſtrumoſo olim applicari ſolita, ſi juvit, juviſſe videtur proficua per terrorem incuſſum in nervos actione.

Scrophulæ characteres juxta *Cullen* ſunt: glandularum conglobatarum præſertim in collo tumores, labium ſuperius craſſius, columna naſalis, facies turgida, abdomen tumidum. At definitio hæc non videtur ſatis juſta, nam colli &c. glandulæ conglobatæ ex aliis etiam cauſis tument v. g. a dente carioſo, a veſicante inter ſcapulas applicato; tempore pubertatis ſæpe tument glandulæ inquinales. Dein labii ſuperioris, naſique craſſities ſæpe deeſt, licet ſcrophulæ adſint. Denique meſenterium plerumque quidem, nec tamen ſemper tumet, atque hic ſine multa macie malum incedit.

Sprengel ſcrophulam definit cachexiam cum tumoribus glandularum lymphaticarum. At cachexia hypotheſin redolere videtur, cujus in ſuo morborum ſyſtemate mentionem *Frank* non injecit, quia vitia humorum pro malo ſecundario, pro ſecretionis morboſæ &c. producto habet.

Frank ſcrophulæ ſiſtunt aſtheniam cum chronica ſyſtematis lymphatici affectione, & glandulis ejusdem paſſim turgidis; ſyſtema enim lymphaticum potiſſimum in ſcrophulis affectum, & ſecretionem morboſam pati videtur. Præcipue vero tument glandulæ lymphaticæ ad jugulum, ſub axillis, ad mammas, inquina, hinc inde ad ventriculum, ſæpe in meſenterio, ſæpiſſime tamen ad pulmones.

Glandulæ ſcrophuloſæ piſum, nucem avellanam, juglandem &c. æquaſſe ſunt viſæ. In meſenterio plures ſæpe glandulas adeo tumidas *Frank* vidit, ut fœtus maturi caput æquarent. Heuermann in Bemerkungen, Band I. poſt febrem intermittentem me-

mesenterii tumorem 6 librarum vidit, venam cavam comprimentem. Tumorem *Plenk* in mesenterio vidit ultra 10 libras ponderantem cum hydrope junctum. Cave tamen, ne glandulas lymphaticas in infantibus proportione habita semper majores morbosas mox habeas.

At scrophularum sedes non in solis glandulis conglobatis est, sub malo enim inveterato glandulæ etiam conglomeratæ, parotides, pancreas tument, tument tonsillæ, afficiuntur palpebræ, aures, ozœna nares laborant, comparent ad tracheam, ad poplites, manus, pedes, ipsosque digitos, unde tendines &c. corrumpuntur. Ad ipsa sensim ossa constitutio scrophulosa extenditur. Ossa cranii atque vertebras corrumpit, extremitates ossium longorum tumere facit, cariem, spinam ventosam iis inducit, epiphyses secedere cogit. Ipsi adeo dentes vix prodeuntes nigrescunt, gingiva imminuta vacillant, atque carie affecti excidunt.

Symptomata scrophularum enumerare difficile, utpote quæ pro sede variant.

Si pulmones affecti fuerint, dyspnœa, asthma, tussis, phthisis succedunt. Si ad mesenterium hæserint, atrophia, febris lenta, hydrops infestant. Si ad articulos eorum tumor, distorsio comparet. Si ad spinam vertebralem resederint, ejus distorsio, kyphosis enascitur. In quocunque vero loco hærentes scrophulæ tumorem sistunt ab initio mollem, dein plus minus durum, elasticum, cuti vix discolorem, indolentem, tactu inæqualem, quia plures glandulæ coacervatæ sub scrophulis sunt infarctæ, dum in scirrho unica fere affecta est. Scrophula suppurata, & aperta materiam non purulentam, sed quasi caseosam, ex cinereo albescentem, vel & gypseam ostendit. Membranæ horum tumorum crassæ sunt, & velut cartilagines duræ.

Aliquando quidem non adsunt glandulæ infarctæ, quin ideo constitutio scrophulosa desit, quæ apud infantes cognoscitur ex nisu in ophtalmias chronicas, ex auribus fluentibus, ex labio

labio superiore nasoque tumidis, rubris, erosis; ex facie rotunda, tumidula, genis pendulis; ex cute tenera, facie mox rosea, mox pallida, aut rosea ad partem unam, pallente ad alteram; carnium flacciditate; cæruleo oculorum, flavo capillorum colore; ex acumine ingenii & in rachitidem dispositione; ex impetiginibus variis ad certam speciem vix referendis, velut herpeticis, rebellis indolis.

Scrophulæ raro ante 2. ætatis annum, raro post 7. erumpunt; adulti, in pueritia nisi scrophulosi fuerint, vix plectuntur; tempore pubertatis, quo semen in pueris parari incipit, molimina menstrua in puellis comparent, subito sæpe fugiunt, sed sæpe iterum redeunt, ubi menstrua cessant.

Cavendum, ne, ut olim omnis impetigo chronica ad scorbutum revocata est, ita nos scrophulis mala quævis imputemus, quæ juxta *Kirkland* minus, quam putatur, frequentes sunt.

Circa scrophulas legendi sunt: *Lalouet* — *Kortum de vitio scrophuloso.* — Hufeland über die Skropheln, Jena 1795. — Weber über die Skropheln, 2 Theile. — Kirklands Untersuchung des Zustandes der Arzney- und Wundarzneykunst. — *Richardi Roussel classica dissertatio de tabe glandulosa & usu aquæ marinæ in morbis glandularum*, Oxonii 1750.

Dividuntur quibusdam scrophulæ:

1. In primarias, idiopathicas, veras; & in secundarias, metastaticas, spurias.

2. In endemicas, quales sunt in Tyroli, Styria, Carinthia, Helvetia, frequentes sunt in urbibus populosis, in locis subterraneis, humidis, frigidis habitantibus.

3. In hæreditarias, quales vel maxime in sexu fæmineo. Vide *Degelmanni dissertationem de scrophulis*, Gœttingæ 1777. — *Cullenius* adeo alterius originis raro scrophulas putat; sic in eadem familia fere solæ plectuntur filiæ, si mater scrophulosa fuerit, filii vero, si pater laboraverit. Conta-

giosae, quales testante *Andrea Laurentio* 1578. Parisiis sunt habitæ, *Frank* non videntur.

4. In externas atque internas.
5. In conclusas vel apertas.
6. In benignas vel malignas.

At divisiones hæ pleræque juxta *Frank* diversos ejusdem mali gradus tantum exprimunt, omnem verò ille scrophulam pro eodem malò habet; tumentem enim ex irritatione locali glandulam lymphaticam scrophulosam dici reprobat.

Malignas quas dicunt scrophulas tumores hæ sistunt, qui inter phlegmonem & scirrhum medium quasi locum tenent; sæpe immobiles sunt, firmiter adhærentes, cum duritie lapidea, superficie inæquali, & in suppurationem chronicam proclivitate, quam subituri livido-rubri fiunt; sensim mollescunt, & fluctuationem nonnisi obscuram edunt, aperti materiam caseosam fundunt. At omnis scrophula in suppurationem lentam mali moris prona est, & accedente irritatione in eam transit, adeoque quævis scrophula maligna dicenda foret. Scrophula talis durior &c. suppurationem minitans pro cancro facile imponit. *Lieutaudius* affinitatem inter luem & scrophulas intercedere putavit, imò has illius progeniem habuit propterea, quod venerei scrophulosam sæpe prolem procreent, & eadem fere medela utrique malo conducat.

Si venerei qui olim fuerunt prolem scrophulosam procreant, explicari id potest ex debilitate, quam sive ex morbo, sive ex valida medendi methodo contraxerunt. Mercurio vero, in lue specifico, sæpe exasperantur scrophulæ. Denique morbum scrophulæ sistunt gentibus alpestribus endemicum; an integræ hæ gentes venereæ sunt habendæ?

Causa scrophularum proxima a quibusdam ponitur in obstructione glandularum lymphaticarum. At secundum *Sœmeringium* quam optime sæpe per mercurium injiciuntur glandulæ scrophulosæ, ut adeo illarum obstructio non semper ad-

adſit, & ſi adſit, meliore jure pro effectu, quam cauſa mali habenda videatur.

Juxta *Sellium* eſt acrimonia ſpecifica, ſed undenam demonſtranda? Juxta *Hufelandum* eſt atonia & debilitas ſolius ſyſtematis lymphatici juncta cum irritabilitate ejusdem morboſa & ſpecifica, per quam acrimonia ſpecifica producatur. Juxta *Frank* poſita eſt in debilitate totius ſyſtematis, majori tamen ſyſtematis lymphatici & partium digeſtioni inſervientium. Etenim omnes, diverſiſſimæ licet videantur, remotæ ſcrophularum cauſæ in id conſpirant, ut debilitatem inducant, qua præſente ſtimulus quicunque ad ſyſtema glandularum lymphaticarum acceſſerit, ejusdem ille inflammationem chronicam aſthenicam & ſecretionem morboſam excitabit.

Ipſe adeo chylus, ex læſa digeſtione ſine dubio vitioſus, pro glandulis meſenterii debilibus ſtimulus eſt nimius, ita ut per illum infarciantur; accedente vero majori ſtimulo ſecretionem morboſam, aut & ſuppurationem patiantur. Humorem hunc morboſe ſecretum acredinis participem eſſe dubitari vix poteſt, at ſecundaria hæc acredo eſt, nam ſecretio morboſa contingere nequit, antequam irritatio inſolita, adeoque morbus adfuerit.

Inflammationem vero, quæ ſub ſcrophularum evolutione glandulas lymphaticas occupat, chronicam & aſthenicam eſſe docet tardus illius decurſus, ruboris, caloris, dolorisque abſentia in ſcrophuloſa palpebrarum, labii ſuperioris inflammatione, aut ſub glandula quadam tumente. Exceptionem tamen ſcrophuloſa glandularum meſeraicarum affectio fere patitur, ſub qua dolor abdominis ſæpe adeſt.

Quæcunque ut remotæ ſcrophularum cauſæ adducuntur, in id conſpirant, ut debilitent, ut adeo pateat, debilitatem principem illarum cauſam eſſe.

C a u ſ a e p r a e d i ſ p o n e n t e s juxta *Hufelandum* triplici modo agunt:

a) Tonum fibrarum præſertim ſyſtematis lymphatici deprimunt.

b) Irritabilitatem ac ſenſibilitatem ſyſtematis lymphatici morboſe vel augent, vel imminuunt. Juſta hæc definitio *Frank* non videtur; nam quæ debilitant, ſenſibilitatem quoque alterant.

c) Malum chylum parari faciunt. At mali chyli elaboratio iterum a debilitate partium illarum, quæ illius confectioni præſunt, pendere *Frank* videtur.

In ſpecie vero ad ſcrophulas diſponit:

1. Sexus fæmineus præ virili, ætas infantilis præ adulta, ob majorem laxitatem & irritabilitatem.

2. Labes hæreditaria, integræ enim dantur familiæ ſcrophuloſæ.

3. Debilitas parentum, præſertim per venerem nimiam, onaniam inducta. Parentes exhauſti debilem fere prolem generant.

4. Victus crudus, difficilis digeſtionis, parum nutriens, hinc frequentiores ſcrophulæ apud pauperes. Huc pertinet lac maternum proli negatum, unde fere debilitas. Huc pertinent farinacea non fermentata, legumina, aliaque vegetabilia fere ſola exhibita, nimia variorumque ingurgitatio.

5. Debilitas ventriculi inteſtinorumque per potum tepidorum, purgantium &c. abuſum inducta.

6. Acidum primarum viarum, quo præſente mala digeſtio & nutritio.

6. Vermes, qui tum irritando, tum pabulum corpori ſubtrahendo debilitant.

8. Abuſus ſpirituoſorum, opiatorum, unde debilitas indirecta.

9. Educatio ſpurca, quæ non adeo ad ſcrophularum geneſin contribuere *Frank* videtur, nam apud ruſticos aliosve ſpurcos, niſi alia ſimul cauſa peccaverit, ſcrophulæ non adeo frequentes ſunt; & ſi porci ſpurcitie gaudentes morbis cutaneis ſæpe laborant, non laborant anates non minus ſpurcæ, ut adeo in porcis alia ſimul cauſa ſubeſſe debeat.

10. Regimen nimis calidum, an fors ideo noxium, quod major sub illo perfrigerii sit occasio? Nam in locis calidis raræ sunt scrophulæ.

11. Aër cubiculorum conclusus, humidus simulque frigidus; frigus enim debilitat, corpore præsertim male tecto, non exercitato; subitaneæ aëris vicissitudines.

12. Vita sedentaria, educatio durior, austera, animi occupatio præmatura corpore nondum firmato, præsertim ingrata, adhibitis coactione & increpatione, unde animi pathemata deprimentia, debilitantia.

13. Onania, quæ tristes quidem effectus multos, raro tamen scrophulas producit, nam scrophulæ fere comparent, ubi onaniæ locus vix est. Si tamen maturius exerceatur, producere debilitando juxta *Frank* valet.

Causae excitantes vel occasionales:

1. Dentitio, sub qua systematis glandulosi per stimulum majorem irritatio, chronica inflammatio, atque secretio morbosa.

2. Contusio, vulnus, amputatio &c. quæ irritando & debilitando agunt.

3. Convalescentia ex morbo gravi, crisi, præsertim imperfecte terminato. An sola debilitas ad rem explicandam non sufficit? An opus est acri varioloso, morbilloso, ad glandulas lymphaticas deposito?

4. Pubertas, sub qua per semen secretum systemati potissimum lymphatico stimulus insolitus infertur, per velox vero incrèmentum, quod sub pubertate fere contingit, omne systema debilitatur, atque utraque hæc conditio ad intelligendam scrophularum genesin sufficere, nec evolutio acris specifici requiri videtur.

Quemadmodum sub incremento veloci rachitis, ita & scrophulæ sæpe comparent. Ad rachitidem vero non requiritur corpus aut gibbosum, aut pumilum, possunt rachitici & proceres, & recti esse,

sed

ſed ita, ut truncus juſto altior cruribus nitatur brevibus, aut contra.

5. Tempus vernum ſcrophulis evolvendis potiſſimum favere putatur; juxta *Frank* tempus hibernum magis favet.

Cauſa cretinismi juxta *Sauſſure* eſt in aëre per reflexos a rupibus ſolis radios excalefacto, & per ſtagnationem in vallibus concluſis corrupto, qui non ſolum calore corpora tenera relaxat, ſed ratione quoque hactenus incognita lædere valet. Suadere ſic putat cretinorum raritas, aut defectus in vallibus amplioribus, perflatis, non paludoſis.

Hæc tamen explicatio *Frank* non ſatisfacit. Ac primo quidem in regionibus longe calidioribus cretini non occurrunt. Dein *Frank* cretinos vix invenit in vallibus quibusdam anguſtis ſimillimis, ubi multi cretini ſunt. Adeoque in ſola caloris & aëris conſtitutione cretinismi cauſa, aut omnino non eſſe, aut alia ſimul requiri concurrens videtur. At ſi aëris ratio ad cretinismum nil conferat, cur recens nati ad cacumina montium adducti cretini non redduntur?

Prognoſis: Scrophulæ morbum ſiſtunt curationis longioris, ſæpe nullius; adeo induratæ, ut ſcirrhum & cancrum referant, vix ſanantur; in ulcera, cariem, pædarthrocacem, ſpinam ventoſam & ſequentem inde tabem ſunt pronisſimæ.

Spina ventoſa, quæ idem ad oſſa, quod ulcus malignum ad partes molles eſt, ſponte absque nota cauſa naſcitur, maxime in oſſibus ſpongioſis. Incipit vero in parte illorum interna cum ſummis doloribus, cito malum ad exteriora propagatur, corrodendo ulcus efficit, ichorem acerrimum quod fundit.

Pædarthrocace infantes ſcrophuloſas fere invadens cariem item ſiſtit, ſed quæ mitior & lentior, quam ſpina ventoſa incedit. Dolores accuſant ægri, quin ad aſpectum locus mutatus appareat, aut preſſione dolorem pars affecta edat. Poſt aliquod tempus tu-

tumor assurgit non durus, sed ruber, urens, suppurandus, qui post 3—4 septimanas rumpitur, ichorem sanguinolentum fundit, ulcus sistit spongiosum cum osse subjecto per cariem corrupto.

Cura strumae, quam, etsi causa ignoretur, impetrare sæpe licet, in *Journal de Medicine*, volumine XXXII. obtenta legitur solis ovorum testis calcinatis bis de die ad dr. j. ex vino propinatis. Earum actio an ex hoc solo explicanda venit, quod acidum primarium viarum absorbeant?

Spongia vero marina usta ad scr. j—dr.β bis de die in pulvere exhibita, ut optimum strumæ remedium repetitis experimentis se comprobavit, vide Göttingische gelehrte Anzeigen 1777. S. 60.

An prodest alcali pauco, quod continet? An pulvis deglutitus faucibus adhærens eas irritat, unde major muci secreti evacuatio, & glandulæ thyroideæ per hanc irritationem ab ulteriori secretione morbosa liberatio, ut voluit *Gattenhof*? At favere huic opinioni non videtur, quod viæ ex glandula thyroidea in asperam arteriam ducentes non adsint, tum etiam, quod struma non minus sanatur spongiæ marinæ decocto, quod adeo pulveri *Frank* præfert, quia faucibus adhærere dici certe nequit.

E *Corvino* formulam *Frank* didicit in scrophulis recentibus sæpe sibi proficuam:

℞. Spongiarum in fragmentis
Lapidum spongiarum aa. unc. iv.
Pilæ marinæ unc. j.
Ingerantur crucibulo & vertantur sub igne in cineres, dein

℞. Horum cinerum unc. j. ad remanentiam colaturæ libr. j. cui adde
Syr. de cinamomo unc. j.
Signetur, ter de die cochl. j.

Sim-

Simplicius *Frank* ſic præſcribit:

℞. Cin. ſpong. marinæ
Pilæ marin. aa. unc. β. coque cum
aqua fontis libr. jj.
colaturæ libr. j. adde
Syr. de cinam. unc. j. S. ut prius.

Spiritus item Mindereri contra ſtrumam interne laudatur. Diætam certam in ſtrumæ cura *Frank* vix ordinat, quia malum mere locale ſiſtere videtur; cur tamen remedia interna proſunt?

Externe contra ſtrumam laudantur frictio illius ope manus calidæ bis in die facta; lotio per aquam marinam, aut ſolutionem ſachari ſaturni ope ſpongiæ inſtituta; inunctio ſpiritus Mindereri, linimenti volatilis.

Gallus quidam Duſſerant militibus cinctus per Alſatiam proficiſci ſolitus, ne per medicorum, ut ajebat, invidiam trucidaretur, & fracturis admodum dexter, in ceteris vero agyrta impudens (nam epilepticis ad forum adductis terrore incuſſo paroxismum ſuum revocavit, quo compoſito pulverem quemdam iis exhibuit, quo nullus unquam ſanatus eſt; validam ſurdis alapam inflixit, qua accepta quidem ſe audiiſſe aſſeruerunt, an ex valida concuſſione & irritatione auditus rediit; an audire ſe aſſeruerunt, ne alteram alapam referrent? certe poſt diem unum alterumque omnes iterum ſurdi exſtiterunt) ſtrumas ita in omnem partem compreſſit, ut ſub manibus illius diſparerent, poſt biduum fere redeuntes.

Exſectio item ſtrumæ propoſita eſt ab *Heiſtero*, & feliciter inſtituta legitur in *Rudolphi Vogel inſtitutionibus chirurgicis*. At infelicia hujus operationis exempla apud *Palſyn* & *Gooch* habentur, & tonſor quidam Tyrolenſis hominibus 16 ſtrumam exſcidit, qui omnes ſunt mortui. Periculoſa *Frank* videtur, quia glandulæ thyroideæ vaſa majora ſunt, quæ varicoſa ſub ſtruma facile redduntur.

At ſi ſtruma tanta fuerit, ut laryngem comprimere & ſuffocare valeat, ſetaceum per ſtrumam trajectum evacuando materiam collectam levamen conciliabit. Exemplum ſtrumæ per ſetaceum ſanatæ habetur in *Girardi lupiologia.*

Tode in der chirurgiſchen Bibliothek, Band VIII. multas ſtrumas habet ſponte ſuppuratas & apertura facta perſanatas. *Frank* dum 6 annorum puer eſſet ad glandulam thyroideam tumorem inflammatum, lividum contraxit cum venis multis varicoſis, reſpirationem plurimum impedientem; tumor hic tricuſpide perfoſſus materiam purulentam fudit, dein albumini ovorum ſimilem, remanſit per 10 fere annos fiſtula humorem tenuem, acrem plorans, a qua circa pubertatem perfecte liberatur.

In cura ſcrophularum, quarum ſymptomata triplicem juxta *Richterum* originem habent, debilitatem, obſtructionem & acredinem, indicata ſunt, quæcunque roborant, obſtructiones reſerant, acredinem emendant. Secundum *Kirkland* obſtructiones glandularum ex infarctu ſpiſſo, frigido natæ, per cicutam, mercurialia reſerandæ, acre a parte affecta revellendum, corrigendum per antimonialia, omne ſyſtema per corticem &c. roborandum.

At triplicem hanc indicationem *Frank* ideo non admittit, quod ut obſtructionem ſub febribus intermittentibus comparentem, ita & obſtructionem ſub ſcrophulis forte præſentem, una cum acredine ſecretionis pathologicæ producto, effectum debilitatis, nequaquam ſcrophularum cauſam exiſtimet; adeoque unica erit indicatio per excitantia adaptata, & diu exhibita debilitatem emendandi, qua emendata obſtructio quoque & acredo ſecretione morboſa parata, emendabitur. Ipſa antimonialia ad acredinem corrigendam a *Kirkland* commendata ſtimulando agunt, quo vis vitalis augetur, ſpiſſitudo humorum &c. corrigitur; quod item de cicuta & mercurio valet.

Hu-

Hufelandus indicationibus *Richteri* fere ſimilibus poſitis ſequentia laudat:

1. Emetica, quæ proderunt, evacuandum ſi quid fuerit, quod quidem rarius continget, ſecus debilitatem augebunt. Aliter cenſendum eſt de emeticis refracta doſi exhibitis, ubi vomitum non excitantia ſtimulando agunt.

2. Purgantia, at non antiphlogiſtica, ſed potentiora, de quibus fere valet, quod de emeticis monitum eſt.

3. Antimonialia v. g. tartarus emeticus refracta doſi, æthiops antimonialis, & mercurialia in ſcrophulis proficua ſæpe ſunt deprehenſa.

4. Terra ponderoſa muriata, ſeu barytes muriatus, quem *Hufeland* ſic præſcribit.

℞. Barytis muriati dr. j. ſolve in
Aqua deſtillata unc. j.

Signentur infanti 1—2 annorum ter, quater de die guttæ x—xx. adulto vero guttæ 40—60.

Terram hanc laudat Buchol3 in chymiſchen Unterſuchungen über die geglaubten giftigen Eigenſchaften der Schwererde, Weimar 1792. *Girtannerum & Arnemannum* refellere conatur, qui terram ponderoſam muriatam ob arſenicum, quod ineſſe putabant, ſuſpectam pronuntiarunt. Terram hanc, ut ineſſicacem contemnunt *Joannes Schmid de baryte muriato*, Lipſiæ 1793. — Feriar in neuen Bemerkungen über Waſſerſucht, und Wahnſinn; Journal der Erfindungen Stück II. Cum actio illius non ſatis certa, nec etiam ſatis tuta ſit, de fama ſua multum perdidit. *Frank* ſicut alii ſine fructu ſæpe adhibuit. An ubi juviſſet vivendi ratio, diæta nempe, exercitia congrua, ſiccitas & calor loci &c. An non tamen ſub certa quadam conſtitutione prodeſſe in ſcrophulis poteſt?

5. Calx muriata, quæ juxta *Hufelandum* potentius, quam ipſe barytes irritat, atque ſudores, urinasque promovet, prodeſſe juxta *Frank* valet acidum primarum viarum abſorbendo; ſed acidi generati cauſa roborantibus erit auferenda.

6.

6. Spongia marina uſta, quæ juxta *Hunczovsky*, ut contra ſtrumam, ita & contra ſcrophulas in Anglia mane & veſperi exhibetur, parum *Frank* profuit; unicum ſi exceperit caſum phthiſeos ſcrophuloſæ cum ſtrumæ veſtigiis incedentis, ubi auxilium habuit a decocto ſpongiæ marinæ.

7. Terræ abſorbentes, ut magneſia, aqua calcis.

8. Alcalia, tum fixa, tum volatilia.

9. Sapo, *Scopuli* propoſuit ſaponem acidum ex acido ſulphurico & oleo paratum, qui poſt biennium eviluit.

10. Tuſſilaginem farfaram *Cullenio* item laudatam *Frank* utilem non vidit.

11. Succi herbarum recenter expreſſi, extracta amaricantia, taraxaci, cichorei &c. tum & amara potentiora, extractum v. g. gentianæ, quaſſiæ, quæ reſolventium titulo quibusdam veniunt, ſtimulando vero agunt, huc & gummi quajacum &c.

12. Aromatica, radix calami aromatici, helenii, lignum ſaſſafraſſa &c. prodeſſe, ut quævis ſtimulantia poſſunt, modo gradui debilitatis rite accommodentur. Referri huc poſſe videtur aſſa fœtida, & digitalis purpurea, quæ reſorptionem plurimum promovet.

13. Narcotica, opium, hyoſciamus, cicuta, belladonna, ſtipites dulcamaræ cum extracto ſuo, quæ minus quam alii laudanda *Frank* habet, quod idem de decocto corticum nucis juglandis valet.

14. Adſtringentia, huc potiſſimum cortex peruvianus, & glandes quercinæ. Decoctum corticis, aut ſolum, aut pauco caffe addito cum lacte & ſaccharo libenter plerumque infantes aſſumunt. Quod idem de glandium quercinarum decocto eodem modo exhibito valet.

15. Mercurialia, martialia, quæ cum antimonialibus, & cortice peruviano in ſcrophulis juxta *Frank* vel maxime ſunt proficua, cui *Kirkland*, & *Fothergill* conſentiunt.

Notandum tamen a mitioribus curam eſſe incipiendam v. g. decocto taraxaci, extractis amariuſculis,

lis, fenfimque ad fulphur auratum, æthiopem antimonialem, gummi quajacum, mercurialia, corticem tranfeundum, quod nifi feceris, malum facile exafperabis.

℞. Extract. amaricant. dr. jj.
Gummi quajaci dr. j.
Aethiopis antim. fcr. j. fiant cum
Syrupo quodam pillulæ gr. jjj.

Quarum v. ter in die adultus affumat.

16. Sunt quoque, qui falia media ea dofi laudant, ut femel bisve de die alvus refpondeat, ubi ftimulando fane agunt. *Andreas Pafta* per dies 40 hac ratione continuari fuadet.

17. Aquæ minerales, præfertim martiales, fimilesque thermæ agunt roborando, & fecretiones promovendo.

18. Clyfteres vifcerales, qui abforptionem fyftematis lymphatici abdominalis promovere valent.

19. Balnea calida aquæ fimplicis, quæ non relaxant, fed ftimulant. Balnea item cicutæ, faponata, cum calce & fulphure parata, martialibus, adftringentibus maritata.

20. *Ruffel* commendat aquam marinam, tum ad paucas uncias potam, ita ut excretio alvina non excedat, tum pro fomento, aut balneo adhibitam. At monente *Cullenio* aqua frigida, five fimplex, five marina, non nifi pro immerfione repetita fervire poteft; nam fi quis frigidæ diutius immoratus fuerit, debilitatem contrahet.

21. Topica varia, inter quæ fonticuli. Quidam ad emolliendas fcrophulas plurimum laudant algam marinam, tum pro frictione, tum pro cataplasmate adhibendam. Topicum efficaciffimum juxta *Kirkland* præftant lintea aqua frigida, five fimplici, five marina madefacta, fcrophulis impofita, atque renovata, antequam ficcari inceperint. Nocte vero unquentum non multum irritans linteo fuperpofito applicare fuadet. Frigida fic applicata fæpe difperguntur fcrophulæ, inflammationem & fuppurationem minantes.

Ulcera ſcrophuloſa difficulter fere ſanantur, præſertim, ſi arte aperta fuerint, eo magis, ſi ante perfectam maturationem, & æquabilem tumoris emollitionem factum id fuerit. Hinc apertura ſpontanea exſpectanda, niſi vicina vaſis majoris, aut oſſis ob corroſionis periculum aliud ſuaſerit.

Spina ventoſa & paedarthrocace, quæ ſunt ulcera ad articulos rebellia, ſcrophulis ſuam ſæpe originem debent.

Ulceribus ſcrophuloſis varia methodus fuit adhibita. Quidam ob ſuppoſitam acredinem antimonialia propoſuerunt, roborando ſane proficua. Laudatur fel recens linimento ſaponaceo unitum, alumen uſtum cum unquento non multum irritante junctum; laudatur mercurius præcipitatus ruber ulceribus inſperſus; laudantur juxta *Cullenium* cupri præparata.

Celſus eſum anquis, probabiliter viperæ, commendat. Auctore quodam Hiſpano in America ſeptentrionali lacertæ virides pelle detracta crudæ comeduntur, tum contra lepram & luem, tum etiam contra ſcrophulas. An alcali volatili, quod continent, efficaces ſunt? Hæc experimenta *Carminati* repetens ab eſu lacertarum viridium ſalivationem & urinas auctas obſervavit. At carnes hæ trementes cum nauſea aſſumuntur, ex nauſea vero major ſalivæ effluxus facile explicatur. Nauſeam vero qui patiuntur plus bibunt, unde urinarum augmentum intelligitur. Quidam ulcerum ſcrophuloſorum ſub eſu viperarum emendationem repetendam eſſe contendunt a mercurio præcipitato rubro ulceribus adſperſo, quare illarum uſus eviluit.

At ſingula hactenus tum interne, tum externe laudata nullius contra ſcrophulas frugis erunt, niſi cauſæ reſcindantur. Hinc victui crudo vegetabili ſanus animalis ſubſtituendus, accommodata, grataque exercitia inſtituenda, ingratæ animi occupationes, ſeveritas vitanda; habitatio humida, frigida cum ſicciore temperate calida commutanda.

Ge-

Genus IV. Rachitis Sauvagesii, tabes pectorea aliorum.

Rachitis, vitium quasi spinæ vertebralis, hoc loco a *Frank* tractatur, non quod ad retentiones satis pertineat, sed quod affinitatem cum scrophulis habere videatnr; nam ut in scrophulis ita & in rachitide glandularum infarctus, tumor abdominis, ossiumque caries sæpe occurrit.

Germanis malum hoc das Verknüpfen, die englische Krankheit, die doppelten Glieder, der Wechselbalg audit; ex Balg (Haut) und Wechseln. Præjudicata enim seculis prioribus in Germania viguit opinio, quæ forte ne nunc quidem penitus eviluit, rachiticos ex coitu dæmonis cum saga oriri, esseque quasi medium inter dæmonem, & hominem; unde factum est, ut infantes rachitici sæpe exponerentur. Viguit & aliud circa rachiticos in Germania præjudicium, quod vel hodie mentibus plebejis insidet, quemvis nempe plebeji peregrinum a puerpera arcent, metuentes, ne recens natum auferat, atque in illius locum Wechselbalg substituat.

Scriptores circa rachitidem sunt: *Joannes Büchner de rachitide perfecta, & imperfecta*, Argentorati 1754. Habetur hæc dissertatio in *Halleri disputationum medico-practicarum* Tomo VI., numero 202. Bona est, & in loco facta, ubi rachitis non multo infrequentior, quam mediolani est. — *Le Vache, & Moiny de rachitide*, Parisiis 1780. — *Philippus Jones*, Londini 1788. — *Puzos de rachitide infantum.* — Friedrich Kappels Versuch einer vollständigen Abhandlung über die englische Krankheit, Berlin 1787. — *Trnka historia rachitidis* &c. Viennæ. — Gessher über die Entstellung des Rückgrads. — *Zeviani de rachitide tractatus duo.* — Rosenstein von den Kinderkrankheiten. — *Ekmann de ossium malacia*, Upsaliæ. — Franks kleine Schriften.

Characteres juxta *Cullenium* sunt: caput magnum, anterius vel maxime tumens, genicula tumida, costæ depressæ, abdomen tumidum cum ceterarum partium marcescentia.

Juxta *Frank* rachitis morbus plerumque infantilis eſt, in quo caput, & oſſium proceſſus articulares tument, oſſa vero intermedia incurvantur, ſpina dorſi ex ſitu ſano diſtorquetur, abdomen tumet cum reliqui corporis contabeſcentia.

Licet rachitis infantes fere pleſtat, & dentitionis tempore, id eſt, a ſexto poſt partum menſe usque ad ſecundum ætatis annum plerumque compareat, interdum tamen, aliter licet *Strak* ſentiat, circa tempus pubertatis ſub veloci corporis incremento, in puellis vel maxime comparet, oſſium mollitie ſe prodens, atque more acuto decurrens; interdum etiam in ætate magis provecta occurit, cito pariter decurrens. Tria rachitidis in adultis exempla *Frank* ipſe vidit, ex medico vero quodam florentino malum hoc in adultis ſat frequens Florentiis eſſe cognovit. *Burggraf* exemplum adeo habet viri 50, & virginis 40 annorum rachitide affectorum.

Antiquis incognita rachitis fuiſſe videtur. Juxta *Roſenſtein* inter annum 1612 & 1620 in Angliæ comitatu Dorſet, & Somerſet primum obſervata, & per *Arnoldum Bootium* deſcripta. Alteram illius deſcriptionem anno 1650 dedit *Gliſſonius.* Anno 1630 ex occidentalibus Angliæ provinciis in omnem late Europam penetravit. In Suecia origo illius ignoratur, nec certum adhuc nomen obtinuit. In Germania juxta *Frank* medizin. Polizey altiorem originem habere videtur, quam quidem *Roſenſtein* ſtatuit. Juxta itineratores apud gentes minus cultas rachitis rarius occurrit, ut vitæ ſocialis effectus eſſe videatur, & ſane in urbibus populoſis quam ruri longe frequentior.

Symptomata rachitidis potiora ſunt:

Hilaritas, ætati teneræ familiaris, adeo perit, ut moroſitas velut adultorum ſenſim compareat. Pigritia ad motum tanta, ut qui jam ingreſſi fuerant, ab ulteriori ingreſſu deſiſtant, quin paralyſis adſit. Accuſatur ſæpe lapſus infantis, & contracta inde læſio, aut metus incuſſus. Caput,

ve-

velut hydrocephalus adesset, præter modum in infantibus grandescit, cum fontanella aperta, osse frontis velut anguloso prominente, temporibus impressis, ad latus alterutrum propendet, vel spina cervicali antrorsum protuberante retrorsum flectitur, ut inter scapulas quasi recondatur. Linqua multis grandior, unde loquela impeditur, retardatur; quidam tamen sat cito juxta *Cullenium* loquuntur. Os saliva multa sæpe inundatum. Vox pro ætate profundior, an ob laryngis dilatationem, ut vult *Rosenstein*? Facies fere tumidula cum cute tenera, & venis turgidis pellucentibus; sub malo vero provectiore rugosa, squammosa redditur, atque crassa. Venæ ad collum sitæ fere turgent. Malo quidquam aucto fere somnolenti sunt rachitici, dormientibus in pectore materia quædam quasi ebullit, quam tussi ad os elevatam continuo deglutiunt.

Ingenium plerisque præmaturum, at acutum est, atque hi in systematis nervosi affectiones, in convulsiones, & epilepsiam proni sunt, nec stimulos majores, purgantia &c. ferunt, ut non ferunt febri asthenica versatili laborantes. Quidam tamen stupidi, magis insensiles, & ideo difficulter purgandi majores stimulos perferunt, ut febri nervosa stupida affecti. In rachiticis stupidis cerebrum mollius est repertum.

Buchnerus in puella rachitica 10 annorum 5 ante mortem septimanis hydrophobiam enatam vidit, quæ serius iterum disparuit œdemate totius corporis suborto.

Abdomen omnibus fere rachiticis turget, durumque redditur ex aucta viscerum mole, visconia rachiticorum. Sæpe glandulæ mesentericæ valde tument, materia crassa, albida infarctæ sunt, steatomata, scrophulas, scirrhos referentes, visconia mesenterii. Sæpe hypochondrium dextrum potissimum tumet, non ex obstructione, sed ex visconia hepatica. *Strak in actis philosophico-medicis societatis Hassiacæ*, pag. 159. hepar tam grande

vidit,

vidit, ut ſingula viſcera, aut ex ſitu depelleret, aut comprimeret; ſic inteſtinorum pars erat ampliſſima, altera ad lumbrici anguſtiam coarctata. *Swieten* ex hepate prætumido rachitidem prædixit inſtantem. Regio item hypogaſtrica ſupra pubem intumeſcit.

Quamplurimum vero oſſium compages in rachitide afficitur, ita ut oſſa tarde indurentur, aut iterum emolliantur indurata, quæ jam fuerunt; hinc *Stoll*, aliique rachitidem pro ſyſtematis oſſei vel maxime morbo habuerunt; *Frank* tamen peccare totum ſyſtema putat, licet in ſyſtemate oſſeo vel maxime compareat.

Interdum in quadam corporis parte duriora, quam par eſt, oſſa comparent, in alia vero molliora: *Bonetus in Sepulchreto* oſſa firmiora in rachitide eſſe contendit. *Morgagnius epiſtola* LVIII. numero 7 & molliora, & firmiora eſſe poſſe exemplis oſtendit. Aliquando carie corroduntur, aut in materiam caſeoſam, ſpermati ceti ſimilem reſolvuntur, nam pædarthrocace frequens rachitidis ſequela eſt.

Imprimis tamen mutantur oſſa longiora, femur, fibula, clavicula, ſternum, coſtæ. Primum intumeſcunt capita articularia, utpote molliora præſertim manuum pedumque, unde ligamenta diſtenta debilitantur, ut morbo licet diu ablato incedendi impotentia premat; ſenſim & oſſa intermedia duriora, utpote prius oſſificata, emolliuntur, complanantur, incurvantur.

Columna vertebralis in rachiticis plerumque a directione, quam in ſanis habet, recedit, ac fere incurvatur, breviorque evadit. Interdum tamen redditur longior, ita, ut nani & gigantes ad rachiticorum familiam pertinere *Frank* videantur, quod docent crura in gigantibus modo vara, modo valga.

Plerumque incurvatio ſpinæ in vertebris dorſi contingit, rarius in vertebris colli, rariſſime in lumbalibus; ſpina lumbalis ad anteriora in ſanis incurvata, in rachiticis, ſi vitiatur, recta fere redditur. Thorax vitiatur per ſternum ad anteriora

protuberans; per compressas ad latera costas, quarum in cartilaginibus nodi interdum assurgunt; per vertebras dorsales, quæ vel postrorsum kyphosin constituunt; vel ad latus alterutrum excedentes scoliosin efficiunt, hæc in illud fere latus contingit, cujus lateris brachium magis exercetur; vel antrorsum deflectentes, quod quidem rarius contingit, lardosin efformant.

Pelvis quoque ossa in damnum matris futuræ ipsiusque fœtus deformantur, unde diameter illius tum ab osse sacro ad os pubis patens, tum lateralis, tum etiam uterque angustatur, quod eo facilius contingit, cum infantes rachiticos ingredi non valentes custodum brachiis continuo insidentes ad pelvim comprimi necesse sit.

Cum rachiticorum ossa fere mollescant, varia conformationis vitia ex decumbendi item ratione oriri possunt. Si qui capite altiore decubuerint, kyphosi facile laborabunt; expedit hinc in lectis durioribus situm fere horizontalem rachiticis conciliare.

Præter caput, abdomen, & articulos, omnes partes emaciantur. Cutis, cute capitis & abdominis excepta, redditur sicca, rugosa, vetularum cuti non absimilis, pendula. Corrugatiouem cutis circa anum vel manum magnum rachitidis signum *Zeviani* habet.

Musculi flaccidi, quasi relaxati, impotentes sunt. Ex hac musculorum flacciditate patet standi, & ingrediendi impotentia, dyspnæa snb ingressu, ani prolapsus; collapsus faciei senilis, circulationis retardatio præsertim in glandulis; intelligitur flexilitas corporis post mortem residua rigore nunquam succedente. Ex inæquali vero musculorum, & diuturniore illorum actione, qui voluntati inserviunt, intelligitur, cur ossa in illud fere latus detorquentur, cujus lateris musculi magis exercentur.

Impetigines sæpe ad rachiticorum cutem comparent, quorsum & comedones pertinent. Cutis nempe si premitur, fila exprimuntur alba

punc-

punctulo nigro instructa. Fila hæc vermes quibusdam sunt habita, & nutrimentum surripiendo tabem inducere putati. Sunt vero sevum animale in folliculis cutaneis collectum, nam vel apud sanos ex folliculis sebaceis narium vermiculi tales exprimi possunt, punctum vero nigrum pro capite imponens a cutis spurcitie pendet. Cum hi comedones in cute rachiticorum fere adsint, eam simul laborare patet.

Voracitas in rachitide fere adest cum vitiata digestione, & odore acido ore evaporante. An voracitas ex eo pendet, quod nullus fere chylus ob glandulas meseraicas obstructas ad secundas vias deferatur? At in aliis etiam tabis speciebus, ut in phthisi pulmonali, in febre adeo nervosa fames sæpe excedit, ubi glandulæ meseraicæ obstructæ non sunt. An pendet a vermibus, qui nutrimentum corpori surripiunt? Si adsunt, possunt utique ad famem auctam contribuere, at non ubique adsunt. Sub vermium præsentia multus sæpe mucus tenax ano excernitur, quem nidum vermium, eorumque causam quidam statuunt, quem vero effectum *Frank* existimat; nam vermes villosam intestinorum stimulantes majorem secretionem excitant.

Alvus rachiticis fere tarda, dura, sub fine vero mali diarrhœica, debilitans. Quidam in rachitide bilis secretionem deficere putant, quia vesicula fellea post mortem fere reperitur vacua. Num vacua reperiatur *Frank* ignorat, quia nunquam in eam inquisivit. Ex constitutione vero vesiculæ felleæ post mortem detecta non licet concludere ad statum illius sub vita præsentem, nec si repletam reperias, bilis auctam secretionem in vita peccasse justo dices. Nam bilis ex cystide fellea evacuatio a compressione ventriculi repleti mechanica fere pendet, hinc vel sanissimus diu jejunans ex compressionis defectu repletam afferet, ut obtulerunt animalia post diuturna jejunia enecta. Hinc repleta fere post singulos morbos reperitur, sub quibus parum comestum est. In rachiticis ideo probabili-

 ter

ter reperitur vacua, quia continuo comedentes ventriculum ſemper repletum habent, qui cyſtidem felleam jugiter evacuat.

Quibusdam rachiticis multus vomitus eſt, hic igitur, & ex hac cauſa deficere bilis in cyſtide poteſt. Sanguis, ut in quavis feré tabe, aquoſus eſt, ſolutus dictus. Senſim febris lenta exſurgit ſub veſpera exaſperata, ſtillicidia, an urinæ? an narium? viſus obſcuratio, convulſiones lethales.

In ſecto cadavere juxta Heiſters anatomiſch chirurgiſche Wahrnehmungen, ventriculus & inteſtina reperiuntur flatibus diſtenta, vermibus ſæpe repleta; glandulæ meſeraicæ volumine auctæ, induratæ, nodi pulmonum, unde reſpirandi difficultas; venarum jugularium dilatatio; oſſa ſæpe reperiuntur emollita, medulla oblongata, vel & ſpinalis durior interdum eſt detecta.

At initium rachitidis prætervidendum non eſt, quæ juxta *Strak* imminet, ſi præſertim inter menſem ætatis 15 & 16 facies pallida, tumidula redditur, color genarum rubellus in citrinum, flavum vertitur.

Dividitur *Cullenio* in ſimplicem absque alio vitio incedentem, & in complicatam. Aliis in perfectam, & imperfectam, hæc adeſſe dicitur, ubi oſſa nondum incurva, nec abdomen turgidum eſt, & febris lenta abeſt. At hæc diviſio ejusdem mali diverſos tantum gradus indicat.

Stollio aliisque in hæreditariam, congenitam, acquiſitam, endemicam. Congenitam, cujus apud *Gliſſonium*, *Kleinium*, atque *Heiſterum* exempla pauca habentur, *Frank* non conſpexit. Vidit quidem in proprio quodam filio crura diſtorta, at ex vitio rachitico id non fuit, ſed ex ſitu in utero iniquo, atque ope faſciarum intra biennium vitium hoc fuit emendatum. Endemica certe exiſtit Argentorati, Lutetiis Pariſiorum, in Inſubria, potiſſimum tamen Mediolani, & in plerisque urbibus populoſis paludoſis.

Cau-

Causæ prædisponentes sunt:

1. Aër humidus, frigidusque; docet hoc mali frequentia in Anglia, Insubria, & in urbibus ad paludes sitis; docet *Büchnerus*, juxta quem in arce Argentoratensi plurimi rachitici sunt, qui emendantur, dum in urbem minus humidam deferuntur; docet rachitidis raritas in locis siccis, & calidis.

2. Quidam rachitidem luis venereæ non penitus cicuratæ, ac degeneratæ progeniem habent, quia proles ex parentibus venereis natæ sæpe rachiticæ evadunt. At multi infantes rachitici fiunt, in quorum parentes luis prægressæ suspicio nulla cadit. Atque si luis progenies rachitis est, cur non æque, ut in lue, ita & in rachitide mercurialia prosunt?

3, Lac maternum puero negatum, victus crudus non exercitato atque in aëre concluso detento ingestus. Apud rusticorum prolem bene nutritam, & motam rara rachitis.

4. Quidam acidum primarum viarum, quod resorptum ossa emolliret, accusant, provocantque ad *Ruyschii & Scarpæ* experimenta, qui costas aceto, acido nitri &c. immissas intra 3 septimanas ita emollitas viderunt, ut contorqueri in nodum possent.

At firmis hæc opinio principiis inniti non videtur. Acidum sæpe infantes ore spirant, quin rachitici sint. Quis vero humorem tam acidum in corpore adesse concipit, qui ossibus emolliendis par sit? qui fit, ut ossa in rachitide interdum adeo non emolliantur, ut friabilia potius reddantur? Et si acidum peccet, an non debilitatis effectu peccare censendum est? An in puella, quæ dum venerea in carcere diu detenta ossa singula emollita exhibuit, emollita censenda sunt per acidum? an emolliri ob luem, aliamve ob rationem non possunt? num animi pathematum deprimentium nullum influxum esse dicemus.

5. Sæpe custodes infantum, ut rachitidis auctores accusantur, quod ex culpa illarum in terram ceci-

ceciderint &c. An lapſum mali univerſalis cauſam fieri poſſe probabile eſt? an omnes rachitici ex lapſu affecti cenſendi ſunt?

Cauſa proxima in debilitate conſiſtere *Frank* videtur. Suadere ſic putat ſubjecta, quæ laborant, & circumſtantiæ, ſub quibus laborant, ut infantes ex parentibus debilibus nati, lacte materno privati, cibis crudis infarcti, in locis humidis, frigidis degentes, motu deſtituti, ex morbo gravi varioloſo, morbilloſo, ſcarlatinoſo, convaleſcentes. Suadere putat fæmina, quam *Frank* novit ex rachitide olim perpeſſa male conformatam, cetera ſanam. Plures hæc filios ſanos enixa eſt, ubi animi pathemate ingrato diu laboraſſet, filiam peperit, quæ 12 ætatis anno menſtrua nondum paſſa, rachitica eſt facta; an non ex debilitate, quam in utero materno contraxit? Suadere putat, quod ſola methodo roborante ſanetur, per diætam nempe nutrientem, aërem moderate calidum, per exercitia viribus accomodata, per remedia roborantia. Ex debilitate, & inde nato nutritionis defectu ipſam tardiorem oſſium indurationem intelligi poſſe *Frank* putat.

Difficultatem tamen circa emollitionem oſſium in adultis explicandam fatetur. Nam ſi auctam vaſorum lymphaticorum actionem ſtatuamus, qua ſubſtantiam oſſeam præ quavis alia reſorbeant, cur id agant, quæri poteſt. Si acidi phosphorici abundantiam, quæ terram calcaream oſſibus ereptam per urinas eliminet, ut oſſium emollitorum cauſam accuſaverimus, quidquam aſſumemus non demonſtratum. Nec acido hoc abundante ad rem concipiendam opus eſſe videtur, cum ex debilitate, & deficiente per illam nutritione intelligi poſſit; etenim ſi terra calcarea acido phosphorico ſaturata, quæ per urinas ſanorum evacuatur, non reſtitueretur, oſſa emolliri neceſſe foret. Si partes molles rachiticorum magis nutriri, quam oſſa videntur, molis extenſio id dicendum videtur, cum laxitas ubique peccet.

Cul-

Cullen ut proximam rachitidis causam acre scrophulosum accusat, quod materiam osseam in sanguine hærentem solveret &c. — sed undenam hoc acre demonstrabit? Alii vero acre variolosum &c. accusant. An vero debilitas post graves variolas relicta ad rem explicandam non sufficit? an & ad rachitidem post febrem asthenicam natam acri quodam specifico generato opus est?

Prognosis: Rachitis imperfecta dicta difficulter, perfecta vix sanatur. Levior si fuerit, diu sæpe protrahitur, & circa septimum annum, vel circa pubertatem sponte interdum solvitur. Post annum 5 enata juxta *Le Vache* facilius sanatur, quam alio tempore orta; sed an sufficienti experientia hoc nititur effatum, cum rarius hac ætate oriatur? Si febris lenta accesserit, ad summum cito augetur malum; si facies subito collabitur, mors intra 14 fere dies instat.

Ubi rachitici in anteriora curvantur, hydrops pectoris juxta *Rosenstein* fere adest. Rachitici gravius affecti vix sine visceris cujusdam labe relicta sanantur; plerique dispositionem in phthisin retinent; pauci elegantiam formæ acquirunt, caput fere omnes majus gerunt, multi brachia longiora, pedes varos, aut valgos ostendunt, staturam pumilam, sed etiam proceram exhibent.

Cura rachitidis, quo feliciter instituatur, inquirendum:

1. An simplex sit, an complicata cum saburra, vermibus, illa emeticis, vel purgantibus auferenda, hi vero sua methodo expellendi.

2. Causæ indagandæ atque auferendæ, auferri si queant. Hinc habitatio humida cum ficciore, fieri si possit, commutanda.

Victus crudus, viscidus, mere vegetabilis cum saniore commutandus; lacti v. g. nutricis crasso, nimis pinqui, adeoque gravanti, aut nimis tenui, minusque nutrienti melius substituendum, cibi farinacei difficilioris digestionis hinc pultes cum lacte acidulo paratæ seponendi; concedendus panis biscoctus,

coctus, qui in fermentationem minus pronus; concedenda juſcula carnium, vitellus ovorum, ova ſorbilia, & iis, qui dentes jam habent, carnes aſſatæ præ vegetabilibus.

Corpus rachiticorum ſiccum conſervandum, conciliandus ipſis motus, frictione ope pannorum laneorum fumo aromatico imbutorum, vectione in curru, concedenda ipſis movendi libertas ſuper pavimentum ſtragulis contectum. Somnus, qui non concedendus protractus, in lecto duriore capiendus, ut corporis deformatio vitetur.

Zevani uſum lactis rachiticis omnino interdixit, a quo nil mali ſe vidiſſe *Cullen* aſſerit. A lacte bono *Frank* non metuit, niſi puer ob digeſtionem depravatam acido laboraverit.

Noxium apud multos præjudicium viget, quo teneris victum animalem denegandum putant, ne proclives in putredinem humores reddantur, & variolæ mali moris aliquando ſuccedant. *Frank* ſane, quibus variolas inſerit, iis ad diem febris erumpentis usque diætam carneam absque damno concedit. Plus forte metuendum a variolis habent, meris qui vegetabilibus nutriuntur, quia debiliores manent. Rachitici ſane vegetabilia difficulter ſubigunt, unde acido flatibusque torquentur, nec ſatis etiam nutrimenti accipiunt.

3. Magni intereſt, ut cito malum cognoſcas, ſerius enim ubi cognoveris, dum abdomen jam turget, omnino durum eſt, ubi tophi, febrisque lenta adſunt, mortem quidem avertere ſæpe licet, ſed vitiata corporis forma per omnem vitam remanebit. Hinc ſigni rachitidis inſtantis a *Strakio* allegati medicum ſemper eſſe memorem oportet; monente enim hoc auctore tempus fere nullum ad perfectam ſanationem opportunum, niſi tum primum evolvi incipit.

4. Maximi vero intereſt, ut indicationi principali ſcilicet corroborandi ſatisfiat, tum per diætam mox traditam, tum per medicamenta excitantia a lenioribus incipiendo. In exhibendis remediis magna

apud

apud infantes difficultas eſt, quod pleraque reſpuant; hinc talia conquirere oportet, quæ palato illorum arrideant. Contra quod *Roſenſtein* peccavit, dum aſſam fœtidam, ſalia acalina &c. præſcripſit; teneri forte aſſumunt guſtu & olfactu, ut videtur, minus exquiſito inſtructi, aliquot vero menſium pueri vix non certo reſpuent.

Remedia contra rachitidem olim laudata partim *communia* ſunt, partim *ſpecifica* habita. Ad communia pertinent:

1. Emetica & purgantia, quæ, niſi ob complicationem indicata fuerint, debilitabunt.

2. Antacida ſeu abſorbentia, quæ exhiberi poſſunt, acidum ſi adfuerit, ſed cum debilitatis productum ſit, antacidis nimis diu inſiſtendum non erit, ſed debilitati occurrendum. *Abilgard* in Sammlung praktiſcher Abhandlungen für Aerzte, Band III. Stück 3. ſcopo antacido, an non & ſtimulante, ſalem alcalinum vegetabilem exhibet.

℞. Salis alcal. veget. gr. xv. ſolve in
Aqua ſimpl. vel decocti cort. unc. iv. adde
Syr. cort. aurant. unc. j. abſummat. per diem.

At doſis hæc nimia pro pueris videtur.

Cineres clavellatos *Roſenſtein præſcribit*:

℞. Ciner. clavellat. unc. ß. ſolve in
Aqua fontis libr. j. ſummantur per 4 dies

mane ex aquæ cyatho guttæ x—c. Pauci ob ſaporem ingratum aſſumment.

Haënius rationis medendi, volumine IX. capite 6. oſtracodermata ad ſcr. j. bis de die exhibita laudat. At ſcopo abſorbente magneſiam muriæ longe meliorem *Frank* putat.

Quidam ad acidum primarum viarum corrigendum ſaponem præſcribunt, ſed oleum extricatum ventriculum facile lædet.

℞. Saponis veneti gr. x.
Bilis taurinæ gr. j.
Pulv. rad. Aſari gr. v. fiant pillulæ viii.

An pillulas pueri facile aſſummunt?

3. Ad-

3. Adſtringentia, præſertim cortex peruvianus & glandes quercinæ toſtæ, præſcribere *Frank* amat.

℞. Pulv. cort. peruv. groſſi dr. j — jj. coque cum aqua ſ. q. per ½ horam, ſub fine adde Pulv. Caffe toſtæ dr. β. poſt lenem infuſionem colatura unc. x. exhibeatur cum ⅓ lactis parte & ſaccharo.

Eodem modo ex glandibus quercus toſtis decoctum parari poteſt; nec opus filtratione eſt, ſed per decantationem ſeparare ſufficit. His decoctis per multum tempus potatis,

4. Martialium parvas doſes *Fraak* exhibet:

℞. Limat. martis gr. j.
Sacch. alb. gr. xii. m. fiant pulveres ix. capiat infans 1. anni ter de die pulv. j.

℞. Flor. Sal. ammon- mart. gr. j.
Sacch. albi gr. xv. m. &c. ut prius.

Tinctura martis pomata, ſi pueri aſſumpſerunt ad guttas vi—xv bis in die exhiberi poteſt.

℞. Extract. mart. pomat. gr. x.
Aquæ commun. unc. iv.
Syr. cort. cinam. unc. j. Summat infans 1. anni quater, quinquies per diem dimid. cochlear. Aquas item ſpadanas bibere, ſi placuerit, pueri poſſunt. *Strak* in ſananda rachitide limaturam martis jungere cum rheo ita ſolebat, ut alvus ſemel, bisve in die reſponderet.

℞. Pulv. limat. martis.
— rhei aa. gr. v.
Sacchar. albi gr. x. m. capiat puer 15 &c.

Ubi remedium hoc in malo non multum provecto per menſem exhibitum fuiſſet, famem menſium mane & veſperi jejuno ventriculo talem pulverem; at ſi alvus nimis inde moveatur, ſemel de die aſſummat, donec figurari fœces incipiant. vidit auctam cum perfecta digeſtione, largum urinæ tenuis profluvium, intumeſcentiam faciei &c. evanidam, cutis colorem minus pallidum, ſenſim rubellum, carnes firmas, & intra 4 fere menſes ſanitatem perfectam. At *Frank* non niſi primis diebus

bus tantam rhei dosin exhibet, ut pituita aut vermes præsentes evacuentur, serius, & rhei, & limaturæ martis, quæ sane nimia est, dosin imminuit, sicque præscribit:

℞. Pulv. limat. martis gr. j.
Rhei electi gr. jj.
Sacchar. albi gr. x. m. fiat pulvis, detur talis bis in die. Si vero alvus non respondet, rhei gr. jjj, præscribit. Evacuandum si quid fuerit, ita præscribit:

℞. Pulv. rhei electi gr. jjj.
Magnes. muriæ
Sacchar. alb. aa. gr. x. m. &c.

5. *Armstrong* in Sammlung praktischer Abhandlungen für Aerzte, Band IV. Stück 1. balnea frigida laudat. Aqua frigida immergendo aut lavando ope spongiæ applicata prodesse potest munditiem conciliando &c. diuturna insessione debilitabit.

Ut specificum antirachiticum in Sammlung praktischer Abhandlungen, Band I. Stück 4. radix rubiæ tinctorum laudatur a *Levreto* & a *Casnier*. Rubiam tinctorum, a cujus usu sudorem rubrum vult observasse, ita *Levretus* præscripsit:

℞. Rad. rubiæ tinctor, dr. jj.
Cort. aurant. gr. x.
Semen. fænicul. gr. xv. conscisa contusa coque in aqua fontis libr. vi ad remanentiam libr. iv, quæ per inclinationem vasis separatæ dentur pro potu ordinario. Quanta pro infantibus decocti vix placituri quantitas! A rubia tinctorum per aliquot septimanas ingestas ossa rubra sues monstrarunt, unde quidem particulas tingentes illuc penetrantes hærere patet, at vis illius roborans nondum apparet. Magnam ab illa utilitatem *Frank* non habuit. Ipsis adeo nutricibus rubiam tinctorum quidam exhibent, an cum fructu *Frank* dubitat.

In terris venetis remedium in usu est attentione dignum, ex succo nempe cirrorum (Ranken) vitis viniferæ contusorum expresso extractum paratur, cujus

cujus dr. jj—unc. ß in unc. vi. aquæ ſolutæ cum ſaccharo intra diem exhibetur; adſtringens eſt, hincque irritans. Alii ſuccum osmundæ regalis, radicem filicis maris, ſcolopendrium, virtute excitante proficua, præſcribunt.

Auxilia quoque externa mechanica, quæ oſſibus incurvis ſitum debitum conciliarent, in uſum ſunt tracta a *Le Vache*, vide Richters chirurgiſche Bibliothek, Band II. St. 1. Thoraculum ſpinæ admovendnm propoſuit ad curvaturam illius corrigendam *Richterus*, *Frank* non favet, nam in hoc univerſi ſyſtematis malo aut nil efficiet, aut preſſione iniqua lædet.

JOANNIS PETRI FRANK

DE

CURANDIS HOMINUM MORBIS

EPITOME,

JUXTA EJUS PRAELECTIONES

IN CLINICO VINDOBONENSI HABITAS

A NONNULLIS SUORUM AUDITORUM CONTINUATA.

EDITIONEM CURAVIT ET PRAEFATUS EST

JOSEPHUS EYEREL, M. D.

LIBER SEXTUS

DE RETENTIONIBUS

SECTIO SECUNDA.

VIENNAE AUSTRIAE, 1805.

SUMTIBUS ALOYSII DOLL, BIBLIOPOLAE IN FORO S. STEPHANI.

Sauvagesio definitur: pallor cum asthenia habituali. At in aliis quoque morbis pallor & debilitas peccant.

Alii lanquorem & dyspnœam essentialia illius symptomata putant; quibus *Friedericus Hoffmannus* veneris desiderium addit in *dissertatione de Chloroscos indole & curatione* 1731.

Cullenio dyspepsia, vel rei non esculentæ desiderium, cutis pallor vel decoloratio, venæ minus plenæ, corporis tumor mollis, asthenia, cordis palpitatio, menstruorum retentio chloroseos characteres constituunt.

Symptomata juxta *Friedericum Hoffmannum* sunt: facies pallida, subflava, subviridis, labiorum pallor insolitus, oculorum subnitentia, palpebrarum livor, pedum frigus, intumescentia, animi torpor, insignis membrorum lassitudo, gravitas, ad motum inertia, appetitus dejectio cum nausea, vomitu; somnus turbulentus, dyspnœa, sub motu præsertim sub ascensu scalarum cordis tremor & palpitatio, sæpe cardialgia cum capitis dolore & animi deliquio intercurrentibus, urina plerumque aquea.

Frank sic describit: colorem faciei pallidum, virescentem, lividum; faciem tumidulam; palpebras post somnum vel maxime turgidas; oculos albissimos circulo sublivido cinctos; habitum tumidulum, leuco-phlegmaticum, pastaceum; œdema pedum, saltem ad malleolos; arteriarum temporalium vibrationem validam; cordis palpitationem sæpe tantam, ut ab adstantibus advertatur & aneurismatis suspicionem moveat; pulsum modo lentum, modo frequentem, celerem, debilem, febrilem; animi corporisque lanquorem, pandiculationem, oscitationem, suspiria, segnitiem; solitudinis & quietis amorem, morositatem; incubum, seu ephialten (animalis pectori sub somno insidentis sensum) circa quem sub evigilatione deliria interdum continuant; appetitum prostratum, ciborum solitorum aversionem; picam, appetitum nempe in res absurdas, in acetum, cretam, olera cru-

da

da &c. malaciam (appetitum in res nocivas, corrium, calcem, gypsum,) somnum protractum, profundum; echymoses cutaneas levi a contusione; clandestinum veneris desiderium; sub malo adulto lypothimiam in templo, dum genibus insistunt; hoc micraniam diram, clavum hystericum dictum; vertiginem, aurium tinnitum, acidum primarum viarum, unde ructus, borborygmi, cardialgia; menstrua suppressa cum dolore tensivo ad lumbos, inquina, os sacrum; interdum excedentia; interdum fluorem album; sæpe pertinacem alvi obstructionem; hincinde ulcuscula in cute crustosa, præsertim ad faciem, velut herpetica, non alia ratione sananda, quam qua sanatur ipsa chlorosis.

At plura horum symptomatum abesse possunt, quin desit chlorosis, nec ullum specificum est. Ipsum veneris desiderium in quibusdam abest; & quid mirum, virgines viduasque juvenes veneris desiderio tangi? Quid mirum, si ex amore infelici multa debilitatis phænomena compareant?

Nec menstrua ubique subsistit evacuatio; mensium in chlorosi excedentium exempla vide in *Ephemeridum naturæ curiosorum* anni IX. decade 2. quid quod mensium vitia ad chlorosis ideam non requirantur, cum puellæ 12, 13 annorum, nunquam menstruatæ, quævis chloroseos symptomata exhibeant; menstruis vero suppressis, utpote quæ nondum fluxerunt, laborare dici nequeunt.

Causæ, quæ in allata mali descriptione fere patent, in id omnes conspirant, ut stimulos ad sanitatem requisitos subtrahendo debilitent. Sunt vero

1. Vita sedentaria, inertia corporis continua.

2. Victus pravus, difficilis digestionis, vires digestrices superans; aut nimis parcus, ideoque non satis nutriens.

3. Animi pathemata deprimentia, amor potissimum infelix, delusus.

4. Educatio puellarum delicatula, perversa, tum physica, tum moralis.

Hue literarum artiumque tractatio, lectitatio fabularum romanensium &c. quibus amor præmaturus, cupidinesque accenduntur, non ubique satiandæ. Major his sensim inducitur sensibilitas, proclivitas in iras, rixas atque in quæcunque animi pathemata.

5. Evacuationes sanguineæ aliæque per venæ sectionem male administratam, per hœmorrhagiam uteri inter abortum, partum, per onaniam, fluorem album protractum, per emetica, purgantia &c.

6. Matrimonium in ætate nimis tenera initum; debilitatur enim corpus nimis juvenile per coitum iteratum, graviditatis incommoda, partus labores, lactationis molestias, somni turbationem &c.

7. Febres graves exantlatæ, debilitatem relinquentes. Convalescentia ex morbo gravi chloroseos sane speciem vel in viris sistit, ut & hinc pateat, chlorosin morbum esse solis fæminis nequaquam proprium.

8. Multi mensium suppressionem chloroseos caussam accusant. At contrarium *Frank* tuetur, aut & chlorosin & mensium suppressionem a communi quadam causa debilitante repetendam existimat.

An in quavis chlorosi debilitas peccat? An peccare potest plethora cum virium abundantia? Raro puellæ laborant rusticæ robustæ; laborant tamen interdum, quemadmodum & hydrops plethoricus hinc inde occurrit. Rarior tamen hic casus est, nec quævis vasorum repletio pro vera mox plethora declaranda, cum a debilitate vasorum pendere quoque possit plenitudo illorum.

An fors ideo plethora sæpius accusatur, quia malum a roborantibus, imprudenter adhibitis, exasperatur. Meminit *Frank* quarundam puellarum rusticarum ad speciem robustarum, quæ cum a stimulantibus male haberent, venam ipsis secuit cum levamine, sed post 2, 3 dies evanido, quia debilitas aucta est; rediit ad stimulantia, quæ, utpote potentiora, pejus adhuc cesserunt. Atque sic inter-

dum intra 3, 4 menſes ægre curam abſolvebat, quam nunc intra totidem ſeptimanas abſolvit.

Prognoſis: Chloroſis initians, auferi ſi cauſa poſſit, facile ſanatur. At ubi auferi cauſa nequit, ſpes ſanationis fere nulla.

Inveterata atque neglecta in hydropem, ſcorbutum cum hœmorrhagia narium &c. tranſit, ut ipſe vidi. Quamdiu febris lenta & vitium organicum, ſcirrhus uteri &c, non adeſt, prognoſis non adeo mala eſt.

Orta ex amore infelici ſæpe furorem uterinum, maniæ ſpeciem, poſt ſe trahit, nec ipſa venere conceſſa ſemper ſanandum.

Diutius durans varia ſecretionum vitia, labesque organicas inducit, potiſſimum tamen ſyſtematis lymphatici atque uterini, quæ effectum mali ſiſtunt, ut interdum fluor albus ſiſtit.

In cœnobiis, quemadmodum ob vitam deſidem, negatum aëris liberioris, veneris uſum &c. chloroſis frequentior, ita & difficilioris ſanationis eſt.

Cura cauſarum inveſtigationem & ablationem petit, quæ ſi obtineri nequeant, earum ſaltem imminutionem.

In debilitate indirecta, unde raro chloroſis naſcitur, mox ab initio potentiora requiruntur remedia. A debilitate directa, ſi nata fuerit, ſtimulus admovendus eſt mitior, debilitatis gradui adaptatus.

Ita, ſi ex nimia quiete originem traxerit, motus inſtituendus eſt, cui ferendo vires ſufficiunt. Hinc, ſi debilitas inſignis jam fuerit, motus ne ſuſcipiatur validus atque protractus, ſed fiat inſtitutis ope pannorum aromatico fumo imbutorum frictionibus, in navi vel rheda ſub aëre calido atque ſicciori; tentetur agitatio in ſella ſuſpenſa, aut equitatio, quæ egregie ſæpe conducit, fluxumque menſtruum ſat cito reſtituit.

Magna ſi ſenſibilitas fuerit, interne incipiendum eſt cum elixirio acido Halleri omni trihorio

rio ad guttas xii—xx &c. ex aqua frigida cum ſyrupo rubi idæi &c. exhibendo. Poſt aliquot dies, ubi elixirii hujus doſes majores bene feruntur, ad amaricantia, martialia, quæ exhiberi in pillulis ita poſſunt, ut illorum gr. vi &c. intra diem ingerantur. Illorum vero loco *Frank* martem in ſubſtantia ad gr. jjj—iv cum totidem granis corticis cinamomi, aut eleoſacchari cujusdam portione ter, quater de die exhibet. Interdum cum fructu ſcr. j—dr. β—ſcr. jj pro doſi ſenſim ingeſſit. Sub uſu martialium alvus fere redditur tardior, fœces vero ubique nigreſcunt; de quo monendæ ſunt ægrotantes, ne terreantur. Denique ad corticis decoctum devenitur. Quodſi vero ab hoc vel priori curam inceperis, pectoris ac ventriculi oppreſſio naſcitur, cordis palpitatio intenditur; ſomnus turbatur, alvus ſupprimitur, obſtructiones vix ſolubiles oriuntur.

Nec tamen allata juvabunt, niſi conveniens vivendi ratio acceſſerit, motus viribus attemperatus, victus eupeptus, animalis, ova ſorbilia, juſcula cum ovis, vinum rubrum generoſum parca quantitate ab aſſuetis aſſumendum. Exulet potus theatus &c. diæta mere vegetabilis; vegetabilia enim parca copia aſſumta non ſatis nutriunt, majori vero ingeſta difficulter ſubiguntur, unde flatus &c.

Cave, ne quævis nauſea &c. ex ſola ſæpe debilitate oriunda te ſeducat ad purgantia adhibenda, quia citra neceſſitatem exhibita debilitatem augent. Pituita vero tenax in chloroſi aut omnino non ſtagnat, aut effectu ob vaſorum debilitatem ſtagnat.

Attamen, ſi chloroſis cum ſaburris complicata fuerit, ſi poſt ingeſtibilia aſſumta, aut poſt ingurgitationem nimiam ructus putridi, nidoroſi cum vomituritione &c. urgeant, evacuantia utique erunt exhibenda, ſaburris enim ejectis chloroſeos curatio tum citius, tum facilius ſuccedet.

Eme-

Emenagogorum mentio facta non eſt, quia vix requiruntur, menſium enim obſtructio debilitatis effectus eſt, hinc viribus reſtitutis menſes ſua ſponte reſpondebunt.

Si tamen ſub alvi obſtructione amara indicantur, his iisdem Aloe addi poteſt, quæ ſimul amara, ſimulque purgans eſt:

℞. Extr. trifolii febrini dr. jj.
— martis pomati dr. j.
Aloes ſuccotrinæ ſcr. j — dr. β.
Pulv. Cinamomi vel
— Cort. aurant. q. ſ. ut fiant pillul. gr. jjj.
Signentur bis, ter de die nro. vi, viii.

Hic item locus eſt gummi ferulaceis, quibus ad menſes pellendos plurimum quidam confidunt, ipſique aſſæ fœtidæ, ubi ſymptomata hiſterica adfuerint, ſenſibilitas vero excedens non peccaverit.

Balnea item calida, tum ſimplicia tum thermalia, ſemicupiaque aromatica conferunt, quæ magis fere in menſtrua agunt, quam remedia interna; frictiones quoque crurum, quæ tum roborando proſunt, tum ſanguinem ad inferiora magis determinando, equitatio.

Si amor infelix cauſa fuerit, huic ipſi ſatisfaciendum, ſatisfieri ſi queat. In hanc rem *Hippocrates:* virginibus autem, quibus tale quid accidit (vitæ tædium) ſuadeo, ut viris cito jungantur; ſi enim conceperint ſemen, ſanæ evadent, ſi non fiat, ægrotabunt &c.

O R.

ORDO V.

RETENTIONES PEREGRINORUM.

Genus I. Vermes.

Nullum animal, nullum illius viſcus exiſtit, in quo non aliquando inſectorum larvæ, verique vermes ſint inventi. Sic oeſtrus *Linnæi* in ſinu frontali, gordius *Linnæi* ſub ipſa hominis epidermide eſt viſus. Potiſſimam tamen ſedem in primis viis vermes figunt, atque plures, quam olim putabantur, vermium ſpecies in inteſtinis humanis nidulari noſtris quidem temporibus conſtitit.

Scripta circa vermes ſunt: *Redi diſſertatio*, per *Petrum Coſta* in latinum verſa, *de animalibus vivis, quæ in corporibus vivis reperiuntur.* — *Van Düren diſſert. de vermibus.* — *Pallas diſſertatio de infeſtis viventibus intra viventia*, Lugduni Batavorum 1760; habetur etiam in *Sandifort theſauro diſſertationum* volumine I. — Bloch von der Erzeugung der Eingeweidewürmer, und den Mitteln dagegen, Berlin 1782. — Göze Verſuch einer Naturgeſchichte der Eingeweidewürmer thieriſcher Körper. — Johann Jördens Entomologie, und Helminthologie des menſchlichen Körpers. 2 Bände in 4. mit illuminirten Kupfern 1801 & 1802.

Ab inſectis plurimum vermes differunt, nam pedibus deſtituuntur, & antennis (quæ fila ſunt pluribus ex articulis compoſita) quarum loco tenaculis inſtructi ſunt. Ceterum ſimpliciſſimæ ſtructuræ animalia vermes videntur, corpore plurimum extenſili, contractilique donati; ſanguinem ru-

rubrum vix agnoſcunt, ſed humorem albeſcentem, mucilaginoſum vehunt, multi hermaphroditi ſunt, ſe ipſos impraegnantes, aut ab aliis impraegnandi, dum illos impraegnant; olim embryones vivos progignere putabantur, juxta *Jœrdens* vero non niſi ova progignunt; multi propagantur, dum transverſim dividuntur.

De vermium generatione plures viguerunt opiniones: *Hippocrates* atque *Ariſtoteles* putredine illos naſci autumabant. At nullum corpus organicum putredine exſurgit, vermes ſub putredine potiſſimum evolvi inde pendet, quod ſub illa largiſſimum pabulum inveniant.

Vallisnerius atque *Linnæus* vermes ab ingeſtis; tænias ab eſu piſcium vel maxime repetierunt. At juxta *Redi* vermes nonniſi ab aliis ejusdem ſpeciei naſci poſſe videntur, nam certæ cuivis animali ſunt illorum ſpecies, nec in alio animali, nec in palude &c. inveniendæ; ſic tænia piſcibus quibusdam familiaris in homine non occurit. *Pallas* dein, & *Bloch* ovula inſectorum quibusdam animalibus ingeſta, quin evoluta eſſent, alvo evacuari viderunt, quod in habitaculum non ſuum delata eſſent. Denique *Brendel* profeſſor olim Gœttingenſis aliique tæniam in recens nato viderunt, quin vel lac maternum ſuxiſſet, ut adeo per lac maternum communicatam dicere nequeas, ſed ut communicati in ipſo utero ſœtui vermes dicantur. An communicari per ovula poſſunt, quæ cum globulis ſanguineis minora ſint, ea quidem reſorpta circulare non repugnat. Sed cum vix intelligatur, unde prima mater verminoſa vermes acceperit, niſi illorum ſeminium habuerit congenitum, congeniti dicendi vermes videntur, dicere licet nequeamus, qua lege ſint congeniti.

Dividuntur vermes homini familiares:

1. In inteſtinales, qui a figura in latos & teretes ſubdividuntur.

2. In viſcerales cerebri, pulmonis, hepatis, lienis &c. ſubcutaneos. *Frank* vero & inteſti-

na-

nales referendos ad viſcerales putat, ut adeo dividendi forent in viſcerales & non viſcerales, quales eſſent, qui ſub cute hærent.

Multo tempore duo tantum in homine vermes inteſtinales fuerunt cogniti, lumbricus teres, & tænia, quibus *Felix Platerus* aſcariden addidit. Tres has ſpecies accuratius deſcripſit *Klein in herpetologia ſua*, Leydæ 1755. — *Linnæus in diſſertatione de Spigelia anthelmia*, Upſaliæ 1759 edita ſpecies vermium inteſtinalium in corpore humano quatuor deſcripſit: aſcaridem, lumbricum teretem, tæniam, aſcaridem lumbricoidem.

Juxta recentiores genera vermium hominibus propriorum ſunt:

I. Aſcaris, runder Würm, cujus characteres ſunt: corpus elaſticum, filiforme, teres: os trinodum, extremum utrumque extenuatum, cauda vel obtuſa vel ſubulata.

a. Vermicularis, pollicaris, Aftermadenwurm, ore gaudet trinodo, cauda ſubulata, cute ad corporis latera ſubtiliſſime crenata. Vide *Phelſenii hiſtoriam phyſiologicam aſcaridum.*

Tenuis hic vermis eſt, albus, lævis, non ultra pollicem longus, ſaltatorius, ſexu gaudens diſtincto, juxta *Gœtze* viviparus, juxta *Jœrdens* oviparus. Pueris quam adultis frequentior eſt, atque in inteſtino recto habitat, pruritum inſignem, interdum hœmorrhoides, & fluorem mucoſum ex ano excitans; interdum ad genitalia fæminea tranſit, fluoremque album ibidem producit. Aliquando & in recto recens nati copioſus inventus eſt, viſus inter ventriculi membranas concluſus, & a *Gœtze* in ranæ pulmone.

b. Trichuris, tricocephalis, Haarſchwanz, ſupra ſubcrenatus eſt; ſubtus lævis, anterius ſubtiliſſime ſtriatus: vide *ſyſtematis hiſtoriæ naturalis Linnæi, editionis Gmelini* tom. I. partem 6.

Vermis hic a *Rœderer & Wagler de morbo mucoſo* 1760. *Gœttingæ obſervato* primum deſcriptus in inteſtino cœco fere nidulatur, & ſecundum *Wris-*

berg

berg de animalculis infuforiis inteſtinis craſſis non excedit. Interdum rectus, plerumque vero in ſpiram contortus, 7 lineis longus, $\frac{1}{3}$ lineæ partem craſſus, extremitas tenuior cauda olim putata juxta *Jœrdens* caput gerit.

Duæ recenſentur varietates, quarum altera ab aſcaride vermiculari parum differt, altera ſpiralis eſt, atque trichuris fæmina quibusdam habita, at recentiores trichuridem ſpiralem fœminam eſſe negant.

c. Lumbricois, menſchlicher Spulwurm, juxta *Linnæum* ſpithanea; cauda obtuſa, vel ſubincurva, ani rima transverſa aurantia inſtructa, craſſitie vermis hic calamum ſcriptorium æquat, canali ſuctorio ab ore trinodo ad anum usque extenſo gaudet; ovarium habet longiſſimum, quod inteſtinum refert; quibusdam viviparus, aliis vero probabilius oviparus habetur, in ſolis inteſtinis craſſis habitat. Vide Pallas nordiſche Beyträge, & *Andream Murray de aſcaride lumbricoide*, Gœttingæ 1779.

Aſcaris lumbricois, quæ jam *Hippocrati* nota fuiſſe videtur, cum aſcaride terreſtri haud eadem eſt; hæc enim certo vivipara eſt, unum modo os habet, atque rotundum, circulos 100, hamulorum ad ingrediendum 8. ſeries, mortuaque mollis manet, cum lumbricois ore gaudet trinodo, hamulos habet nullos, & mortuus rigeſcit.

d. Stephanoitoma, Kronenmaul; fronte gaudet bicorni, proboſcide acuminibus 12 obſeſſa, inciſuris corporis 14, cauda bifida. Vermem hunc a *Bretſchneider* Jenæ detectum, & a *Lenz* primum deſcriptum vide in Jördens Band II. tabula 7.

e. Conſoma, papillas in capite obtuſo habet duas, inciſuras corporis 10, caudam ſimplicem. Sieh Jördens Band II. tabula 7. fig. 19.

II. Tæniæ, Neſſel- Bandwurm, quæ veteribus ſub lumbrici lati nomine venit; character genericus eſt: corpus planum attenuatum, articulatum, mobile; caput in apice 4 papillis ſuctoriis inſtructum, in quorum medio proboſcis habetur, pori

ar-

thologiam, Lipſiæ 1793 tabula 3 fig. 1. & 4. Scripſit hic idem quædam *de Erynchiorum natura*, Lipſiæ 1791.

b. Tænia muſcularis ſeu finna humana notatur capſula vaginali cartilaginea, veſicula caudata, apicibus obtuſis. Vide *Werneri vermium præſertim tæniæ humanæ brevem expoſitionem*, Lipſiæ 1782 atque ejusdem continuationem.

c. Tænia pyriformis, capite globoſo, proboſcide obtuſa, papillis rubentibus 4 multum prominentibus; ſerie hamulorum duplici, collo tenui, veſica in cauda pyriformi inſtructa.

d. Tænia punctata inſtructa eſt velamento externo capſulari, capite ſeſſili, papilla ſuctoria una, 6 hamulorum corona cincta, veſica in cauda rotunda.

e. Tænia polycephalus hominis, Vielkopf, corona uncorum ſimplici, oſtiis in capite ſuctoriis 4. capſulisque pyriformibus inſtructa. Sieh Zeders erſten Nachtrag zu Götzens Naturgeſchichte der Eingeweidewürmer, der Berliner-Geſellſchaft Naturforſchender Freunde Band I. optima vero illius delineatio apud *Gœtze & Jœrdens* habetur.

Polycephalus, quem *Leske* in ovium cerebro primus detexit, undeque *Gœtzius* hydropem cerebri puerorum oriri putabat, noſtris temporibus revera in cerebro humano demonſtratus eſt a *Mekelio & Fiſchero*, qui in plexu choroideo eum Lipſiæ conſpexit. Tæniæ hydatigenæ ad viſcerum ſuperficiem fere hærent, diverſæ figuræ, ac magnitudinis ſunt, aliæ ſimplici, aliæ duplici, quædam & cartilaginea veſicula ſunt donatæ. *Morgagnius epiſtola* III. num. 7. animatæ hydatidum naturæ detegendæ admodum vicinus fuit.

IV. Ligula, Blätterwurm ohne Gelenk.

a. Ligula vel faſciola hepatica, ovata, atque plana in ovium hepate vel & veſicula fellea frequens eſt.

b. Ligula hexagyridium cellularis in cellulari obeſorum reperta, labio diſtincta retracti-

tractili, capite in ſine oſtiis 6 perforato, cauda curvata, ventre an bicorni? an ſubcorneo? Vide *Treutleri auctuarium*, *&* *Jœrdens* tab. 6.

c. Ligula hexagyridium venarum, in venis reperta, capite gaudet labiato, infra poris 6 obſito; collo indiſtincto, dorſi areola ex albo cœrulea, poris in ventre duobus diſſitis, nullo in margine, cauda recta, corpore elongato, depreſſo, lanceolato. Vide *Treutleri* tab. 4. fig. 1 & 3.

V. Hamularia lymphatica, ad aſcarides nequaquam referenda, corpore gaudet lineari, tetetiuſculo, capite obtuſo, infra 2 hamulis prominentibus inſtructo. Vide *Treutleri auctuarium.*

VI. Gordius corpus habet filiforme, æquale, læve.

a. Gordius aquaticus, Fadenwurm, juxta *Pallas* filiformis eſt, tenuiſſimus, æqualis, pallidus cum labio ſubrotundo &c. extremitatibus nigris, cauda uncinula terminata.

b. Gordius ſeu faſciola inteſtinalis velut gelatinoſa, corpore filiformi, æquali, læviſſimo, ore concavo, ventre duplici gaudet, cauda uncinata terminata, alterum illius extremum acutum, alterum obtuſum eſt, quo firmiſſime adhæret; a tæniis differt, quod articulis careat. Faſciola inteſtinalis in gallina reperta delineata per *Gœtzium* habetur, reperta quoque in piſce cyprio; ob copioſum piſcium eſum in Batavia &c. frequentior quam alibi occurrit, quod eo minus mirandum, cum nec aquæ bullientis actione enecetur.

c. Gordius dracunculus ſeu vena medinenſis filiformis, 6—7 ulnarum longa, regionibus calidis præcipue familiaris eſt. Vermis hic & in homine, & in aliis animalibus occurrit, at inquilinus ipſis non eſt, ſed ſtagna inhabitans, in cellularem eorum ſe inſinuat, qui ſtagnis immorantur; hinc & piſcibus ſtagnorum familiaris diu ſæpe ſui indicium non præbet, donec exitum molliatur, ubi tuberculum pruriens, dolens apparet. Si pars egreſſi vermis abrumpitur, inflammatio artus, illius jactu-

thologiam, Lipſiæ 1793 tabula 3 fig. 1. & 4. Scripſit hic idem quædam *de Erynchiorum natura*, Lipſiæ 1791.

b. Tænia muſcularis ſeu finna humana notatur capſula vaginali cartilaginea, veſicula caudata, apicibus obtuſis. Vide *Werneri vermium præſertim tæniæ humanæ brevem expoſitionem*, Lipſiæ 1782 atque ejusdem continuationem.

c. Tænia pyriformis, capite globoſo, proboſcide obtuſa, papillis rubentibus 4 multum prominentibus; ſerie hamulorum duplici, collo tenui, veſica in cauda pyriformi inſtructa.

d. Tænia punctata inſtructa eſt velamento externo capſulari, capite ſeſſili, papilla ſuctoria una, 6 hamulorum corona cincta, veſica in cauda rotunda.

e. Tænia polycephalus hominis, Vielkopf, corona uncorum ſimplici, oſtiis in capite ſuctoriis 4. capſulisque pyriformibus inſtructa. Sieh Zeders erſten Nachtrag zu Götzens Naturgeſchichte der Eingeweidewürmer, der Berliner-Geſellſchaft Naturforſchender Freunde Band I. optima vero illius delineatio apud *Gœtze & Jœrdens* habetur.

Polycephalus, quem *Leske* in ovium cerebro primus detexit, undeque *Gœtzius* hydropem cerebri puerorum oriri putabat, noſtris temporibus revera in cerebro humano demonſtratus eſt a *Mekelio & Fiſchero*, qui in plexu choroideo eum Lipſiæ conſpexit. Tæniæ hydatigenæ ad viſcerum ſuperficiem fere hærent, diverſæ figuræ, ac magnitudinis ſunt, aliæ ſimplici, aliæ duplici, quædam & cartilaginea veſicula ſunt donatæ. *Morgagnius epiſtola* III. num. 7. animatæ hydatidum naturæ detegendæ admodum vicinus fuit.

IV. Ligula, Blätterwurm ohne Gelenk.

a. Ligula vel faſciola hepatica, ovata, atque plana in ovium hepate vel & veſicula fellea frequens eſt.

b. Ligula hexagyridium cellularis in cellulari obeſorum reperta, labio diſtincta retracti-

tractili, capite in fine oſtiis 6 perforato, cauda curvata, ventre an bicorni? an ſubcorneo? Vide *Treutleri auctuarium*, & *Jœrdens* tab. 6.

c. Ligula hexagyridium venarum, in venis reperta, capite gaudet labiato, infra poris 6 obſito; collo indiſtincto, dorſi areola ex albo cœrulea, poris in ventre duobus diſſitis, nullo in margine, cauda recta, corpore elongato, depreſſo, lanceolato. Vide *Treutleri* tab. 4. fig. 1 & 3.

V. Hamularia lymphatica, ad aſcarides nequaquam referenda, corpore gaudet lineari, teretiuſculo, capite obtuſo, infra 2 hamulis prominentibus inſtructo. Vide *Treutleri auctuarium.*

VI. Gordius corpus habet filiforme, æquale, læve.

a. Gordius aquaticus, Fadenwurm, juxta *Pallas* filiformis eſt, tenuiſſimus, æqualis, pallidus cum labio ſubrotundo &c. extremitatibus nigris, cauda uncinula terminata.

b. Gordius ſeu faſciola inteſtinalis velut gelatinoſa, corpore filiformi, æquali, læviſſimo, ore concavo, ventre duplici gaudet, cauda uncinata terminata, alterum illius extremum acutum, alterum obtuſum eſt, quo firmiſſime adhæret; a tæniis differt, quod articulis careat. Faſciola inteſtinalis in gallina reperta delineata per *Gœtzium* habetur, reperta quoque in piſce cyprio; ob copioſum piſcium eium in Batavia &c. frequentior quam alibi occurrit, quod eo minus mirandum, cum nec aquæ bullientis actione enecetur.

c. Gordius dracunculus ſeu vena medinenſis filiformis, 6—7 ulnarum longa, regionibus calidis præcipue familiaris eſt. Vermis hic & in homine, & in aliis animalibus occurrit, at inquilinus ipſis non eſt, ſed ſtagna inhabitans, in cellularem eorum ſe inſinuat, qui ſtagnis immorantur; hinc & piſcibus ſtagnorum familiaris diu ſæpe ſui indicium non præbet, donec exitum molliatur, ubi tuberculum pruriens, dolens apparet. Si pars egreſſi vermis abrumpitur, inflammatio artus, illius jactu-

jactura, aut etiam mors succedit. Vide *transactionum philosophicarum* num. 225 & Niebuhr-Beschreibung von Arabien.

Vermium praesertim taeniae in homine proventus ex esu piscium quibusdam derivatur, indeque in Batavia, Russia &c. frequentior dicitur. At huic opinioni *Frank* non consentit; nam in Insubria circa lacum majorem &c. ubi pisces sat multi commeduntur, taenia frequens non est, nec est in Dania, aut apud illos monachos, qui piscibus multum utuntur; Judaei vermibus rarius laborare quibusdam dicuntur. Ast *Haselquist* in seiner Reisebeschreibung von Palestina, Band II. contrarium habet.

Ovula vermium extrinsecus in corpus venire *Pallas* putat, quia in locis populosis, ubi major spurcities, frequentior vermium proventus est, & epidemiae verminosae interdum occurrunt. At contrarius est *Gaetze*; & experientia, & ex allatis tantum sequitur, majorem vermium proventum esse a spurcitie, & in morbis a debilitate. Dantur sane epidemiae verminosae, qualem *van Daeveren* descripsit, & *Frank* Rastadii 1769 vidit, ubi faemina quaedam 80 ascarides in glomerem convolutos summo nisu una vice excrevit. At similia, & extra corpus humanum contingunt, certis enim annis certa quaedam insecta et plantae parasiticae prae aliis multa occurrunt ex atmosphaerae &c. constitutione, licet rationem reddere ignoremus.

Verius videtur *Hippocratis* effatum, qui vermes congenitos esse statuit; comprobatur observatione *Brendelii* aliorumque, qui vermes in recens natorum intestinis conspexerunt.

Oscula taeniarum lateralia ad ovaria ducunt, hinc dimittendis ovulis inserviunt, ex quibus periodice & cum impetu secedunt, atque *Rosenstein* primus expressit. Suctioni haec oscula destinata non esse docet illa taeniae species, quae osculis lateralibus destituta est. Adeoque solo ore taeniae sugere doloresque colicos &c. producere censendae

sunt.

ſunt, quo tam firmiter ſæpe adhærent, ſepariri ut nequeant.

Symptomata vermium, niſi illorum excretione comprobentur, ſingula incerta ſunt; poſſunt enim deficere, ubi vermes adſunt, ſed adeſſe quoque poſſunt ex ſaburra &c. ubi vermes deficiunt; vide *Armſtrong* in Sammlung praktiſcher Abhandlungen für Aerzte, Band II. Stück 1.

Sunt vero 1. primaria, quæ ad locum, ubi vermes hærent (ad ventriculum & inteſtina) ſe produnt, & quidem inteſtinorum a morſu & reptatu vermium oriundus tumor, ſpasmus, inflammatio, perforatio & ſecretio pathologica, atque ex hac explicatur muci in inteſtinis verminoſorum copioſi præſentia, vel per anum evacuatio, quem nidum vermium quidam dicunt, atque vermium cauſam habent. Verum quidem eſt, vermes hoc muco defendi, ut difficilius expellantur, at vermium cauſam non ſiſtit, ſed effectum; nam ſi quis non aſſuetus tabacum naribus attrahat, ex irritatione inſolita auctam experietur muci narium ſecretionem, ut frequentiori illorum emunctione opus ſit.

Inteſtinorum per vermes in vita perforationem addubitat *Morgagnius*, putatque vermes, qui in abdominis cavo ſunt reperti, illuc penetraſſe per inteſtina gangræna aperta, aut alia ratione læſa; aut etiam perforatione poſt mortem facta.

At homine, in quo habitant, mortuo vermes fere rigent, hinc non facile inteſtina perforabunt. Nec ubique, ubi vermes in abdominis cavo ſunt reperti, inteſtinorum gangræna adfuit. Sic *Heiſter in actorum naturæ curioſorum* vol. I. obſerv. 172. inteſtinis pluribus in locis perforatis vermes in abdominis cavo vidit, unum vero adhuc vivum in quodam inteſtini foramine hærentem. *Stœrk anno medico II.* pag. 208. inter ipſas inteſtinorum tunicas hærentes vermes vidit. Ceterum vide *Tractatus Haëniani de vermibus* pag. 46. — *van Doeveren* — *Parſon de morbis ex vermibus in primis viis Frank epitome L. VI.*

nidulantibus oriundis, Lugd. Bat. 1777. — *Harke* Lipsiæ 1780.

Abdominis tumor, durities esse potest, tum a copia vermium, tum glutinis, tum etiam aëris per irritationem secretorum; ab aëre hoc flatulentia, tumoresque subitanei, dum spasmo accedente alicubi concluditur.

A vermibus multis aut in glomeres convolutis omne intestinorum cavum elidi potest, unde vomitus, alvus clausa. Interdum signa saburralia tum ex secretione aucta, tum ex digestione vitiata, tum etiam ex vermium mortuorum putrida corruptela; vide *Andry de generatione vermium*.

Interdum a sola irritatione diarrhœa cum paucis guttis sanguinis, qui læsionem intestinorum suctione inductam docet. A vermibus multis fames aucta cum macie, quia magna chyli portio absumitur. Interdum sub comestione reptatus vermium ab inferioribus ad superiora percipitur.

Tormina frequentia jejunis fere majora, quin his &c. lypothimia. Interdum cardialgia dira, singultus. Hunc post dira tormina, atrocemque cardialgiam in dysenteria fæminæ adultæ per 3 dies *Frank* observavit, metuitque gangrænam. At ubi ascarides 3 lumbricoides secessissent, mox siluit singultus, & sat cito fæmina convaluit.

Interdum animadvertentibus ægris per œsophagum adscendentes nauseam, vomituritionem excitant, deglutitionem impediunt, donec ore aut naribus egrediantur. Fit hoc sub fine morborum longorum, gravium, ex defectu nutrimenti, utique malum signum est, quia summam debilitatem & inanitionem prodit.

Ex ascaride vermiculari tenesmus, symptomata hœmorrhoidalia, fluor albus ex ano. Ex ascaride lumbricoide circa umbilicum potissimum urgent symptomata; si vero in ductum choledochum penetraverit, tormina insignia, convulsiones enormes, hydrophobiæ quædam species.

Tæ-

Taenia praeſente ſequentia juxta *Andry* comparent:

a) Dolor verſus hepar; a tænia per ductum choledochum ad hepar accedente, ut jam voluit *Hippocrates*? Probilitas huic opinioni accedit, quod caſibus licet rarioribus faſciola, & aſcaris lumbricois in hepate, & a *Mauchardo* aſcaris in ductu choledocho ſint viſi.

b) Salivatio, ſputatio, quæ tamen, & ab aſcaride lumbricoide obſervatur.

c) Vocis interceptio, quæ item contingere ab aſcaride lumbricoide poteſt.

d) Dolor dorſi, ſenſus globi in abdomine ſe volventis, aut ponderis in uno latere hærentis ſub converſione corporis ſequentis, motusve vibrantis.

e) Periodica ſæpe incommodorum reverſio, jejuno præſertim ventriculo aut ad certos quosdam cibos ingeſtos, qui ut videtur, ipſi ſunt ingrati. Placatur lacte ingeſto. An etiam circa plenilunium & autumnum, ut vult *Hippocrates*.

f) Fœtor narium inſignis, ſed ſolo ægroto percipiendus, quem in ſartore quodam *Frank* obſervavit.

g) Macies, ſed in toroſis quoque viſa eſt tænia a *Frank*.

h) Seceſſus articulorum tæniæ cum fœcibus, qui ſignum longe certiſſimum præbet.

Roſenſtein habet tænia laborantes, qui a concentu muſico male habuerunt; *Wagler* quemdam adeo anxium refert redditum, ut ipſi vel fugiendum, vel orandum eſſet; Ticini *Frank* ruſticum vidit, qui tæniæ articulos ano interdum reddens templum adire vix potuit, quia organi ſonos præſertim profundos audire non valebat, quin contremiſceret.

Præterea & illa, quæ præſentibus aliis vermibus comparent, adeſſe cum tænia poſſunt, oſcitatio, anxietas, ſuffocatio, preſſionis in abdomine ſenſus, borborygmi, tormina, nauſea, vomitus, ſingultus, deliria, lachrimatio, convulſiones, pul-

ſus inordinatus, intermittens, dolores artuum velut arthritici, atque alia mox deſcribenda.

2. Secundaria, quæ in locis diſſitis obſervantur, atque admodum variant.

Horrores, frigus nervoſæ indolis ex irritatione oriundum. Circulus oculorum ſublividus. Fœtor oris ſingularis, ptyalismus ſub ſomno atque tempore matutino.

An columna naſi intermedia tumeat? ut vult *Bruno*, *Frank* ignorat, fors prætervidit. Cæcitas cum pupilla dilatata & immobili, (amauroſis) vide *Samuelis Vogel* Tomum I. quæ emendata eſt vermibus expulſis; cæcitatem licet breviorem in puero Gœttingenſi & *Frank* conſpexit.

Aphonia, quam *Tode in collectaneorum ſocietatis Hafnienſis* Vol. I. in puella 4 annorum febricitante habet, & *Andry* junctam vidit cum riſu ſardonio & convulſionibus per menſes durantibus, quæ ſingula diſparuerunt aſcaride lumbricoide abacto.

Sæpe tuſſis ſicca, ferina; talis tuſſis puerorum anno 1799. epidemica ſanata habetur per emetica & anthelmintica. Tuſſis hæc ut a quavis primarum viarum irritatione ita & a vermibus oriri poteſt, quemadmodum quidam *Albini* vol. II. cap. 8. caſus docet: colon militis vulneratum cum oſtio vulneris concrevit, anumque artificialem effecit; quoties jam membrana illius intima protuberans perfrigerata eſſet, orta eſt tuſſis ſicca valida, non ceſſatura, donec inteſtinum calore iterum refocillatum eſſet.

Incommoda varia nervoſa, memoria læſa, deliria quaſi maniaca, pavorem exprimentia. Puellam 17 annorum *Frank* vidit, quæ vel ab ipſis parentibus ſibi metuens in ſolis nutricis amplexibus acquievit, quæque ſapere incepit, ubi ſemine ſantonici, radice jalappæ & ſale amaro vermes excreviſſet.

Porro pavores, ſub ſomno clamores, riſus ſardonius, ſtridor dentium, chorea viti, epilepſia. Riſum ſardonium cum deliriis & clamoribus vali-

dis

dis, ſingultu, ventre tumidiſſimo tribus ante mortem diebus Ticini *Frank* vidit in homine ex febre aſthenica decumbente; ſanum poſt mortem diaphragma comparuit, inflammatum quod putabatur, ſed ſaburrarum & vermium ingens copia detecta; an ſaburralis hic morbus non fuit?

Dolores artuum velut arthritici magni, ſubito aliorſum migrantes. *Haënius* dolores lateris graviſſimos, velut pleuriticos a vermibus excitatos habet. Aſcaris lumbricois per œſophagum adſcendens caſu in rimam glottidis illapſa ſuffocationem induxit; vide Göttingiſche gelehrte Anzeigen von 1771.

Notandum, vermium ſub morbo quodam ſeceſſum non mox docere, eum a vermibus eſſe, nam excernuntur interdum, ubi ſignum nunquam ediderunt, ſæpeque non inveniuntur, ubi vermium ſigna videbantur prægreſſa. Sic puerum 14 annorum peripneumonia laborantem, vomentem, vermes reddentem, iteratá *Frank* venæ ſectione reſtituit. In fæmina, quam medicus quidam 20 morbi die cum vomitu &c. tractandam ſuſcepit, quamque, tum quod ſoror, tum ipſa vermes ſæpius reddidiſſet, verminoſam habuit, echymoſin ventriculi poſt mortem exhibuit, vermem nullam.

Hydrops ventriculorum cerebri puerorum pro vermibus facile imponit, multique morbi a vermibus falſo ſæpe derivantur: exemplum verminoſi non a vermibus epileptici exhibet *Siegwart* 1764. At nimius ſane auctor fuit, vide Sammlung praktiſcher Abhandlungen für Aerzte, Band VIII. Stück 2. qui vermifuga in morbis acutis omnino reprobavit propterea, quod innocentes vermes eſſent.

Cauſa proxima eſt ſemen vermium diſtinctum, nam generatio veterum æquivoca eſt abſurda; vide *Jægeri diſſertationem de pathologia animata*, Gœttingæ 1775.

Cauſae remotae ſunt:

Diſpoſitio haereditaria, dantur enim familiæ vermibus præ aliis ſubjectæ, *Pallas* in

neuen

neuen nordischen Beyträgen, Band I. tæniam quibusdam familiis quasi endemicam vidit. *Gœtze* quibusdam Brunsvigii familiis ascaridem lumbricoidem familiarem cognovit.

Labes quaedam urbium regionumque vermibus favens. Sic frequens Gœttingæ est ascaris lumbricois, atque trichuris, rarus admodum vermicularis, rarissima tænia, nisi forte in peregrinis juxta *Blumenbach* & *Frank*. In Helvetia frequentior tænia lata quam alia, in Suecia membranacea, Viennæ cucurbitina; ut adeo certæ locorum qualitates esse videantur, sub quibus facilius vermes evolvuntur, atque excrescunt.

Aetas infantilis, debilitas tum totius corporis, tum digestionis viscerum, ut adeo quidquid alterutrum debilitat, vermium causa esse possit. Huc vita sedentaria pertinet, morbi intestinorum prægressi, victus crudus, difficilis subactionis, diu continuatus; causæ debilitantes plures simul agentes in aëris &c. constitutione quærendæ, unde epidemiæ verminosæ. Raro quidem in lactantibus vermes observantur, nec tamen desunt exempla. *De Lille* in filia 10 septimanarum vermium nidos vidit, licet solo lacte materno nutriretur; viderunt *van Doveren* — *Bloch* von den Eingeweidwürmern, atque *Brendel* in ipso adeo fœtu septimestri. Honesta matrona nobilis filium bimestrem lactans vermes ab eo secedere sæpius se vidisse testata est *Swietenio commentariorum* Tomo IV.

Prognosis: circa quam præter damna jam allata notanda veniunt sequentia. Morbos acutos, variolas &c. in infantibus præsertim, vermes mirum quantum sæpe exasperant. Juxta *Hippocratem* utile est vermes sub morbis acutis excerni, interdum tamen cum illorum secessu mors contingit. Et *de morbis* libro IV. cap. 15. habet: qui eum (vermem latum) habet, ei nil metuendum; si debilis, ægre reficitur &c.

In pueris mors lenta & acuta per convulsiones induci a vermibus potest. Fœces in pueris vermi-

minoſis nigræ mortem juxta *Zimmermannum* indicant. Aſcaris lumbricois facilius ejicitur, quam vermicularis, licet hic ad oſtium expulſionis tam vicinus habitet.

Tæniæ, præſertim membranacea, difficillime expelluntur.

In cura præcipuum eſt, ut diſpoſitio verminoſa auferatur, quæ cum in debilitate viſcerum digeſtioni inſervientium conſiſtat, hæc ipſa erit emendanda. Nam cum vermes probabiliter nobis ſint connati, eliminatio plenaria vix erit obtinenda, hinc id ſaltem conandum, ut illorum copia imminuatur, præpediatur. Certus item ciborum delectus erit inſtituendus ſola experientia addiſcendus, etenim obſervatum eſt, vermes quibusdam rebus delectari, ab aliis vero male affectos ſponte ſecedere, v. g. ab uſu halecum, carnis fumo induratæ, allii, ceparum, dauci &c.

Curandi ratio triplex ſtatuitur: 1. univerſalis, 2. ſpecifica, 3. palliativa.

Remedia contra vermes proficua anthelmintica dicuntur, aguntque

a) vermes enecando, atque tamquam ſaburras evacuando.

b) Ventriculum & inteſtina roborando.

Indicatio, quæ vermibus enecandis ſtudet, difficulter obtinetur, nam remedia vermes certo enecantia non habentur; juxta *Tortium therapeuticæ ſpecialis* libro V. cap. 6. vermes in ipſo mercurio vivunt, quem quidem fugiunt, ſed ob pondus & frigus; oleoſa ſat facile ferunt, nec amaris multum læduntur.

Peſſime afficiuntur a frigida, tum ſimplici, tum minerali, immobilesque redduntur, cum aliis igitur remediis frigida affatim haurienda. Tæniam membranaceam interpoſitis purgantibus, ſola frigida expulſam *Pallas* conſpexit. Nuper contra quosvis vermes laudatus eſt fructus caricæ papajæ *Linnæi*, cucumeris ſpecies in America frequens.

Ad

Ad expellendos vermes, utpote morbum fere localem, inserviunt:

a) Emetica, si ad superiora hæserint; vide *Rudolphum Vogel de usu emeticorum ad vermes eliminandos*, Gœttingæ 1765. Cave tamen, ne viribus exhaustis emetica exhibeas; *Frank* vix adhibet, tum quia debilitatem fere augent, tum quia certum signum vermium ad ventriculum hærentium deest. Eos tamen ad ventriculum hærere probabile redditur ex reptatione & oppressione ad ventriculum, eorumque per œsophagum secessu, atque in hoc casu emetica exhibenda *Frank* putat.

b) Purgantia jam ab *Hippocrate* adhibita motum peristalticum augendo expellere vermes atque ovula videntur, inferius si nidulentur. At purgantia requiruntur drastica, lenia enim contra vermes parum possunt, cum multa pituita contra illorum actionem defendantur. Vide *Heberdeni dissertationem in actorum medicorum Londinensium* volum. I.

In cura vermium, præsertim Ascaridis lumbricoidis apud infantes vel maxime, qui singula fere nauseant, multum exspectatum est a mercurii decocto ex unc. jj—jjj. illius parato. Decoctum hoc plurimum laudat *Ramazzini de morbis artificum* capite 2. — At *Burserius epistola de anthelmintica argenti vivi facultate*, Faventiæ 1753 vermes inde aut necari, aut expelli negat. Et sane a decocto hoc vix quidquam exspectandum videtur, cum mercurius a decoctione residuus idem pondus exhibeat. Vidit quidem *Frank* sub illius usu vermes secessisse, sed interdum & sponte secedunt.

Brendel de morbis exercituum mercurium dulcem, sed purgantibus additum laudat. Specifici habere nil videtur, nec parva dosi solus purgat, *Frank* sic præscribit.

℞. Pulv. rad. Jalap. dr. jß — jj.
Semin. cinnæ.
— tanaceti aa. dr. j.
Mercurii dulcis gr. xx.

Fiat

Fiat pulvis, capiat infans ter de die, quantum cultri cuſpide capi poteſt. Sæpe *Frank* profuit, quam *anno medico I. Stœrk* proponit, formula, licet minus concinna ob oxymellis copiam.

℞. Salis polychreſti.
Pulv. rad. Jalapp.
— — Valerianæ aa. dr. j.
Oxym. ſquillit. unc. iv.

Summat adultus ter de die unc. β jun. dr. j—jj. *Duncan* contra aſcaridem lumbricoidem ſic præſcripſit.

℞. Calomelas gr. j.
Conſervæ roſar. ſ. q.

Ut fiat bolus, ſummatur talis omni die ante ſomnum, porro:

℞. Tincturæ Jalapp. unc. j.
Syrup. ſimpl. unc. jj.

Capiat puer omni bi-trihorio unc. β donec catharſis ſequatur. At purgatio ſola tinctura jalappæ obtinebitur, nec opus mercurio videtur, quocum in multis morbis nimis largi ſunt Angli, quaſi melius, quam alia mucum incideret.

Semen ſantonici præſertim cum purgantibus unitum inter meliora contra aſcaridem lumbricoidem pertinet.

℞. Pulv. rad. Jalapp. dr. jj.
Semen ſanton. dr. jβ.

Fiat pulvis, capiat infans 2—4 annorum ſemel, bis de die cochlear. Pulvis hic cum pane biscocto ſaccharino junctus ingeri ea doſi poteſt, ut alvus bis, quater per diem reſpondeat.

Vitriolum martis, ut magnum anthelminticum a *Boerhaavio* laudatum, *Selle* ſic præſcripſit.

℞. Pulv. ſem. ſanton. unc. jj. Magna doſis eſt.
Extr. cort. peruv.
Vitriol. martis aa. dr. j.

Fiat pulvis, ſummat adultus ter de die ſcr. jj. — Pueris 10 circiter annorum melius *Frank* ſic præſcribit.

℞.

℞. Pulv. ſem. ſanton.
— rad. jalap. aa. gr. x.
Vitriol. martis gr. jj.

Miſce pro doſi, quæ cum melle quoque ſummi poteſt. Niſi alvus 5 — 6 vicibus reſponderit, dimidia adhuc doſis ingeratur.

Fæminam verminoſam morti proximam reſtitutam *Frank* novit dato ſpiritu vini, quem & *Roſenſtein* ſub paroxiſmo verminoſo utilem expertus eſt, licet lumbricoidem in ſpiritu vini per integrum diem vixiſſe viderit. Valent item quævis amara, abſynthium, trifolium fibrinum, gentiana, præſertim purgantibus ſimul exhibitis. Specificorum inſtar præter mercurium laudantur:

Aethiops mineralis ad gr. j — jjj. una cum aliis præſertim ab Italis laudatur, *Frank* parum ipſi confidit.

Muſcus corallinus melior ipſi videtur.

℞. Muſci coralli. unc. β, coque cum
Aqua com. unc. jjj.
Colat. expreſſa unc. jβ detur pro doſi.

Conferva helminthocorthi, nequaquam draſtica, quæ ad Corſicæ litora ſuper rupes creſcens deſcripta habetur in *Journal de medecine* 1779 & a *Schwandiman de conferve helminthocorthi viribus*. Argentorati 1780. *Frank* ſæpe profuit, vermes aut necando, aut expellendo.

℞. Conf. helminth. unc. β — j. coque cum
Aqua commun. ſ. q.
Colatur libr. j. detur.

Summatur omni bihorio vaſculum ſemis. Pro infante dr. jβ. — pro puero 10 annorum dr. jj — jjj. coqui poſſunt, vide *Saumaire* in Sammlung auserleſener Abhandlungen für praktiſche Aerzte, Band V. Stück 3.

Eodem modo præſcribi muſcus corallinus poteſt. Allium vel a vulgo ad dr. β — j. (zu 2 — 3 — 10 Zehen) cum lacte coqui ſolitum ſaccharo addito ſat facile aſſumitur, atque proficuum ſæpe repertum.

Fo-

Folia hellebori fœtidi recentia pro infante 3—7 annorum ad dr. j. plurimum laudat Biſſet Verſuch über die Konſtituzion von England. Alii ſuccum illius cum ſaccharo unitum ad cochlear caſſianum bis ter de die exhibent. Utrumque draſticum eſt, hypercatharſin facile movens, a *Frank* nunquam adhibitum.

Nucum juglandum extractum ad dr. jj.—unc. β in aqua cinamomi aquoſa ſolutum, & pueris 2—3 annorum ad guttas xx—xxx exhibitum, *Frank* intentatum, laudatur a *Fiſcher in tractatu de vermibus*, Halæ 1751, & *Abrahamo Meyer in cautelis circa anthelminticorum uſum*, Gœttingæ 1783.

Spigelia anthelmia juxta experimenta in America capta laudatur a *Murray in apparatus medicamentorum* Tomo I.

Spigeliæ marylandicæ radix cum remediis aliis item laudatur a *Murray* loco citato.

Lana fructus ſpizologiæ in electuarium cum melle redacta, & per 3 dies exhibita laudatur in Gesners Entdeckungen in der Arzneykunde, Band II.

Contra aſcarides vermiculares eadem ano ingeri poſſunt, quæ contra aſcaridem lumbricoidem ore aſſumuntur. Plebeji ſæpe fruſtum lardi crudi tanquam peſſarium ano iterato immittunt, quo multi vermes extrahuntur; ſerviunt præterea clyſteres oleoſi, butyracei, additis etiam amaris.

Utilis item erit clyſter lacteus, in quo aloes ſcr. j—dr. β eſt ſoluta: vide Armſtrong in Sammlung praktiſcher Abhandlungen für Aerzte, Band IV. Stück 2. His ſi vermes reſiſtant, clyſter ex fumo tabaci adhiberi cum fructu juxta quosdam poteſt. *Frank* pueris immittit, excitare quia vomitum &c. valet.

Frank ſic incedit, clyſterem unum, alterumque aquæ frigidæ injicit, quo vermes ſubrigeſcunt, debiliores redduntur, mox tepidum injicit cum dr. jj—unc. β ſalis culinaris, vel amari paratum. Angli rheo cum calomela, vel cum cinnabari utuntur: vide Abhandlungen der Londner Aerzte, Band I. Seite 39.

Sa-

Sabadillæ item ſemen huc pertinet, medicamentum interne ſat validum, quod *Schmucker* ſic præſcribit:

℞. Sem. Sabadillæ dr. jj. infunde
Aquæ fervidæ ſ. q. & coque
Colat. unc. vjj. adde
Lactis unc. jj. detur pro
Clyſtere —

Contra tæniam draſticis jam *Hippocrates* uſus eſt, quæ & hodie maximam ſæpe opem præſtant: *Biſſet* gummi guttæ gr. xv., cum extracto gentianæ in pillulas redactas pro doſi exhibuit.

Selle, niſi fortioribus purgantibus cedat, inutilia putat ſpecifica; ſic vero incedit: veſperi olei cujusdam communis, vel & ricini cochlear. j. exhibet, mane ſequenti gummi guttæ gr. x. adultis ingerit. Si tænia non abierit, a meridie iterum g. x. exhibet, quodſi ne nunc quidem abierit, tormina & hypercatharſis non impediverint, poſt ſumptum non ita pridem juſculum alia gr. x. cum clyſtere lacteo ingerit. Minores *Frank* doſes ſuadet. Non quocunque remedio æque facile quævis tænia expellitur.

Tænia ſolium optime cedit ſtanno anglico granulato, quod agere vi mechanica videtur; raſura *Frank* minus placet, quia ſpiculis inteſtinis adhærens ea nimis irritare valet. Remedium hoc ab empyrico quodam acceptum formula non immitanda ſic *Alston* præſcripſit.

℞. Stanni puri ſubtilis. pulveris. unc. jß adde
Theriacæ Andromachi unc. vjjj.

An forte mitior anglorum theriaca quam noſtra.

Pallas in nordiſchen Beyträgen, Band I. Seite 56 ſic præſcripſit.

℞. Stanni puri anglicani granul. dr. vj.
Syr. communis unc. jv.

Cito pondere ſuo ad fundum delabitur ſtannum. *Frank* pro adulto ſic præſcribit.

℞. Stan-

℞. Stanni Anglic. granul. unc. j.
Extract. gentian. dr. jj.
Mellis q. s. ut fiat electuarium.

Summatur omni trihorio cochlear β. Si vermis non secedat: Jalap. dr. jj — jjj. remedio addit. Exhiberi item potest seorsim purgans drasticum, ex jalappa cum mercurio, aut sale amaro, atque si vermis illius actione non secesserit, denuo stanni usus resummi.

Methodum, quam cum fructu sæpe adhibuit *Wagler*, communicavit Fritze in medizinischen Annalen, Band I. Methodus hæc cum Noufferiana convenit, utitur enim diæta stricta; vesperi mercurium exhibet, atque oleum, mane drastica, & quidem dosi majori.

℞. Mercurii dulc. gr. xx.
Pulv. conchar. sine igne parat. scr. j.
Misce signetur numero 1.

℞. Olei amygdal. dulcis recenter pressi unc. j.
Signetur num. 2.

℞. Gummi guttæ gr. xxvj.
Pulv. cardui benedict. gr. xx.
— Rad. Angel.
— Marchionis epileptici aa. gr. vjjj.

Divide in 3 partes æquales, signaque numero 3. Pulvis Marchionis ungulam aliis, aurumque recipiens compositionem sistit ridiculam. Summatur vesperi pulvis num. 1. ex aqua frigida, post horam dimidiam remedium num. 2., sequenti mane pulvis unus de num. 3. qui vomitum, atque alvum fere movet; post singulos vomitus bibatur vasculum infusi cardui benedicti. Si intra duas horas vermis non secedit alter pulvis de num. 3. eodem modo summatur, & si nec nunc quidem secesserit, post horas duas cum dimidia summatur pulvis tertius.

Mathieu pharmacopola Berolinensis remedium publicavit: vide *Formey* medizinische Ephemeriden von Berlin, Band I. Seite 113 Berlin 1800. quod coram medicis 3 legalibus ter tæniam, at qualem? abegit.

℞.

℞. Pulv. rad. filicis maris dr. vj.
Limat. ſtanni puri unc. j.
Pulv. rad. Jalap. reſinoſæ.
Salis polychr. aa. dr. j.
Mellis commun. q. ſ.

Ut fiat electuarium ſignetur littera A.

℞. Pulv. rad. Jalap. reſinoſæ.
Salis polychr. aa. ſcr. jj.
Scammonei aleppenſis ſcr. j.
Gummi guttæ gr. x.
Mellis q. ſ.

Ut fiat electuarium ſignetur littera B.

Obſervata per aliquot dies diæta tenuiori, & aſſumptis cibis ſale conditis ſummatur per 3 dies omni bihorio cochlear caffeanum electuarii A., donec vermis ſenſationem in inteſtinis æger habet, tum vero omni bihorio porrigatur cochlear caffeanum remedii B., donec vermis abigatur; ſi non ſeceſſerit, aliquot olei ricini cochlearia ore, aut clyſtere ingerantur.

Contra tæniam latam *Linnæi* duo potiſſimum remedia ſunt laudata *Noufferianum*, & *Herrnſchwandianum*.

Noufferianum Ludovici XVI. Galliarum regis munificentia innotuit. Sieh Beſchreibung des Bandwurms, Kempten 1775; und Sammlung praktiſcher Abhandlungen für Ärzte, Band II. Stück 4. Methodus *Noufferiana* hæc eſt: juſculum, panatella, ex panis in taleolas ſecti, & butyri aa. unc. jj. & aquæ lib. jß paratum veſperi ingeritur; poſt quadrantem horæ aſſumuntur panes duo parvi biſcocti, & vitrellum vini albi vel meri, vel aqua diluti, & ſi venter eo die non reſponderit, clyſter emolliens cum oleo injicitur. Die ſequenti pulvis ſubtilis radicis filicis maris ad dr. jj—jjj porrigitur ex aquæ unc. iv—vi. Pulvis forte regurgitans omni niſu degluthiendus, vomitu vero ſi rejiciatur, alia mox doſis ſummenda, poſt duas horas a pulvere aſſumto exhibetur.

℞. Panaceæ mercurialis.
Resin. siccæ scammonei aa. gr. xx.
Gummi guttæ gr. xv. fiat pulv. subt. adde
Confectionis de hyacintho scr. jj—jjß.

Fiat bolus qui si vomitu rejiciatur, sal catharticum ingerendum.

Post bolum assumtum vasculum infusi theæ viridis hauriendum, repetendumque, moveri tum alvus incipit. Debilibus dosis hujus purgantis minor datur, major robustissimis. Tænia expulsa jusculum, serius prandium assumi potest; si pendula ex ano hæreat, cavendum ne abrumpatur, hinc in sedili perforato manendum, & potus theatus bibendus, vel & sal amarus ingerendus.

Si circa tempus meridianum nondum abiverit, sequenti mane pulvis filicis maris, dein idem purgans, vel sal amarus assumitur.

Lypothimia sub secessu vermis interdum instans odore aceti componitur. Sub hac methodo tanta nonnunquam inter ardores anxietas, tormina, vomitus, ut tæniam ferre, quam illam denuo subire experti malint. In robustis tamen, si aliis expelli nequeat, ad hanc methodum devenire licet.

Methodum minus violentam *Frankio* sæpe proficuam *Odier* proposuit; exhibuit vero sub vesperam pulveris filicis maris dr. jj—jjj. ex aqua, post duas horas adulto olei ricini uncias jjj. puero sæpius de die cochlear caffeanum ingerit. Vide *Thurnebiller de oleo ricini remedio purgante, & anthelmintico*, Friburgi 1780. habetur quoque in Sammlung praktischer Abhandlungen für Aerzte, Band IV. Stück 2. Sunt, qui oleo ricini præ oleo quovis alio prærogativam ad vermes pellendos non concedunt.

Remedium *Herrenschwandi* juxta *Andry de tænia*, Grœningæ 1768 sequens fuit:

℞. Pulv. filicis maris scr. j.
— herbæ gratiolæ gr. v.
Gummi guttæ gr. j. Signetur num. 1.

℞. Eundem pulver. adde pulv. gratiol. gr. jjj.
Gummi guttæ gr. j. Signetur num. 2.

℞.

℞. Pulv. num. 1 adde pulv. herbæ grat. gr. jjj.
Gummi guttæ gr. iv. Signetur num. 3.

Hora 6 vespertina summatur jusculum carnis, vel panatella; hora 8 pulvis ex mercurii dulcis, & diagrydii sulphurati aa. gr. x. paratus; hora 10 oleum olivarum; mane sequenti hora 8 remedium num. 1; hora 10 remedium num. 2 cum jusculo, & si his vermis non secesserit, post duas horas remedium num. 3. Vide Pallas nordische Beyträge.

Juxta *Vogel Herrenschwandi* remedium, quod ab ipso auctore accepisse asserit, ex pulvere gummi guttæ, sale absynthii, & carbone fraxini, sed qua proportione? constat.

Semen Sabadillæ ad enecandos pediculos egregium, quo sine & colchicum autumnale adhibetur, pariter laudatur. Primus adhibuit *Seeliger* in Schmuckers vermischten Schriften Band II. ad dr. β cum conserva quadam in bolum redactum, jejuno ventriculo ingerendum, drastico quovis quinto die interpolato. Juxta *Marcum Herz* in Briefen an Aerzte, Band II. vix unquam fallit, exhibuit vero puero 12 annorum tempore matutino seminum sabadillæ, eleosacchari fœniculi aa. gr. xv. a quibus cum vomitus sequeretur, dein sic exhibuit. ℞. Pulv. sem. sabadillæ gr. vj. fiat cum Syr. s. q. pillula, dentur tales num. 3. quarum una summatur mane, altera vesperi. Semen sabadillæ suspectum *Frank* habetur, nec effectum vidit contra vermes alios dum interne exhiberet, nec viderunt Gœttingenses.

Quarin in animadversionibus ad morbos chronicos semen sabadillæ vi purgante agere putat, vomitumque &c. ab eo inductum vidit.

Chavet aliique oleum essentiale terebinthinæ cum oleo cornu cervi empyreumatico contra tæniam laudant, a *Frank* non adhibitum.

Vermibus ejectis habetur indicatio ulteriorem illorum proventum præcavendi, adeoque debilitatem emendandi per methodum confortantem. Debilitas emendabitur amaris, extracto martis poma-

mato, marte ipſo, valeriana, cortice peruviano, quibus diutius erit inſiſtendum, ſi præter debilitatem primarum viarum debilitas quoque totius corporis ſubfuerit. Cura quoque palliativa interdum requiritur, quæ ſymptomata graviora a vermibus excitata, atroces abdominis dolores, convulſiones componat.

Optime ſervit lac tepidum tum ore hauſtum, tum ano injectum, & antiſpaſtica abdomini applicata. In torminibus ſummis, ut in colicis ſpaſticis aliis, volatilia ingeſta juvant; ubi vermes, ait *Rosenius*, loco cuidam quaſi affixi hærent, & perforationem minantur, petroleum convenerit, tinctura caſtorei, liquor cornu cervi, aſſa fœtida vitello ovi ſubacta ex aqua menthæ &c.

Aqua frigida pota dolores interdum juxta *Beccari* ſedat.

Cucurbitas ſiccas ad regionem hypogaſtricam aut ad hypochondria applicatas in ſævis a vermibus doloribus *Quarinus* laudat.

Cataplasma ex farina, abſynthio, fele taurino, oleoque paratum abdomini applicatum quidam laudant.

Genus II. Lythiaſis græcorum, calculus latinorum

Atrocem ſæpe morbum ſiſtit a concretione ſolida in parte molli quacunque corporis, potiſſimum tamen in viis biliferis, atque urinalibus oriundum.

Res mira eſt, quod animalia bene multa, nempe conchylia ex ſuccis ſuis domicilia ſibi parent, quæ ex mollitie tremula in duritiem fere lapideam ſat cito indurantur. Multa teſtacea involucrum ſuum quotannis deponunt, novumque ex ſeſe ſibi pariunt; involucrum hoc ipſis quaſi pro oſſibus eſt, cum hac differentia, quod extus hæreat. Cancri chelas refractas ſibi reparant. Avium item ova, dum excluduntur, quaſi membranacea ſunt, mollia, ductilia, ſub aëris attactu chemica ex ratione cito

induranda. Circa dentes materia calcarea agglutinatur, urina in matula collecta cruftas ad fundum & latera ponit, quales aquæ calcareæ in vafis culinaribus deponunt.

Hinc patet, quodvis animal fuccos habere, ex quibus concretio nafci poffit calculofa, qualem & lapis Bezoardicus fiftit. Nulla pars corporis eft in homine, ubi concretio calculofa non fit inventa. Inventa in glandula pineali, in glandula lacrymali juxta *Sandifort obfervationum anatomico-pathologicarum* libro III., in viis falivalibus, in ductu vel maxime Sthenoniano, in fuperficie interna pericardii, in ipfa cordis fubftantia, in pulmone, hepate, in cyfterna chyli juxta *Schærf* Leydæ 1729. in vefículis feminalibus, in amnio humano juxta *ephemeridum naturæ curioforum* decadis II. obfervationem 137, in utero, ubi, teftante *Hippocrate de morbis popularibus*, doloris ac fterilitatis caufa exiftit. Frequentiffime tamen in viis urinariis calculi occurunt. Vide *Schenkii lythologiam.* — *Gattenhof de calculo renum, & veficæ*, Herbipoli 1748. — *Halleri prælectionum in Boerhaavium* Tomo III. pag. 387.

Triftis docuit experientia, calculos in quibusdam regionibus perquam frequentes, & graviffimorum malorum effe caufam; & alibi quidem frequentiores effe calculos urinarios, ut in Gallia, Infubria, Hollandia; Viennæ non adeo frequentes; in terris vero Hannoveranis, atque Gœttingæ calculi fellei longe frequentiores funt, quam urinales. *Hallerus de calculis felleis Gœttingæ frequentioribus* 1749. in cadaveribus, quæ ultra ducenta fecuit, calculum urinalem nonnifi bis confpexit.

Nec tamen ubique calculi deficere cenfendi funt, ubi non deteguntur in vita, multi enim illorum figna, modumque per catheterem &c. in illos inquirendi minus tenent. Calculus nec fexui, nec ætati cuidam parcit. *Brendel de calculis natalibus* infantes duos utero non ita pridem exclufos inter urinæ excretionem convulfos decedere vidit, quo-

rum

rum alter calculum in rene, alter in uretere oftendit. Exemplum fimile habet *Armftrong* in Sammlung praktiſcher Abhandlungen für Aerzte, Band IV. Stück I. *Hallerus elementorum phyfiologiæ* Tomo VII. pag. 362 in embryone 6 adeo menfium calculum inventum refert.

Juxta *Hallerum* ætati puerili calculi veficales, adultæ fellei funt frequentiores. Præ aliis tamen podagrici calculis fubjacent, hinc *Schræderus* affinitatem inter materiam arthriticam, atque calculofam intercedere putavit. Vide etiam *Caroli Hundertmark de urina cretacea in Baldingeri opufculorum Sylloge* VI.

At, quod frequentius calculis laborent podagrici, ex eo *Frank* fequi non videtur affinitas inter materiam calculofam, & arthriticam. Nam podagrici ob fummos dolores fupini fere, atque immoti jacent, fub quo fitu urinas diutius retinent, nec omnes excernere facile poffunt, unde facilis fabulorum collectio. An dolorum atrocia difpofitionem calculofam induci dicendum eft? Calculi urinarii non videntur, ut *Fourcroy* voluit, vitio loci, in quo hærent, magis nafci, quam alio; nam qui calculos in viis urinariis gerunt, fimiles fæpe in hepate, aliave parte fimul oftendunt: Vide *Halleri elementorum phyfiologiæ* Tomo VII. pagina 366.

Juxta *Camperum*, circa mutationes, quas fubeunt calculi quamdiu muco fuo vefica urinaria obtegitur, cruftæ calculofæ generandæ locus non datur, probarique putavit ex eo, quod matula fua, in qua parte oleo obliniebatur, cruftam non exhibuit, dum reliqua portio non inuncta, fat denfam contraxiffet. An jufta hæc conclufio ad corpus vivum a corpore vita experte?

Juxta eundem *Camperum*, quamquam materia in urina contenta colligi in arenulas poffit, in calculum tamen mutari nequit, quamdiu corpus peregrinum non accefferit, quod ipfis pro nucleo ferviat. *Albinus* vero *annotationum academicarum* libro III. cap. 13 omnes calculos nucleo gaudere ne-

negat, lamellaresque, lamellis qui constant, aut concentricis, aut absque certo ordine sibi appositis sine nucleo existere defendit.

Recte videtur dixisse *Camperus*, si consideremus, quam sæpe corpora peregrina calculis inclusa occurrant. Sic canis in vesicam arte apertam dum corpus peregrinum esset immissum, post aliquot menses crusta sabulosa obductum est repertum. Visus est in homine globulus plumbeus sclopeto in vesicam adactus, visum est frustum catheteris fracti & in vesicam delapsi; visum est frustrum fistulæ tabacariæ, quo quis vulnus vesicæ post calculi sectionem pruriens perfricuit, vesicæ illapsum sabulo obductum, ubi post duos annos sectione fuit extractum; obductæ sunt visæ aciculæ capitatæ per ludibrium in genitalia fœminea intrusæ, atque in vesicam delapsæ, visus est in vetulæ an vesica, an utero, calculus, cui dens molaris pro nucleo fuit; circa turundam vulneri inditam, & in vesicam illapsam calculum natum habet *Tulpius*, exempla similia habet *Percival*, & *Hallerus commentariorum in Boerhaavium* Tomo III. Catheter flexilis pro ex trahenda urina in vesica relictus, nisi alternis diebus extrahatur, sabulo obducitur, ut extrahi amplius nequeat; in equorum intestinis avenæ grana pro nucleis fuisse sunt visa.

At non ubique ad calculi generationem corpus simile peregrinum requiritur pro nucleo, potest enim & gutta sanguinis congrumata, & mucus morbose secretus pro nucleo servire, ac sensim uterque disponere; suadere sic videntur calculi quidam reperti in medio vacui, & calculi minimi in majoribus liberi conclusi, ita ut sub agitatione tintinabili quasi sonum imitentur. Suadere videtur calculorum in quibusdam locis frequentia, corpus hic sane peregrinum assumere non poterimus, undenam enim omnibus advenire demonstraremus.

Secundum *Fourcroy* calculi urinales, qui ex principio acido, urico ipsi dicto, abundante cum materia mucosa animali combinato nascuntur,

abs-

absque corpore peregrino formantur; qui vero circa corpus peregrinum nafcuntur, ii non ex principio urico, fed ex phosphate terreo originem repetunt, atque fpathi more formantur, lamellarum fcilicet concentricarum appofitione.

Pondus calculorum urinariorum ad aquam eft repertum = 1. 426.

Calculi urinarii differunt a figura, quæ fequitur

a. Figuram nuclei ovalem, angulofam.

b. Formam loci, in quo hærent, fic renales figuram pelvis renalis fæpe referunt, in collo veficæ hærentes illius figuram fere oftendunt.

c. Ad figuram calculorum præfertim veficalium motus quoque, & attritus confert.

Differunt compage, unde molles funt, cretacei, gypfei, lamellofi, coagmentati, juxta *Drelincourt* velut articulati; duriffimi, infolubiles, cryftallum quafi unicum fiftentes.

Differunt colore, ex cujus diverfitate *Fourcroy in fyftematis chemiæ* Tomo XII. articulo 6. ad principia illorum conftitutiva concludit, eosque in tres fpecies dividit.

a. In profunde flavefcentes, ligni colorem fere habentes, qui ex acido urico formantur.

b. in albos, aut gryfeo albos, qui phosphate terreo conftant.

c. In profunde gryfeos, fubnigros, omnium duriffimos, qui oxalato calcis conftant. Atque juxta hanc principiorum diverfitatem, variis experimentis detectam, folventia diverfa *Fourcroy* proponit loco citato.

Differunt fede, unde dicuntur:

a. Renales, in renibus fat frequentes vel apud illos funt, qui nunquam de dolore in regione renali funt conquefti. *Lieutaudius* docuit renem finiftrum præ dextro calculo laborare, an quia arteria renalis finiftra longior, & fuper aortam decurrens facilius comprimitur, unde circulatio turbatur? An quia ren ipfe finifter colo per cibos fla-

tulentos distento comprimi potest, dum ren dexter hepate defensus liber a calculis servatur, ut vult *Friedericus Hoffmannus medicinæ rationalis* Tomo IV, parte I.

b. Ureterici, qui non infrequentes.

c. Vesicales, qui frequentissimi, & vel nudi hærent, facileque cathetere deteguntur, aut cystidi propriæ inclusi sonum cathetere explorati vix edentes, vel etiam in vesicæ dilatatæ sacco morboso latent. In utroque hoc casu inutilis fere lythotomia, extrahi quia calculus vix potest.

Calculi renales aliquot uncias, vesicales ultra libram ponderasse sunt visi. *Hænius* in rene dextro suppurato penitusque consumpto 17 vidit calculos variæ magnitudinis, qui simul sumpti uncias VI. cum scrup. j. ponderarunt. Similem fere copiam *Frank* vidit in rene sinistro, atque alia occasione unicum, sed instar ovi anserini fere magnum in medio cavum ac crepitantem, uncias IX. ponderantem; viderunt *Lecat*, *Gooch*, & *Camper.*

Calculi vesicales majores eo minus auferri per sectionem possunt, quia accedente forcipis volumine adhuc majores redduntur.

d. Urethrales, qui diu sæpe hærent, atque mingendi difficultatem pariunt; calculum 22 annis in urethra hærentem feliciter exsectum habet *Wepfer:* alium diu pariter hærentem lethali cum effectu exsectum habet Mohrenheim in Beobachtungen, Band II.

e. Scrotales, habetur calculus unciarum IX. exclusus, qui inter scrotum & perinæum pueri hæsit.

f. Perineales ad perinæum sæpe nascuntur post sectionem calculi ex urinarum infiltratione, quemadmodum ad scrotum nascuntur, si urethra undecunque læsa urinam illuc dimittit.

g. In glandula prostata.

h. Inter glandem & præputium apud impuros.

i. Vaginales, qui oriuntur, si urethra fæminea in vaginam pateat, quod contingit post partum difficilem, tractationem obstetricis rudem, ex ure-

urethræ vel ruptura, vel ex illius atque vaginæ inflammatione ſuppurata. Atque in utroque caſu malum erit inſanabile, niſi peſſario, aut cathetere in veſicam immiſſo urina per urethram fluxerit, atque concretionis locum conceſſerit; ſi vero ulcus in veſica fuerit, catheteris impatiens eſt, hinc fere in peſſario commodo, levique ſcopo palliante, in veſicam immiſſo acquieſcendum eſt.

Calculi urinales urinam fere redolent, minus tamen duriores, & albi.

Calculi duri lentius increſcunt, quam molliores, niſi accedente ſuppuratione velocius incrementum ceperint.

Calculorum durities juxta *Hallerum* pendet a tempore, quo formati ſunt; juxta *Camperum* a materiæ illos conſtituentis diverſitate.

Calculos majores oriri *Albinus* putat ex minoribus ſibi agglutinatis, *Camperus* non conſentit, quia unicum nonniſi nucleum habent. A calculis ſpinoſis dolores atrociſſimi non deſcribendi, calculi hi ſerra diviſi nucleum *Campero* ſpinoſum oſtenderunt ex attractionis legibus vix explicandum. Interſtitia ſi nova appoſitione replentur, dolores mitigantur, licet majus volumen calculus acquiſiverit.

Notandum tamen, calculos ramoſos interdum reperiri in cadavere, ubi nulla de calculo querela in vita fuit. In calculos urinales quovis ævo inquiſitum eſt, quin indoles illorum ſatis pateret. Conſtare quondam putabantur ex particulis calcareis, quæ ex oſſibus reſorptæ in renibus, atque veſica continentur. At terram calculi urinales non ſiſtunt.

Spiritum urinæ, ut proximam calculi urinalis cauſam ſuppoſuit *Helmontius de lythiaſi*, quia ſub urinæ deſtillatione cruſtam calculoſam in apparatu detexit. Idem fere *Roſe* in diſſertatione ſua, quam præſide *Drelincourtio* edidit, defendit. Meliorem vero hujus urinalis Helmontii ſpiritus cognitionem *Sheelio* debemus, cujus theoriam melius expoſuit Anglus quidam in *nova calculi theoria*, Lipſiæ 1789.

No-

Novissimis temporibus *Fourcroy & Vauquelin* docuerunt vera esse, quae *Sheele* 1776 exposuit, & *Bergmann* confirmavit; calculos urinales nasci ex acido quodam urinis proprio lythico, vel bezoardico ipsi dicto, cum materia animali, albumini ovorum simili, unito. Acidum hoc lythicum *Fourcroy* dicitur uricum, quod in subjectis calculosis abundans cum materia coagulabili in urinis praesente, & in decompositionem coagulumque prona conjunctum concretionem firmam efformaret, cui terra nonnisi per accidens adhaeret.

At in bile, pulmone &c. hoc acidum non adest, calculi tamen nascuntur; an hic nascuntur ex acido phosphorico abundante cum principio animali juncto? Apparet sane aliam quoque calculorum originem esse debere, quam quae de calculis urinalibus exposita a *Fourcroy* habetur.

Causae calculorum urinalium variae sunt assignatae, vix omnes admittendae:

1. Vina acida, austera. At calculi urinales sat rari sunt in quibusdam provinciis ad Rhenum sitis, ubi multum vini austeri potatur, frequentes sunt in Insubria & alibi, ubi parum vini bibitur.

2. Aquae principio terrestri abundantes. At terra calculos urinales vix ingreditur, & in regionibus, ubi aquae multum terrae deponunt, ut in ditione Badensi, in agro Goettingensi rari sunt calculi urinarii.

3. *Sprengel* in Pathologie Band III. §. 417. ut aliarum partium calculos, ita & urinales, nasci putat ex acido phosphorico &c. cum principio animali juncto. At contraria huic opinioni sunt *Foucroy* experimenta, qui nec acidum phosphoricum, nec oxygenium invenit.

4. Quies certa & stagnatio urinae requiritur, ut separari materia calculi queat. Hinc podagrici, aliique valetudinarii multum decumbentes calculis facile laborant, quia urinam diu retinent, & vix omnem evacuare valent.

Calculi plerumque mechanice lædunt, atque tum mole, tum pondere comprimentes, diriſſima edunt ſymptomata. Tenendum tamen, calculos maximos, maximeque aſperos, irritando laceſſantes, latere poſſe, quin ſignum ullum edant. *Sandifort in obſervationibus anatomico-pathologicis* teſtatur, Leydæ aſſervari calculum renalem uncias 8 ponderantem, ultra pollices 4 longum, duosque latum, de quo nemo ſomniavit. Ureterem dextrum absque ullo ſigno calculis repletum vidit *Hallerus*, ſimile in rene bis vidit *Baglivius*, vidit *Mekel*, & *Cohem de calculis* pag. 13 — 14; vidit *Hænius rationis medendi Tomo II. cap.* 4. *Blancardus* calculi libræ unius meminit ab ægro non percepti.

Symptomata calculi renalis ſunt:

1. Dolor frequens, aut continuus, profundus, fixus lumborum in regione renis alterius, diſcernendus ab hœmorrhoidali, qui magis ad ilea percipitur, & a lumbagine, ſub qua dolor minus fixus, flexio vero corporis ad anteriora magis impedita eſt, quam ſub dolore nephritico.

2. Stupor, vel dolor obtuſus cruris lateris affecti vel utriusque. A rene enim turgido comprimitur muſculus pſoas, ſuper quem nervi lumbales decurrunt, ex quibus cruralis anterior enaſcitur. Notandum tamen hœmorrhoidibus, inflammatione muſculorum pſoæ, & iliaci interni cruri quoque induci ſtuporem poſſe. Attamen, ſi dolor in renis regione fixus cum cruris ſtupore concurrat, calculi præſentis probabilitas creſcit.

3. Dolorifica teſticuli ejusdem lateris ad annulum abdominalem retractio, quæ tamen & aliunde contingere poteſt. Paucos ante dies Hungarum hypochondriacum *Frank* vidit, cui ſub diris abdominis doloribus retractus eſt teſticulus, unde calculi ſuſpicio naſci potuiſſet, at linteo calido abdomini, teſtique appoſito, & expulſis ano flatibus dolores abdominis cum teſticuli retractione ceſſarunt.

4. Dolor poſt motum & vectionem ſuper ſtrata lapidea animique pathemata auctus, ſæpe cum

mictu

mictu cruento junctus, quæ ex inflammatione renum chronica, aut illorum suppuratione oriri item possunt. Voçatur *Frank* 3 ante mortem diebus ad ægrotantem, qui mictum cruentum binis annis perpessus est. Calculi renalis suspicio illi nata, at nunquam dolor in regione renali adfuit, nausea, & vomitus nisi sub ultimis vitæ diebus nullus, quem vero ex debilitate & inanitione omnino consumptum exhibuit; hinc ora arteriæ renalis patula mictum cruentum effecerunt.

5. Sabula cum muci quadam copia excerni plerumque solita; nam insignes inventi sunt calculi, quin unquam sabula secessissent, & ubi sabula secesserunt, sæpe calculi non sunt inventi.

Hinc interdum saltem illud *Camperi* verum esse videtur: sabula in calculum non uniri. *Mekel* hominem habet doloribus arthriticis ante affectum, qui per 8 dies continuos dolores lumborum secundum ureteris descensum passus est, urinamque mucosam excrevit; dato anodyno dolores sunt compositi.

Hominem *Frank* vidit febre lenta emaciatum cum dolore lumborum, stupore & dolore cruris sinistri, testiculique retractione. Calculus renalis post mortem detegitur nullus, sed vesica comparet scirrhosa, carcinomatica. An dolores renum &c. ex eo, quod renes depleri non potuerint?

Vocatus est *Frank* ad ægrotantem, qui ob dolores in regione renali, testiculum retractum, cruris stuporem per plures jam dies passus pro calculoso est habitus; quibus malis dum 6 adhuc septimanis conflictatus esset, sponte sanatus est, nec post annos de simili incommodo conquestus. An non spasticæ indolis malum dicendum? *Haënius* podagricum habet, qui urinas reddidit furfuribus divitem, absque calculo præsente. Vide quoque *Murray de materia arthritica ad verenda aberrante dissertationem*, quæ etiam habetur in *Frank delectus opusculorum* vol. II.

6. Nau-

6. Nauſea frequens & vomitus. At hæc ex aliis etiam cauſis bene multis oriri poſſunt, hinc niſi cum aliis calculorum ſignis concurrunt, parum probant.

7. Colica atrox nephritica dicta. Sed a ſolis arenulis &c. dolores colici & ſpasmi naſci poſſunt.

8. Lenimen doloris in regione renali ſub decubitu in latus affectum, illiusque augmentum ſub decubitu in latus oppoſitum. At in renis inflammatione, aut ſuppuratione idem ſæpe obtinet.

9. Urinæ fœtor ſpecificus, qui apud calculoſos plerosque occurrit, minor tamen eſt, ſi duriores calculi fuerint. An ab irritatione & ſecretione morboſa per eam inducta derivandus eſt?

10. Plenaria urinæ ſuppreſſio, ſi calculo ren uterque laboravit. Singula calculi renalis ſigna complexus eſt *Hippocrates de internis affectionibus* cap. XV: Dolor acutus ad renes, lumbos, teſtes; frequens urinæ miſſio, dein ſuppreſſio; arenularum excretio cum dolore inter mingendum, ut colem æger perfricet. Plerique ignorantes arenulis in urina comparentibus veſicam laborare putant, cum tamen ren laborat, quod item *Frank* Ticini vidit.

Ex dictis patet, ſingula allata ſigna per ſe ſat dubia eſſe, nec diagnoſin ſat certam formari poſſe, niſi plura concurrerint.

Symptomata calculi ureterici ſunt:

Dolor intolerabilis decurſum ureteris ſequens, hinc a lumbis incipiens & oblique ad veſicam extenſus; horror, tormina, ſpasmus, convulſio, vomitus.

Dolor hic diu ſæpe fixus manet, donec locum calculus mutet, quod aſſignare norunt ægrotantes. Calculi diutius hærentes & volumine aucti ureterem obturant, dilatant, ut altera quaſi veſica ſupra calculum appareat. Hærent vero vel maxime ad inſertionem ureteris in veſicam urinalem, ubi oblique inter illius membranas decurrit, doloresque atroces excitant. Difficulter hic caſus diſtinquitur a calculo veſicali, niſi, quod calculus uretericus

ca-

cathetere non detegatur. At veſiculis membranæ morboſæ incluſus item non detegitur. Caſus huc pertinentes habentur in *operibus Murray* & apud *Walter* von den Steinen in den Harngängen zwiſchen den Häuten der Urinblaſe, Caſſel 1779.

Symptomata calculi veſicalis:

1. Dyſuria frequens periodica, continua, niſus ad mingendum perpetuus, pruritus magnus ad glandem penis, cujus leniendi gratia colem ægrotantes fere ſemper emulgent.

2. Dolor veſicæ & pubis, qui tamen ex arthritide, inflammatione, exulceratione veſicæ oriri etiam poteſt.

3. Mictus apud viros vix poſſibilis corpore niſi inclinato, qui vero difficilis item eſſe poteſt a ſcirrho veſicæ, hœmorrhoidibus.

4. Stillicidium urinæ albæ, cum pallore rubræ &c. cum ſedimento multo mucoſo, in fila ductili, graveolenti, ex morboſa veſicæ per calculum irritatione ſecreto. Quidam calculo veſicali laborans, dum mejebat erectus, urinam ab initio miſit quaſi lacteam, ſedimentum cretaceum deponentem, quam ſecuta eſt urina limpida; decumbens vero ſi minxiſſet lacteam illam materiam non reddidit, quia gravitate ad fundum veſicæ delabens retinebatur. At ex aliis etiam cauſis, quam a calculo urina albida fœtens excerni poteſt.

5. Odor urinæ fœtens, ſumme nauſeoſus, fere ubique mox a miſſione alcalinæ, ſyrupum violarum colore viridi tingentis, & cum acidis efferveſcentis. Quod idem in aliis malis poſt diuturnam retentionem evenire poteſt, ut in veſicæ paralyſi. *Haënius rationis medendi* Tomo VIII. cap. 2. obſervavit in nephritide chronica; *Swieten* in morbis acutis.

6. Pruritus penis moleſtiſſimus, vel & dolor, erectiones multæ, pollutiones nocturnæ vel & diurnæ, durities membri retracti absque erectione. Calculoſum decrepitum habet *Camperus*, qui ſub erectione ſemen emiſit, & virum a pueritia calculo-

culoſum, qui proles progenuit. Calculus igitur fæcunditatem non impedit.

7. Subitanea urinæ inter mingendum ſupreſſio ex calculo ad collum veſicæ delabente. Hæc vero urinæ ſuppreſſio a minori potius calculo contingit, quia major deſcendere nequit. At ſupprimi urinæ fluxus etiam poteſt ſpasmo, aut grumo ſanguinis.

8. Mictus facilior corpore reſupinato & cruribus decuſſatis, quia ſub hoc ſitu calculus in veſicam relabitur.

9. Ponderis ſenſus in perinæo aſſiduus, tenesmus ad alvum deponendam, quæ pauca & globularis cum difficultate deponitur; interdum medorrhæa ani, ut affectio hœmorrhoidalis ſubeſſe videatur, difficultas ingrediendi. Ad hæc producenda calculus major fere requiritur comprimens vicina.

10. Exploratio veſicæ ope digiti ano immiſſi, & ope catheteris veſicæ introducti, qui ut certos nos reddat, in obſtaculum incurrere debet mobile atque ſonum edens.

Melius de calculi veſicalis præſentia catheter nos inſtruit, quam ſigna hactenus allata, quæ fallere ſingula poſſunt. Fieri tamen poteſt, ut calculus, quem alia ſigna loquuntur, quique revera adeſt, cathetere non commonſtretur.

Patet hinc quam cautos nos eſſe oporteat, dum de lythotomia inſtituènda ſermo eſt. Sonum catheteri exploranti non reddit:

a) Calculus parvus, a quo facile aberrat.

b) Qui a veſica ſuper eum contracta includitur; quod ſi fuerit, facile infra retroque calculum in veſicam catheter penetrat, eumque ad anteriora & ſuperiora pellit, quod *Camper demonſtrationum anatomico pathologicarum* parte II. §. 12. & tab. III. fig. 3, & 4. demonſtravit in cadaveris veſica, in quam calculum immiſit. Hinc catheter ſub veſicæ exploratione non ſolum ad poſteriora, ſed ſurſum etiam agendus eſt.

c) Qui cystidi propriæ morbosæ inclusus, aut muco copioso obductus est. Calculus interdum integer, interdum quibusdam tantum carunculis vesicæ adhæret; vide *memoires de la societé royale de chyrurgie* Tom. I. §. 395.

Calculus vesicæ adcretus, ideoque cathetere non detegendus, latere in viris potest in sinu vesicæ posteriori, ubi inter intestinum rectum & colum vesicæ descendit, atque in hoc casu digitus litem dirimet; in fæminis, quæ sæpius pepererunt, ad latera vesicæ, quia vesica per uterum gravidum compressa nonnisi ad latera urinam recipere valet, unde fiet, ut ibidem dilatetur.

De calculo vesicali cystico quidam Galli dubitarunt; at vidit *Platnerus de calculo ad vesicam adhærente*, Lipsiæ 1727. Vidit *Frank* Ticini in homine, cui secto *Scarpa* extrahere calculum ex vesica non potuit, quia, ut post mortem constitit, adcretus fuit.

Tumor scirrhosus &c. crusta calculosa obductus sonum catheteri reddere, sicque calculum mentiri valet, at mobilis non erit.

Galenus de locis affectis libro I. cap. 2. ad calculum in pueri vesica detegendum experimentum proponit aliquantum rudius, jubet nempe, ut puer in dorsum decumbens cruribus elevatis agitetur, si postea urinam miserit, calculum adesse noveris. *Birnstil* suadet, ut æger trabi ligneæ instet ope serræ dividendæ; calculo si laboraverit, dolorem vesicæ ab iterata per trabis divisionem concussione excitatum accusabit.

Brendel atque *Vogel de cognoscendis & curandis corporis humani affectionibus* §. 462. dolores sub calculis sæpe comparentes pendere putarunt non ab ipsis calculis, sed ab urinis stagnatione putrefactis & a muco morbose secreto, quia nullum sæpe effectum calculi edunt. At assertio hæc nimia videtur, quis enim credat, nullam esse irritationem mechanicam, vel a pondere, vel ab inæqualitate calculorum? Unde calculorum simptomata

post

poſt motum ſæpe periodica derivabimus, unde proficuum narcoticorum uſum explicabimus?

Prognoſis:

1. Calculi renales minores abſque inſigni adeo incommodo ureteres ſæpe tranſeunt, ſi vero in vicinia veſicæ ſubſtiterint, magna mox ſymptomata inducunt ſuperius deſcripta, & dolores pro veſicali affectione imponentes.

2. Ubi calculi jam plures ureteres tranſierunt, ita ſenſim dilatantur, ut ab aliis non nimis magnis ſuccedentibus minores dolores &c. premant.

3. Calculi renales interdum tumorem in lumbis excitant, unde ſuppuratione facta aut expreſſi, aut exciſi narrantur. Caſum talem habet *Tulpius obſervationum* libro IV. cap. 28. Vidit *Frank* Cremæ monacham nobilem 24 annorum, quæ jam a biennio dolores ſummos in regione renali perferens per febrem lentam cum ſudoribus nocturnis plurimum fuit emaciata. Propoſita eſt ſectio in regione renali, ſed non facta ob debilitatem, poſt 3 ſeptimanas exivit calculus ex uretere, atque nunc patuit pus jam per muſculos lumbales proſerpiſſe, ruptum eſſe inteſtinum colon cum partibus inflammatis nexum, fœces enim per vulnus lumbale prodibant. Menſibus adhuc tribus vixit.

4. In veſica calculus modo unicus hæret, modo plures.

5. Calculi veſicales minores ſæpius urinas ſupprimunt, quam majores, utpote qui collo veſicæ minus applicari poſſunt.

6. A calculo majori anguloſo vel æquali ſed perforato, qualem *Frank* vidit, ad collum veſicæ hærente urinæ incontinentia inducitur.

7. A preſſione calculi veſicalis in inteſtinum rectum continua, & teneſmo inde nato explicanda ſunt incommoda hœmorrhoidalia, prolapſus ani, vaginæ, uteri.

8. Ex urethra muliebri, utpote ampliori breviorique excretio calculorum facilior, quam ex virili. In *tranſactionibus philoſophicis* calculus habetur

betur unciarum jj. cum dr. jj. qui per urethram fæmineam absque multo dolore transiit, habetur ibidem calculus unciarum jjß ex urethra fœminea exsectus.

9. Frequentiores calculi urinales pueris, quam adultis, frequentiores item viris quam fæminis.

10. Infantes teneri calculis urinalibus laborantes facile moriuntur ex dolorum vehementia convulsi.

11. Qui calculis urinalibus laborant, felleis sæpe simul laborant, ita, ut eadem amborum caussa esse videatur, acido licet diverso constent.

12. Nec infantes nec adulti calculo exsecto securi sunt ab alio renascituro. Calculos tertia vice in Italia exsectos *Frank* vidit. Unde *Drelincourtius* facilius esse uterum fœcundum reddere sterilem, quam præpediri calculorum proventum.

13. Multa a lotio per calculos retento, aut cum pure mixto discrimina.

14. *Galenus de locis affectis* libro IV. cap. 7. auditum sibi narrat calculos vesicales per anum secessisse. Fieri quod utique poterit, si vesica versus intestinum rectum inflammata cum ipso unita atque suppuratione perforata fuerit, quod eo minus in dubium revocabimus, si ossa fœtus per intestinum rectum secessisse meminerimus.

15. Majorem qui gerunt calculum vesicalem per medicamenta lythontriptica dicta non liberantur, sed a sola chirurgia opem exspectandam habent.

C u r a e momenta juxta *Sellium* sunt: tollere stimulum per arenam aut calculum excitatum, expellere concretiones calculosas, impedire novam illarum collectionem.

Secundum *Frank* methodus medendi d u p l e x statui potest: 1) m e d i c a. 2) c h i r u r g i c a.

Illa, de qua potissimum hic sermo, est:

A. P a l l i a t i v a, per quam lenire nitimur dira illa symptomata, quæ irritatione calculi asperi, aut urinæ acris excitantur.

B. Ra-

B. Radicalis, per quam aut resolutionem, aut expulsionem calculi intendimus, in totum systema agendo. Nam licet calculus urinalis morbum localem sistere videri possit, ex totius tamen systematis vitio licet incognito nasci censendus est, quod uno exsecto alius sæpe succrescit, dein quod calculus urinalis sæpe cum biliariis junctus adest; denique licet calculum urinalem nasci ex acido urico demus, quod non intelligitur, cur non apud omnes nascatur, cum omnibus principia insint.

Ad dolores calculosos palliandos victus opportunus inprimis ordinandus, blandus nempe & nutriens. Male hinc farinacea præscripserunt, qui ex principio saccharino calculorum originem falso repetierunt. In victu vitanda salina, muria condita, aromatica, potus fermentans, & quæcunque urinam acrem reddere valent. Nec in medicamentis salia, ne nitro quidem excepto, sunt exhibenda, quia in vias urinarias agunt. Vitanda ingurgitatio, victus crudus, animi pathemata deprimentia, inde enim saburrarum generatio, atque doloris &c. apud calculosos augmentum.

Congestiones circa vesicam calculosam natæ in robustis levantur hirudinibus ad perinæum, vel turgentibus vasis hœmorrhoidalibus ad anum applicatis; apud debiles vero augentur, quia sanguine detracto debilitas vasorum increscit.

Interne ad dolores & spasmos sopiendos prodest potus emolliens, mucilaginosus, oleosus, emulsio amygdalina cum mucilagine.

Externe prosunt balnea, semicupia tepida, cataplasmata regioni lumbali, pubis, perinæi applicata, clysteres emollientes; *Haënius* in ipsam adeo vesicam calculosam oleum tepidum injecit, levamenque interdum obtinuit.

Ad componendos dolores calculosos a muco stagnante & irritante, acrique urina excitatos, si inflammatio desit, *Selle* plurimum laudat aërem fixum seu gas carbonicum.

℞. Sal tartari depur. dr. jj. ſolve in
Aqua deſtil. libr. j. ſignetur Nro. 1.

Ubi tentando cognoveris, quantum acidi ſulphurici requiratur ad ſaturandam hanc ſalis tartari quantitatem, hanc eandem miſce cum aquæ deſtillatæ libr. j. & ſigna Nro. 2. Vaſculum ß de numero 1 & 2 miſcentur ſibi in vaſe tertio, atque mixta cito & ſub actu effervescentiæ epotantur omni bihorio. *Frank* inde fructum non habuit.

Ubi arenoſum mittitur lotium, conveniunt, quæ urinas ſine ſtimulo movent; potus mucilaginoſus. Exulent diuretica, mitiora enim nil efficiunt, potentiora nimis irritant.

Ad leniendos dolores renum veſicæ calculoſos laudatur & herba uvæ urſi una cum capſulis ſeminalibus; vide *Queer diſſertationem de calculo renali & de uva urſi*, Norimbergæ 1771. Datur in pulvere ad dr. ß — j bis de die, adjuncto etiam paregorico, vel in decocto:

℞. Uvæ urſi dr. jj. coque cum
Aqua fontis libr. j.
Colatura unc. ix. ſummatur intra diem.

Uvam urſi adhibuit *Haënius rationis medendi* Tomo II. cap. 4. adhibuit *Frank* atque interdum dolores ipſi leniri videbantur. Ubi dolores calculi ſummi atque pertinaces fuerint, auxilium ab opio quærendum emulſioni ad gr. j—jjj addito.

Majores hic fere, quam alibi opii doſes requiruntur, cave tamen, ne nimias exhibeas, noceasque. Bruchſaliæ *Frank* ſenem 75 annorum exhibito intra paucas horas laudani liquid ſcrup. j. a doloribus calculoſis ſat cito liberat; poſt aliquot menſes, cum iidem dolores urgerent, ab eadem doſi ſopor non excutiendus natus, cui poſt paucas dies mors ſucceſſit. Eadem igitur remedia, eadem doſi exhibita in eumdem ægrum diverſo tempore modo diverſo agere poſſunt.

Cura radicalis ſat anguſta eſt, nam, cum ignoremus in quo cauſa proxima calculorum conſiſtat, illis deſtruendis, aut prævertendis ſatis pa-

res non eſſe poſſumus. Varia quidem menſtrua calculis extra corpus ſolvendis ſuffeciſſe ſunt viſa, vide *Halleri phyſiologiæ* Tomo VII. pag. 347. & *Maquer dictionarii chemici a Leonardi editi*, vol. V. At dubitari merito poteſt, an menſtrua, quæ ſolvere calculos extra corpus valent, eos ſolutura ſint in corpore. Quædam fors potentius in corpus noſtrum agunt, quam ut ingeri tuto poſſint, & licet tuto ingerantur, non poſſunt ut in vaſe chemico ita in corpore ad calculos pervenire; mutari enim debent vi ventriculi digeſtrice, mutari debent in alveum humorum ſuſcepta. Quare vanus jam Lythontripticorum uſus videri debet.

Maquer obſervationibus circa ſolutionem calculorum in *journal de ſanté* 1776. pag. 39. negat apta nobis eſſe menſtrua ad calculos in veſica ſolvendos, cum cruſta in matulis urinariis nata ſolvi nulla re poſſit. Malam *Frank* concluſionem putat, licet propoſitionem concedendam exiſtimet. Juxta *Sheele* calculi urinales cum aqua deſtillata cocti gr. viii ponderis amiſerunt, quod *Bergmann actorum academiæ ſuecicæ* vol. XXVI. negat, ſed ex hoc diſſenſu illud ſolum forte ſequitur, calculos diverſæ compoſitionis atque compagis experimento eſſe ſubjectos. Nec tamen, ſi recte *Sheele* ſenſit, quidquam lucrabimur, cum aquam bullientem calculis in corpore hærentibus applicare non poſſimus.

Antiquiores medici putantes calculorum urinalium partes conſtitutivas, aut alcali eſſe, aut acidum cum oleo animali, terra & aëre unitum, L y t h o n t r i p t i c a juxta hanc differentiam ordinarunt, ubi eam in calculis excretis cognoviſſent. Hinc quorum baſis alcali deprehendebatur, iis omnis generis acida ſunt oppoſita, fructus acidi, poma, ribeſia &c. ſuccus acetoſæ, acetoſellæ, limoniorum, acetum dilutum, acidum nitri, vitrioli. Quorum vero baſis acidum fuit, iis apium, rapæ, aſparagi, plantæque antiſcorbuticæ, variaque alcalina ſunt oppoſita.

Alii ſapones, venetum, alicanthinum, debrezinenſem dederunt ad oleum calculorum extricandum. Qui ſi profuerunt, profuiſſe ab alcali videntur.

Tale lythontripticum eſt illud *Madame Steffens* anno 1740 per 5000 libris Sterlingarum vulgatum, quod conſtat teſtis ovorum calcinatis, & ſapone alicanthino forma pillulari exhibito, ita ut ſaponis uncia β—j intra diem ingeratur. Objectum eſt huic remedio ingrato nauſeoſo, quod nimis irtando lædat, appetitum dejiciat, ſanguinem ſolvat, putredinem invitet; caſus tamen habentur, ubi hoc, vel ſimile remedium profuit.

Cum hoc eodem remedio data eſt aqua calcis primæ affuſionis ad libr. j. cum æquali lactis quantitate quotidie bibenda, quia comparuit calculum per 3 menſes in aqua calcis ſæpius renovata detentum friabilem eſſe factum; vide *Baillie* circa uſum lythontripticorum in Sammlung praktiſcher Abhandlungen für Aerzte, Band VII. Stück 2.

Licet multa mala a remediis his junctis plerique metuant, & interdum nocuiſſe ſint viſa, *Haënius* tamen *rationis medendi* Tomo II. cap. 12. qui quotidie ſaponis unciam j. & aquæ calcis libr. j. cum lactis libr. iv unitam per 7 menſes ingeſſit, bene habere ægrotantem vidit, calculique ſymptomata diſparere, licet catheter calculum in veſica præſentem continuo loqueretur.

Aqua ex teſtis ovorum, lapidibus cancrorum calcinatis parata juxta *actorum Edinburgenſium* vol. V. part. 2. minus lædere dicitur. Anglo cuidam alcalia quævis ad calculos ſolvendos apta videntur.

Recentioribus gas carbonicum (aër fixus) potiſſimum laudatur eo, quod viſum ſit in calculos quosvis agere. Laudat *Hulme in methodo curandi calculum, ſcorbutum & podagram*, laudat *Saunders* in Sammlung praktiſcher Abhandlungen für Aerzte, Band III. S. 360. qui aquas conſulit hoc aëre divites, quem ſalibus alcalinis præfert. Laudat

Percival tum contra urinales, tum contra biliosos in Sammlung praktischer Abhandlungen für Aerzte, Band III. Stück 4.

Resolutionem calculorum aëre fixo sibi obtentam esse negat *Selle*, at dolores compositos se vidisse fatetur, eo quod muci acris generatio impediretur.

Cum pervideri facile possit, remedia lythontriptica ore ingesta nimis mutari, antequam ad calculos pervenerint, de solutione alcalina ipsi vesicæ injicienda cogitatum est. At vesicam sensiliorem facile offendunt, nec tamen retineri tamdiu possunt, ut agere in calculum valeant.

Remedium priori fere simile adhibent, qui sodam carbonatam seu alcali vegetabile acido carbonico ultra satietatem imbutum præscribunt; circa usum illius vide Scherer über das Einathmen der Lebensluft in langwierigen Brustentzündungen, Wien 1793. — *Ingenhousz miscellanea physico-medica a Scherer edita*, Viennæ 1795. — William Falkoner über die Wirksamkeit des luftsauren Laugensalzes gegen den Stein. Sodam & aquam mephyticam inde paratam primus in se ipso expertus est *Benjamin Ceborne*. *Beddoes* secundum *Ingenhousz* salem sodæ leni igne in pulverem fatiscentem ad dr. β—j cum sapone, vel ex aqua cum fructu pauperibus exhibuit.

Aqua mephytica alcalina, non admodum ingrata, secundum *dispensatorii Viennensis* pag. 155 paratur:

℞. Salis sodæ dr. jj. solve in
Aqua destil. vel Selteranæ lib. j.

Alcali solutum in apparatu Woulfiano imprægnatur acido carbonico evoluto ex solutione cretæ in frustula contusæ, in acido sulphurico diluto eo usque, donec acidum carbonicum superabundat.

Aqua hæc, cujus uncia salis sodæ carbonati gr. vjjjβ continet, exhibetur ad uncias v—vj. bis ter de die. Laudari meretur ad dolores componendos, & sabula promovenda; contra calculos majo-

jores nil ſane præſtabit. Si ventriculus debilior ſub illius uſu male afficiatur, addi poteſt aroma quoddam gratum v. g. aqua naphæ, cinamomi, vel ut Angli faciunt, parvum cochlear de Rhum.

Fourcroy cum experimentis didiciſſet, calculos urinales ex acido urico compoſitos ſolvi lixivio alcalino vegetabili cum aqua deſtillata parato; ex phosphate vero terreo natos in acido muriatico per aquam deſtillatam diluto; ex oxalato vero conflatos, duriſſimos, atque difficillimæ ſolutionis, acido nitrico, ipſa hæc menſtrua veſicæ urinæ (ibidem ſi calculus hæſerit) injicienda propoſuit ubi in calculorum forte jam evacuatorum naturam inquirere licuit.

Remedia vero mox allata injicienda præcipit:

a. Evacuatam poſt urinam.

b. Adeo diluta, ut veſicam nimis non irritantia retineri queant: diluta ſatis erunt, ſi oris cavum non irritent, ſic enim urinis acriora non erunt.

c. Ad gradum 25 thermometri Reaumuriani calida.

I n j e c t i o ita inſtituenda, ut catheter flexilis ex gummi elaſtico paratus veſicæ immittatur, cui ſyringa ſtannea liquidum injiciendum continens applicatur. Liquidum injectum retineri vult per $\frac{1}{4}$ horæ, ſerius per $\frac{1}{2}$ horam, atque injectionem 5—8 vicibus per diem repetendam.

At multæ huic methodo difficultates obſtant, quas auctor ipſe fatetur:

a. Liquida hæc, urinis licet minus acria fuerint, lædere veſicam valent, quæ quidem ſtimuli urinalis, utpote illi aſſueta, non item cujusvis alterius patiens eſt; quid quod ab ipſa aqua pura injecta multum doluiſſe eſt viſa. Provocare quidem *Fourcroy* poteſt ad 5 homines ſanos, quibus hoc liquidum injectum retinebatur. At veſica calculoſorum quam ſanorum fere ſenſibilior comparet.

b. Decomponi poſſunt per urinas ex ureteribus jugiter ſtillantibus, antequam in calculum agere potuerunt.

c.

c. Non unica eidem calculo urinali ſemper natura eſt, dantur enim ex ſtratis diverſæ indolis compoſiti, ita ut idem calculus diverſis ſolventibus indigeret.

d. Quamdiu calculus nullus excretus eſt, naturam ſcire non poſſumus, nec adeo menſtruum conveniens injicere. In dubio de calculorum natura lixivium alcalinum injiciendum putat, quia plerique principio urico conſtant, aut urinas examinandas juxta leges chemicas.

Ipſe urinas duorum calculorum examinans minus acidi urici in iis detexit, quam in urinis ſanorum, calculosque uricos adeſſe judicavit, qui revera poſt mortem ſunt inventi. Ipſe tamen auctor huic experimento non ſatis confidit, nam ſi urina examinata minus acidi urici prodat, poteſt paulo poſt ſecernenda plus habere, cum ex cauſis non ita magnis ſecretiones ſæpe mutentur.

Aliam urinas examinandi methodum longe ſimpliciſſimam hanc propoſuit: pauculi acidi muriatici eis affundit, & ſi flocculi præcipitantur, ad uricam calculi naturam concludit, & injectiones lixivioſas ſuadet; ſi nil præcipitatur, acidum muriaticum dilutum veſicæ injiciendum putat. Sed multis adhuc experimentis *Frank* opus videtur ad rem decidendam.

Cum hactenus allata interdum, an vi diuretica? ad ſabula evacuanda ſufficiant, vix vero contra calculos majores quidquam poſſint, friabiles niſi fuerint, lythotomia, operatio ſane magna, nec nimis properanter inſtituenda, nec nimis etiam diu differenda, ne calculus eo usque increſcat, ut inſtitui amplius nequeat, propterea, quia extrahi calculus per vulnus factum non poſſet.

Eo minus in fæminis properandum, e quarum urethra calculi ſat notabiles, aut ſponte ſecedunt, aut absque ſectione extrahi poſſunt. Puellam in monaſterio quodam comenſi educatam *Neſſi* vidit, quæ intra 10 annos libras calculorum fors 20 excrevit ex gryſeo nigreſcentium, qui aut ſponte abierunt,

runt, aut forcipe ſunt educti; minores parum incommodi fecerunt, majores vero dolores iis ſimiles excitarunt, qui ſub pártu eſſe ſolent.

Lythotomiam feliciori aliquantum omine primus inſtituit eremita gallicus, frater *Cosmas dictus*, qui omni cognitione anatomica corporis humani deſtitutus, auſus eſt vadimonio dato ſpondere, fore, ut ex 100, quos ipſe operatus eſſet, vix 15 ſibi moriantur, dum chirurgis 75 morituri eſſent. Magis hanc operationem perfecit *Boerhaavii* collega *Raw*, cujus biographiam *Geoffroy* dedit.

Cum calculus veſicalis juſto major extrahi per vulnus inflictum nequeat, *Ledran & Lecat* forcipem propoſuerunt confractorem dictam, quæ calculum prehenſum diſſringere valeret. Aſt ſæpe veſica incraſſata eſt, nec ſatis cedere valet huic forcipi ob dentes multum aperiendæ, ut adeo amplecti calculum vix poſſit, interdum vero durior eſt, quam ut licet prehenſus diſſringi ſe patiatur.

Juxta *Celſum* quidam propoſuit calculum intra veſicam ſimili fere modo diſſringere, quo murarii lateres coctos diſſringunt; jubet nempe calculum forcipe prehendere, ejusque manubrium malleo percutere. Aſt calculi non ſunt lateres cocti, nec iis admoveri vis tanta poteſt, quanta lateribus coctis in murarii manu.

Perforationem quoque calculi propoſuit *Lecat*, quam *Camperus*, præſertim in calculo ramoſo, ob dolorum excitandorum atrociam, atque convulſionis metum, reprobat, etiamſi impoſſibilis per ſe non videretur.

Juxta *Camperum* veſica, quæ circa unicum calculum ſemper contrahitur, non contrahitur, plures ſi adfuerint. Ad inſtituendam lythotomiam methodus *Lecatii* ab Anglis emendata multis in uſu eſt. *Frank* tamen & alias cum ſucceſſu adhibitas vidit a chirurgis dextris, ſatisque exercitatis.

Neurotomiam *Frank* inſtitutam non vidit, licet facta ſuppuratione interdum in regione lumbali ſponte prodiiſſe calculi ſint viſi.

Cal-

Calculi biliarii, fellei interdum in ductibus biliariis ex bile hepatica, ſæpius vero ex cyſtica multum acriori naſcuntur. Bilem hepaticam parum amareſcere vel inde patet, quod hepar anſerinum, vitulinum &c. ferculum ſat gratum largiatur. Cur quædam mammalia bile cyſtica acriori indigent, cum alia, ut cervus, non niſi hepatica gaudent? Bilis multa conſtat aqua, oleo, ſoda cauſtica, materia ſaccharina, & alia quadam ſpermati ceti ſimili. Calculi fellei inſipidi ſunt, excepto nucleo, qui amareſcit, coloris flavi, ſubnigri, urinaris molliores, leviores, ſiccati inflammabiles.

Antiqui calculos biliarios ex partibus terreſtribus bilis exſiccatæ repetierunt, aliam vero originem ſecundum *Fourcroy ſyſtematis chemiæ* Tom. X. pag. 53 agnoſcunt. Secundum experimenta illius calculi biliarii ſolvuntur ex parte in aqua, exactius vero in alcohole calefacto, in æthere vitriolico, in oleis preſſis, atque eſſentialibus, præſertim in oleo therebinthinæ, in lixivio cauſtico, in acido nitrico.

Solutionem calculorum biliariorum in ſpiritu vini calefacto detexit *Poultrier*, atque ex eo refrigerato lamellas albas, ſplendentes, fere tranſparentes, quaſi cryſtallinas, floribus Benzoinis ſimiles præcipitari vidit. Lamellæ hæ juxta *Fourcroy* materiam ſiſtunt omnibus calculis biliariis communem, & quaſi baſin illorum efficientem, ſpermati ceti fere ſimilem, quam adipoſo - ceraceam dicit. Ex hac jam materia ita abundante, ut a ſoda cauſtica nequeat ſoluta teneri, præcipitata cryſtalliſationis ope calculi biliarii efformantur.

Qui a bile copioſiore admiſta flavent calculi, ii minus ſolubiles ſunt, & diuturniore in alcohole maceratione indigent. Eandem materiam adipoſoceraceam *Fourcroy* obtinuit, dum hepar putrefactum exprimeret.

Calculos biliarios a ſtructura multifariam divisit *Walter*, *Vicque dazyr* in genera 9; *Fourcroy* in

6

6 difpefcit; divifione, quæ luxuriofa pro practico *Frank* videtur.

Gallorum experimentis conftitit, optimum contra calculos biliarios remedium ex æquali parte olei therebinthinæ, & ætheris vitriolici obtineri. Nec therebinthina opus videtur, quæ facile nimis ftimulat, cum æther folus interdum fuffeciffe fit vifus. At fane non ea vi, qua in vafe chemico agit, cum in corpore animali immutatus ad calculum pervenire nequeat, fed fpasmos folvendo, viamque calculis faciliorem parando.

Quidam folutionem calculorum biliariorum exfpectant a decocto taraxaci, cichorei, faponibus. Monet enim *Swieten*, calculos aurei coloris in hepate boum tempore hyemali reperiundos difparere, ubi gramine recenti vefci incipiunt. At fi verum hoc, an gramen id præftat vi folvente in hepar agente, an motum inteftinorum periftalticum augendo, qui ad vias usque biliarias propagatur,

---

SCOR-

SCORBUTUS.

SCORBUTUS

Incognitus juxta *Freind* fuit veteribus, attamen descriptus aliis quidem sub nominibus ab iisdem habetur; sic quæ de lienibus magnis agens recenset *Hippocrates* cum scorbuto congruunt: venter inflatur, turget, dolores in regione lienali acuti sunt; color faciei pallidus, nigrescens; gingivæ male olent, a dentibus abscedunt; ulcera in cruribus comparent, fœces non secedunt. Congruunt quoque, quæ de ileo agens habet: gingivæ male olent, a dentibus abscedunt; e naribus sanquis fluit; ulcera nigri coloris ad crura &c.

Ad scorbutum pertinere videntur, quæ *Plinius in historiæ natur.* lib. XXV. cap. 3 scribit: Cæsaris exercitus ad Rhenum deductus fontium venenatorum injuriis prehensus est morbis duobus novis, stomacace (ulceribus gingivarum) & scelotyrbe (ulceribus nempe crurum.) *Celsus* item quæ libro IV. cap. 9. de lienis morbis habet, ad scorbutum pertinere videntur.

Et sane omni ævo exstitisse scorbutus videtur, cum causæ illius nunquam non exstiterint. Quod serius exacte descriptus sit, inde pendere videtur, quod populi septentrionales, apud quos sæpissime occurrit, serius scientiis operam navaverint, serius item innotuerit calidiorum regionum incolis, quibus primam illius descriptionem debemus.

Ex quo tempore majora itinera maritima suscepta sunt, a sæculo nempe 13 numerus scorbuticorum auctus est. Hinc etiam scorbutus pestilentia marina dictus est. Anglus quidam præfectus navalis ad 10,000 hominum inter 24 annos ex scorbuto perdidit.

Ex

Ex quo iterum patet, cur veteribus raro ſit deſcriptus; illi enim juxta litora navigantes terræque ſæpius redditi ſcorbuto minus fuerunt obnoxii, rarioremque illum obſervandi occaſionem præbuerunt.

Juxta *Lindii tractatum de ſcorbuto*, tertia vice editum, melius ſcorbutum deſcripſerunt:

Balduinus Romcejus de magnis Hippocratis lienibus, Plinii ſtomacace & ſcelotyrbe &c. 1564. — *Joannes Eckius de ſcorbuto epitome*, 1541. — *Wierus medicarum obſervationum hactenus incognitarum* libro I. 1567. — *Lang epiſtolarum medicinalium &c.* libro III. epiſtola 13—14. 1560. — *Albertus in hiſtoria ſcorbuti*, 1593. — **Georg Horſt** vom Scharbok, Gießen 1715. — **Rolling** über Matroſen Geſundheit, Dresden 1702. — *Bonner de ſcorbuto, Veronæ* 1761. — *Hulme de natura, cauſa & curatione ſcorbuti*, Londini 1768. — *Eugaleni de ſcorbuto, tractatus ſelecti Boerhavii, Huxhamii, Lindii, Addingtonii*, Venetiis 1766. — *Millmann de ſcorbuto &c.* Pariſiis 1783. — **Christiann Hoffmann** vom Scharbock, Münſter 1782.

D e f i n i t u r aſtheniæ ſpecies, cujus præcipua ſ y m p t o m a t a ſunt: debilitas totius corporis, laſſitudinis ſenſus poſt ſomnum auctus; genuum rigiditas; gingivarum laxitas, fungoſitas, ſanguinolentia; fœtor; dentium vacillatio, dyſpnœa; proclivitas in hœmorrhagias tum externas, tum internas; maculæ cutis lividæ &c.

Sed plura horum deſunt interdum, quin deſit ſcorbutus, abeſſe hoc anno vidi tumorem, fœtorem, ſanguinolentiam gingivarum. Adeſſe ſcorbutus poteſt, ubi pulſus febrim inflammatoriam loqui videtur, uti caſus ſequentes docent:

Ticini *Frank* tractavit hominem in loco humido habitantem, nariumque hœmorrhagiæ ſubjectum, qui ſine ulla oris labe, ſine maculis cutaneis, pulſum plenum, durum, frequentem, exhibuit. Febrem inflammatoriam ſubeſſe putans venam ſecat, ſuccedit hœmorrhagia narium: Idem die ſequen-

quente pulſus, altera fit venæ ſectio; cruſta iterum denſa. Nocte inſequuta hœmorrhagia narium 6 libras ſanguinis profundens, vix ſiſtenda. Pulſus altero mane durior, magisque vibrans, maculæ in cute. Exhibito acido citri, vino &c. ſat brevi tempore reſtituitur.

Alium poſt 6 menſes vidit juvenem in loco item humido habitantem, nariumque hœmorrhagiam interdum paſſum cum pulſo magno febrili. Memor exempli prioris roborantia exhibuit, ſub quibus maculæ ſcorbuticæ comparuerunt, ſanitate ſat cito tamen redeunte.

Scorbutus quibusdam diviſus eſt in marinum, & terreſtrem; diviſione inani, quia æque triſtes uterque effectus edit, ille tamen frequentior eſt, atque velocius decurrit.

Boerhaave diviſit in calidum & frigidum; in marinum & terreſtrem; in acidum, alcalinum, acido auſterum, & rancidum. *Lind* dividit in adventitium, qui ſanos aggreditur ex cauſis exterius advenientibus; in conſtitutionalem a diſpoſitione pendentem, in ſymptomaticum poſt morbos graves comparentem.

Frank dividit 1. ſecundum cauſas.

a) In ſcorbutum ex debilitate indirecta natum. Exemplum præbet ſcorbutus poſt mercurialium uſum protractum, poſt abuſum potuum ſpirituoſorum oriundus.

b) In ſcorbutum ex debilitate directa natum.

2. Secundum dominium, quod exercet.

a) In endemicum, qualis eſt in regionibus borealibus, frigidis, & paludoſis, in Grœnlandia &c. Hinc Americam plurimum licet diſſitam adire minus metuunt navigantes, quam mare balticum, in cujus frigore hoſtem longe diriſſimum inveniunt.

Endemicus item eſt in inſubria apud pauperes ob humiditatem, victusque penuriam, atque hic cum liene magno junctus fere incedit. Frequens apud Venetos eſt, nec ſecundum itineratores maritimos in regionibus calidiſſimis adeo rarus eſt v. g. in

in America meridionali juxta *la Peyrouſe*, in India utraque apud Nigritas &c.

b) In epidemicum, qualis circa annum 1750 viſus eſt in America Septentrionali, Pariſiis, in Brabantia, apud Batavos. Juxta *Callard* hyeme anni 1765 Faventiæ ſcorbutus epidemice in eos ſævit, qui ex febre intermittente reſtituti diuturno corticis uſu corroborabantur.

c) In ſporadicum, qui non niſi ſingulos in cauſa domeſtica privata aggreditur.

3. Secundum decurſum.

a) In chronicum, qualis plerumque eſt.

b) In acutum, vel intra paucos dies lethalem, qualis interdum occurrit.

Symptomata ſcorbuti a *Boerhaavio aphorismorum* §. 1151 in quatuor ſtadia diviſi ſunt ſequentia:

I. Pigritia inſolita, torpor &c. Veriſſima hæc ſunt, ſed & chloroſi, aliisque morbis ex debilitate oriundis conveniunt, ita ut ex his non niſi augurari ſcorbutum liceat ſub cœlo humido, frigidoque &c. ubi frequentior eſſe ſolet.

II. Difficilis, anheloſa, ad motus parvos fere deficiens reſpiratio, quæ vel ipſa deeſſe poteſt, ut in clinico deeſſe hoc anno eſt viſa.

Tumor crurum &c. ſæpe a ſanguine pendet in cellularem intermuſcularem extravaſato, & congrumato, ut *Lind* vidit, interdum a ſolo vaſorum turgore, ut *Blanc* detexit. Tumor hic cito ſæpe comparet, atque diſparet applicatis præſertim aceto tepido, fomentis aromaticis, ſpirituoſis, ut adeo ſanguis per ſolam vaſorum incitationem attenuari, reſorberique videatur.

Immobilitas pendet a debilitate muſculorum, ſerius a rigiditate articulorum, & muſculorum contractorum accurtatione.

Maculæ magnitudinem capitis acicularis habentes, petechias referentes vel & vibicum inſtar latæ, cutis ſuperficiem vix excedentes, aliquando tamen variolarum more elevatæ *Frank* viſæ, flavæ

ſunt

ſunt croceæ, fuſcæ, nigræ; pendet hæc coloris diverſitas a diverſa tum quantitate, tum denſitate ſanguinis ſtagnantis. In puellæ ſcorbuticæ volis manuum, plantisque pedum maculas flaviſſimas *Frank* vidit, quoties hœmorrhagia narium inſtaret. Puella hæc peripneumonia tandem extincta ſerum flavum in pericardio exhibuit. Maculæ ſcorbuticæ collum, pectus, crura fere obſident; *Lindius* tamen & in facie vidit, viderunt alii in ventriculo &c.

III. Pulſus, qui ab initio morbi lentior fuit, ſenſim vero parvus & mollis eſt factus, nunc debilis, inæqualis redditur, quem *Milmann* reptantem, *Frank* diffluentem vocat, atque pathognomonicum in ſcorbuto habet, ubi nempe ſanguis in latera qnaſi effugit, ut arteriis vix coerceri, ſed ſola cordis actione moveri videatur. Hinc ubi arteria quaſi rotunda reſiſtentiam digito opponere incipit, malum emendare novit. Quibusdam tamen ſcorbuticis plenus & durus eſt, ad venæ ſectionem ſeducens.

Multa quibusdam ſalivatio, ob continuam oris irritationem per ulcuſcula inductam.

Ulcera, præſertim ad pedes, crura, ſpongioſa, inæqualia, quaſi lacerata, ad leviſſimum attactum ſanguinem plorantia, plurimum fœtentia, tela velut aranearum ſed cruenta tecta, qua detracta cito alia renaſcitur, atque per hæc ulcus ſcorbuticum ab omni alio tuto diſcernas. Vulnera diu jam clauſa, calli jam pridem formati ſcorbuticis ſæpe ſat cito ſolvuntur, quod utrumque ſub itinere maritimo *Anſon* vidit.

Haemorrhagiae, quarum ſpeciem ipſæ maculæ ſubcutaneæ ſiſtunt, tum externæ, tum internæ.

Reliqua pleraque, quæ ſub hoc & ſequente numero a *Boerhaavio* recenſentur, ad ſcorbutum neceſſaria non ſunt juxta *Milmannum*. Sic negat hœmorrhagias lethales per cutem non vulneratam contingentes, licet ſudores cruentos admittat. Naſci tamen hœmorrhagias tales poſſe *Frank* putat, quemadmodum natæ in aliis morbis habentur. Sanguis ſi-

mul craſſus, ſimulque ſolutus repugnare ipſi videtur. An forte explicandus ex facili ſeri atque cruoris receſſu?

Nec ſerum ſalſum, nec elephantiaſin inter ſcorbuti ſymptomata numeranda putat.

Diarrhœa etiam tenesmoidea, quaſi dyſenterica, contrarius licet ſit *Milmannus*, accedere juxta *Frank* & *Lind* ſcorbuto provecto poteſt.

Erravit *Lindius*, qui anorexiam nonniſi ſub finem morbi peccantem inter ſcorbuti ſymptomata numerat, plerique enim ſcorbutici vegetabilia vel maxime appetunt.

IV. Major ſub fine mali reſpirandi difficultas, ubi aquæ in pectoris cavo fere hærent, hydrops enim quam ſæpiſſime ſcorbuto accedit.

Frequens a motu vel leviſſimo lypothimia & mors, ubi ſæpe hœmmorhagia interna contigiſſe eſt viſa.

Hœmorrhagia ani, renum &c. fere lethalis. In ſcorbutica tamen, quæ ante triennium in clinico decubuit, hœmorrhagia pulmonum, ani atque uteri per digitalem purpuream compreſſa eſt.

F e b r i s juxta *Lindium* ſcorbuto raro adeſt, & ſi adeſt, ſucco citri, vinoque cito fugatur. *Frank* vero tum febris, tum hydrops ſcorbuto accedens, maciesque conſpicua præſens, lethalis fere habetur.

Interdum paralyſis vel potius paraeſis accedit, ſub apta methodo facilius fere fuganda, quam ſub alio morbo nata.

Dentium aliorumque oſſium affectio varia, epiphyſium cartilaginumque ſeparatio, caries, friabilitas tanta, ut ſola in lecto converſione oſſa habeantur fracta; nec oſſa ſcorbuticorum ſceleton eleganter album unquam largiuntur, ut docuit *Car. Lud. Hoffmannus*, qui huic obſervationi innixus propriam de ſcorbuto theoriam ſibi condidit.

C a u ſ a p r o x i m a ſcorbuti in putredine ſanguinis, viſcerumque quibusdam ponitur, errore, quem ipſe *Lind* in tertia demum editione revocavit,

vit, ubi ſolutum quidem, at non putridum, ſe viſiſſe ſanguinem dicit.

At non in ſolo ſcorbuto ſolutus comparet ſanguis, comparet ſolutus in morbis fere quibusvis a debilitate natis, & quid mirum, ſi deficiente vaſorum actione ſua ſanguini deſit conſiſtentia. Nec in quovis ſcorbuto ſanguis occurrit ſolutus, imo denſiſſimus cruſta inflammatoria tectus *Frank* aliisque interdum eſt viſus; an putridus & hic dicendus? Porro non omnis certe ſanguinis ſolutio eſt a putredine. Denique ſanguinem ſcorbuticorum inquiſitione chemica putridum *Fourcroy* nunquam detexit.

Qui putredinem ſanguinis ut ſcorbuti cauſam defendunt, ad id provocant, quod acida in ſcorbuto proſint. At dubitari poteſt, num non alia magis quam antiſeptica virtute proſint; nam juxta *Pringlii* experimenta cortex peruvianus longe magis a putredine carnes defendit, quam acetum, nec tamen cortex tanquam antiſcorbuticus multas meruit laudes.

Sanguinis ſcorbutici putredinem recte quidem negat *Milmannus*, at quam affert rationem, illa plauſibilis non eſt, quod ſcilicet putredo locum habere nequeat ſub intenſo illo frigore, ſub quo anno 1759 in America ſeptentrionali ſcorbutus epidemice graſſabatur.

In facili ſanguinis ſeparatione, inque ſeri aceſcentis tenuitate ac cruoris incraſſatione poſuerunt *Boerhaavius* atque *Hoffmannus*. At licet hæc ſanguinis conſtitutio demonſtrari poſſet, dubitari liceret, an non effectu adſit.

Cauſas remotas varii varias allegarunt, quarum quædam omnino innocentes, aliæ ita comparatæ ſunt, ut ſcorbuto producendo ſolæ non ſufficiant.

1. Salium abuſum *Cullen* aliique accuſant, quod illi vel maxime ſcorbuto laborarent, qui ſub itinere maritimo cibos ſalitos atque fumo induratos comedunt.

At non adeo ex ſalis copia, quam ex cibo difficulter digerendo parumque nutriente navigantes ægrotant, cum per muriam ſalis ac fumigerationem vix non omne principium carnis nutriens deſtruatur. Scorbutus certe in Inſubria endemicus repeti nequit ex ſalis culinaris uſu, qui fere nullus eſt apud pauperes ; ſed ex cibi nutrientis defectu animique pathemate repetendus eſt.

Quemadmodum & in urbibus obſeſſis, ubi ſal culinaris una cum alimentis deficit, non ex ſalis abuſu, ſed ex nutrimenti defectu animique pathemate repetendus eſt. Quo jure ſcorbutum Indarum navigantium a ſalis repetemus abuſu, cum vix non mera oriza, & fere absque ſale utantur ?

Frank, dum in pueritia per annum forte quotidie ſalem culinarem ad uncias aliquot aſſumeret, ejus ſane abuſum male tulit, nec tamen ſcorbutum expertus eſt, ſed urinæ ardorem &c. Idem porro cum aliquamdiu medicus eſſet juxta Bruchſaliam ad fontem, a quo ſal culinaris excoquitur, ſcorbutum non obſervavit. Vidit quidem aliquando in Germania porcorum cuſtodem, qui quotidie libram urinæ bibere conſuevit, ſcorbuto affectum. At ſimul pauperrimus fuit, ſpurciſſimus aërisque injuriis continuo expoſitus, ut ex his ſcorbutum jure meliore derivare videaris. Denique ipſas aquas marinas medicamenti loco absque ſcorbuti augmento *Lindius* novit potas.

2. Victus igitur penuria juſtior ſcorbuti cauſa videtur; nam annis 1771 & 72 multus per Germaniam ſcorbutus fuit, ubi leguminibus, radicibus herbarum, corticibus arborum veſci multi cogebantur, fere absque ſale. Et qui referente *Sarcone* anno 1763 Neapoli epidemicus ſcorbutus fuit, is non ideo natus, quia farina putrida pani &c. inſerviens putredine ſanguinem infecit, ſed quia principium illius nutriens per putredinem fuit deſtructum.

3. Vegetabilium defectus ſcorbuti cauſa ſolus non videtur, licet cura illius ſub vegetabi-

bilium uſu citius fere abſolvatur. Nam in Scotia, Lapplandia, America ſeptentrionali, in regionibus utpote frigidiſſimis, ubi per 6 fere menſes quotannis vegetabilia deficiunt, ſcorbutus endemicus ſane non eſt. *Lindius* dum 3 menſes navi veheretur, cui & vegetabilia, & aqua recens defuerunt, carnes vero in aqua marina coquebantur, ſcorbutum vidit nullum, cum alia navis tum vegetabilibus, tum carne recente inſtructa poſt duos jam menſes ſcorbuticos numeraret plures; quemadmodum exercitus imperatorius eſculentis omnis generis ſat bene inſtructus ultimo bello turcico bene multos numeravit. Præterea ſortis anguſtioris Itali, qui vegetabilibus multum utuntur, ſcorbuto multum ſane ſubjacent.

4. Oxygenii defectum accuſavit *Trotter*. At in omni vegetabili multum oxygenium, cur jam Itali vegetabilibus multum utentes ſæpe ſunt ſcorbutici? Dein corpora, quæ multum oxygenii habent, cur non magis antiſcorbutica ſe præſtant, quam quæ parum habent? Cur herbæ antiſcorbuticæ dictæ, oxygenii parum habentes, longe magis contra ſcorbutum valent, quam nitrum oxygenio ditiſſimum?

5. Aërem marinum quidam accuſant, putantes, aëri marino quidquam deeſſe, quod illum reſpirationi minus aptum reddat, quodque nonniſi ex effluviis terreſtribus aëri accedere poſſet.

At cur non in illis tantum navibus occurrit, quæ altum diu navigant, ſed in iis etiam, quæ litora vix relinquunt, aut portum omnino tenent, quæ aëre terreſtri frui ſane poſſunt? Dein *Volta* aërem ſuper mari liguſtico hauſtum examinans differentiam illum inter & terreſtrem nullam vidit. Aër porro maris athlantici terreſtri fere purior eſt, quin ſine ſcorbuti periculo ibidem navigetur. Denique ſi tanta aëris marini in producendo ſcorbuto potentia eſſet, quomodo maria tamdiu pererrare *Cook* potuiſſet, quin ſcorbutus erumperet; an nautæ illius aërem marinum non hauſerunt?

6.

6. Aërem navalem, carceralem &c. non renovatum, corruptum accusant alii, cum scorbutus sæpe sit visus in navibus spurcis &c.

Potest utique talis aër corruptus contribuere ad scorbutum producendum, quatenus oxigenio orbatus minus irritat, hincque debilitatem post se trahit. Attamen nec specifica, nec plenaria scorbuti causa in illo erit quærenda, cum & visus sit scorbutus in navibus ventilatore instructis, nimia hominum multitudine non repletis, munditiei cura ubique habita.

7. Aër humidus simulque frigidus ad scorbutum certe confert, cum sub aëre sicco & calido cito emendetur, sub frigore vero humido notabiliter mox exasperetur. At ne hic quidem aër sola scorbuti causa est, nam & sub Americæ meridionalis calore humido frequens satis scorbutus, qui non minus quam ille debilitat.

8. Ex succo ossium morboso scorbutum repetit *Hoffmannus.*

At caries, aliave ossium vitia non in quovis scorbuto adsunt, & serius fere accedunt, ut adeo succus ossium morbosus non causa scorbuti, sed effectus illius per secretionem morbosam generatus sit habendus. Caries porro tum in scrophulis tum in lue venerea frequentius fere, quam in scorbuto comparet, quin earum causa in succo ossium morboso sit quæsita.

Atque secundum hanc hypothesin *Hoffmannus* remedium quærens, quod in humorem ossium specifice ageret, illud in calamo aromatico invenisse putat, qui quidem proficuus in scorbuto esse potest, sed excitando agere censendus est.

9. Acrimoniam alii specificam accusarunt. At quo jure? In ulceribus quidem scorbuticis pessimæ indolis materia generatur, sed effectu secernitur, nec ut causa existit. Nec communicari per hanc materiam scorbutus potest, nec alia ratione contagiosus est, ut *Brambilla* ideo credidit, quod, qui scorbuticis inservirent milites ipsi, demum scor-

ſcorbutici facti eſſent. An non æque ſaltem probabile, ſcorbuticis inſervientes cauſis, unde priores ægrotarunt, iisdem ſubjectos ſcorbutum eſſe paſſos? Nec per hæreditatem communicatur, niſi quatenus ex parentibus debilibus nati ipſi debiles ſint, ideoque ſcorbuto magis obnoxii, ſi cauſas debilitantes experti fuerint.

10. Ex lue venerea, an degenerante, an cicurata, ſcorbuti originem *Selle* repetit.

Poteſt lues venerea ſcorbuti cauſa fieri, quatenus debilitatem aut ipſa inducit, aut inducunt mercurialia ad luem ſanandam largiori manu adhibita. Si vero alia inter utrumque malum affinitas intercederet, ut lues ita & ſcorbutus ſanabilis per mercurialia eſſe deberet, qui tamen mirum quantum per illa exaſperatur.

In tanta ſententiarum diverſitate in id tamen omnes conſentiunt, terra marique ſcorbuto minus laborare, qui bene veſtiti in loco ſicciore habitant, qui exercentur quidem, ſed vigiliis atque laboribus non exhauriuntur, curis, mœrore non mordentur, victu ſufficiente, eupepto utuntur.

Ex quo intelligitur, cur præfecti militares, navalesque ſcorbuto minus laborent, quam milites nautæque gregarii. Quare *Frank* ſcorbuti cauſam proximam in debilitate ponit, ad cauſas vero remotas revocat, quidquid debilitat, huc animi pathemata deprimentia, evacuationes nimiæ &c.

Opinionem hanc comprobant ex morbo gravi acuto aut intermittente convaleſcentes, qui ſcorbutici facile redduntur; comprobat methodus medendi in ſcorbuto proficua, quæ utitur aëre ſicco, habitatione munda, veſtitu ſatis tegente, victu nutriente, hilaritate animi.

Atque ex his intelligitur, quomodo itinera tanta maritima conficere *Cook* potuerit abſque ſcorbuti proventu. Scilicet munditiei navium curam ſummam geſſit, labores nautarum breviores ſingulis vicibus reddidit, veſtium tantum iis præbuit, ut mutare madefactæ cum ſiccis poſſent, cibum, qui

qui sufficeret, bonæ notæ exhibuit, concentus musicos, & saltationes super navi quotidie institui curavit. Quibus rebus plus sane effecit, quam brassica condita, aut malto, quibusdam laudatis efficere unquam potuisset.

11. Inter ceteras quidem causas debilitantes major ad scorbutum producendum potentia mœrori concessa videtur, quod nautæ, & tyrones milites coacti ubique comprobant, qui procul a patria cito ablegati in scorbutum plurimi incidunt.

Nec tamen quævis causa debilitans solitaria ad producendum scorbutum sufficere, sed concursu plurium opus videtur. Nam ubique sane causæ debilitantes occurrunt, quin mox ubique scorbutus compareat. Sic provinciarum rhenarum incolæ causis quibusdam debilitantibus arte subjecti, sed aëre sicco ciboque sufficiente, atque laudabili utentes intra 20 fere annos scorbutum *Frank* vix exhibuerunt, cum Insubri frigori hiberno minus expositi laboribus durissimis atterantur, unde victum parcum malæ indolis sibi comparant, animique mœrore excruciati tempore multo breviore morbum hunc sat sæpe illi offerrent.

Jam etiam intelligitur, cur frequens sit scorbutus in carceribus profundis, ubi frigore, humiditate loci, inertia, victu parco atque pravo, animi mœrore plurimum debilitantur inclusi.

Prognosis: Omnis scorbutus periculosus est; attamen evitari si causæ in tempore possint, ita ut non inveterescat, cito sæpe sanatur. Sic naves scorbuto repletissimæ, dum continenti reddunt ægrotantes, ubi aëre libero, vegetabilibus recentibus, exercitiis gratis, animi exhilaratione utuntur, intra 8—15 dies sæpe scorbutum amplius non habent.

Maximam sanationis spem largitur cutis, antea stricta, mollescens, humidula, item alvus pertinaciter prius clausa mollescens, nec tamen omnino diarrhœica, aut saltem non debilitans, postque dies paucos cessans; qualis interdum sub usu fructuum

ho-

horæorum, adæquata medela primis diebus adhibita, cum emolumento deponitur.

Dyſenteria, dyſpnœa magna, hydrops, febrisque niſi ſub apta medela cito diſparuerit, inter peſſima pertinent ſymptomata.

Ubi ſanguis loturæ carnium ſimilis &c. per anum, veſicam recedit, mors impediri vix poteſt.

Quidam marasmo ita conficiuntur, ut ſub motu vel leviſſimo lypothimia lethali corripiantur.

Quibusdam ad aſpectum non adeo debilibus ſub motu aliquantum majori mors ſubita accidiſſe eſt viſa, ubi rupta ſæpe vaſa ſunt inventa.

Cura: Cum ſcorbutus iis nationibus, quæ magna commercia agunt, aut bella maritima gerunt; ſumme fatalis ſit, patet primum medicorum officium eſſe, eum præcavere conſiliis tum magiſtratibus, tum illis ipſis exhibitis, qui ejus contrahendi periculo ſubjacent.

Præcavebitur autem diæta rite ordinata, victu bono ex animali, & vegetabili mixto, qui homini longe ſaluberrimus, exercitiis viribus accomodatis, munditie corporis atque habitationis ſiccæ, animi hilaritate.

Adeoque in navibus, aliisque locis, ubi plures cohabitant, ſumma munditiei cura gerenda, removendo ſingula inquinare quæ aërem valent, naves lavando, aërem concluſum per flammam, vela agitando, per ventilatores renovando, vigilias protractas, labores nimios vitando, victum eo meliorem, etiam ſpirituoſum præbendo, quo major labor, aut aëris intemperies fuerit. Aquarum etiam puritatis cura gerenda, quæ diutius ſervatæ facile corruptionem ſubeunt, læduntque, ſive nociva corpori ingerant, ſive ſtimulare ſatis nequeant.

In urbibus obſeſſis vegetabilia quævis, vel ipſum adeo gramen, *Lindius* commendat.

Si exercitium inſtitui ob debilitatem nequeat, frictio ſaltem inſtituenda, nam quies omnimoda in ſcorbuto peſſima. Scorbutus terreſtris imminuitur, ſi miſeriæ populorum imminuantur, ſi curam magi-

giſtratus geſſerint, ut ædificia in locis paludoſis non exſtruantur, ut paludes pro viribus exſiccentur, ut pauperibus alimenta ſalubria emi queant; ſi venæ ſectionis &c. abuſus eliminetur, ſi captivi melius habeantur, carceres ſalubriores exſtruantur, circa quorum exſtruendorum rationem lege *Howardum.*

Ab orizæ cultura, quæ ob aquarum ſtagnantium copiam multorum ſane morborum in Inſubria mater eſt, damna nullo lucro compenſanda oriuntur. Dubitare hinc licet, num gratulandum ſit Hungariæ, quæ illius culturam recepit, niſi forte minus damnoſum ſit orizam colere in locis paludoſis, modo agri in certo quodam ſpatio non minus multi adhibeantur, quam ſi paludes nudæ atque immotæ ſtagnaverint.

Cum omnis ſcorbutus ex debilitate vel directa, vel indirecta, pendeat, cura curatoria, remotis cauſis, ſecundum hanc diverſitatem erit inſtituenda.

Pulſus plenus, atque durus in ſcorbuto interdum præſens indolem illius ſthenicam ſecundum *Frank* nequaquam loquitur, nec ſeriore tempore *Lindius* ob hunc pulſum venam amplius ſecuit, ſed ab arteriarum inflammatione pendere videtur aſthenica. Sic cum anno 1800 in clinico obiiſſet vir quidam, qui ex hydrope pectoris febrili, atque ſcorbuto cum pulſu parvo, & duro laboravit, aorta in vicinia cordis aneurismatica, in decurſu usque ad bifurcationem inflammata, excoriataque, adhærente hinc inde lympha coagulabili, conſpiciebatur.

In ſcorbuto a debilitate indirecta nato a majoribus ſtimulis incipiendo ad leniores ſenſim deveniendum eſt. Sic ſi tractandus ſit, qui ex vini abuſu ſcorbuticus eſt factus, huic non illico omne vinum ſubtrahendum. Si ex mercurii abuſu natus, ſtimuli exhibendi ſunt, qui non multo mitius agunt, quam prius mercurium egiſſe concludere licet.

Inter illa, quæ contra ſcorbutum ex debilitate directa oriundum, in quo a ſtimulis mitioribus incipiendum eſt, a recentioribus laudata ſunt, eminet:

Mal-

Malti decoctum, quod a *Macbridio* propositum, tantam sibi famam contraxit, ut per omnem Britanniæ classem distribueretur, de qua fama multum hodie perdidit. Decoctum hoc scopo præservante *Cook* commendat, cum potum sistat cerevisia æmulum, vi nutriente pollentem. *Frank* quoque vi nutriente prodesse potius videtur, quam principio, quod continet, carbonico, ut quidam volunt.

Succus citri multum laudandus venit, non quod oxygenium corpori largiatur, ut vult Sprengel im pathologischen Handbuch Theil III. §. 913; sed quod stimulum adsuetum (plerique enim omnes vegetabilia fere quotidie assumunt) sistat. *Frank* prodesse vel maxime videtur, tum quod aliquantum nutriat, tum quod mitem stimulum addat in magna debilitate proficuum. Quod vel inde patere putat, quia acidum *Halleri* (licet acida mineralia in scorbuto reproventur *Cullenio*) ita dilutum, & saccharo edulcoratum, ut gratam aciditatem offerat, cum fructu non multum inferiori exhibuit. Acidum citri *Lindius* sic præscribit:

℞. Acidi citri unc. iv. β.
Vini boni libr. 1.
Sacch. albi unc. iv.

Atque hanc dosin intra 24 horas absumendam jussit; præterea vero unum alterumque pomum citrinum vel aurantium una cum cortice, satis stimulante, comedendum suasit.

Male *Pinel* risisse videtur *Brunonem*, qui scorbutum salis vegetabilibus sanari negavit, contra quem acidum citri adeo proficuum esset repertum. At sola vegetabilia quis exhibet? an non ubique victus nutriens, aëris siccitas &c. commendantur? num horum, num vini cum succo citri a *Lindio* juncti nulla erit habenda ratio? dum murarii &c. radiis solaribus exusti & debilitati spiritum vini aquis addunt, an sitim exstinctam, sudores mitigatos, ab aqua, an a moderato spiritus diluti stimulo

lo repetemus? Qui ſimili ſub ſtatu limonadam potant, an ii ſolo acido citri diluto reficiuntur, an non vel maxime cortice illius ope ſacchari detrito, & in eleoſaccharum redacto?

Succus citri exhiberi quoque poteſt cum Rhum vel Arak & ſaccharo forma Punſch. Nam licet ſpirituoſa nimia quantitate ingurgitata cauſare ſcorbutum poſſint inducta debilitate indirecta, egregie tamen teſte *Monroo* proſunt doſi moderata, & viribus accomodata exhibita.

Deficiente ſucco citri quidam tamarindos recentes, vel cremorem tartari pro Punch parando adhibent — ubi cavendum ne forte diarrhœa debilitans a doſi quidquam majori ſuccedat.

Aliis item ſucci acidi, fermentationis capaces, profuiſſe ſunt viſi. Sic exempla habentur, ubi corticem Theobroma cacao inciderunt nautæ, atque ſuccum exſtillantem collectum cum fructu adhibuerunt.

Ulterius laudanda veniunt vegetabilia principio volatili donata, radix angelicæ, imperatoriæ, calami aromatici ad dr. ij. unc. ß. infuſa. Fœmina quædam 50 fere annorum ſcorbuto cum œdemate pedum laborans, medicamenta quælibet vomitu reddens, infuſum calami aromatici retinuit, atque hoc ſolo medicamento in clinico eſt reſtituta hoc anno.

Cum multum principium carbonicum contineat, *Hulme* poſt mixturæ acidæ portionem quandam epotam ſuperpotandam illico exhibuit mixturæ alcalinæ partem, ut efferveſcentia nata principium carbonicum extricaretur. At ſucceſſus laudabilis explicandus videtur ex ſtimulo, quem utraque mixtura corpori addit.

In genere quidem alcalina non ſolum, ut olim factum, contra acidum primarum exhibenda ſunt, ſed uſum multo latiorem habere merentur ob vim excitantem.

Error multorum eſt herbas antiſcorbuticas dictas, Beccabungam, naſturtium aquati-

cum

cum & hortenſe, fumariam, ſinapi &c. alcali ſuo contra ſcorbutum prodeſſe, cum tamen recentes deſtillatæ non largiantur alcali, ſed acidum ſat notabile cum oleo eſſentiali. Et licet alcali adeſſe daretur, effectus tamen illarum in ſcorbuto proficuus explicandus foret ex vi ſtimulante, tum ipſius alcali, tum olei eſſentialis.

Conſervæ quidem harum exhibentur herbarum, at herbis ipſis inferiores ſunt; ignis enim actione, qui pro illis parandis requiritur, parte volatiliore privantur, diuturna vero aſſervatione longe magis virtute ſua ſpoliantur. Adhibentur & illarum aquæ deſtillatæ pro collutorio &c. quæ ſi acrimoniam linquæ prodiderint, prodeſſe ſtimulando poſſunt.

Præſtat vero ubique ipſas herbas adhibere recentes, ingerendo illas vel forma acetarii vel ſucci expreſſi meri, quem ſi ventriculus debilior ferre recuſaverit, juſculo dilutus exhibeatur.

Raphani ruſticani infuſum bis ter de die ad libr. ß epotum militibus ruſſis ſcorbuticis, in malo licet provecto, egregios ſecundum *Monroo* effectus edidit.

Integras apud Batavos familias a ſcorbuto ſanatas *Swieten* refert per continuatum cereviſiæ potum vel uſum, quæ cum braſſica rubra, naſturtio aquatico, & raphano ruſticano fuit parata.

In defectu vegetabilium aliorum angli radicem ſolani tuberoſi cum aceto nautis exhibuerunt. Quæ radix, ut vegetabilia quævis cruda adhibita, magis juxta *Blane* prodeſt, quam cocta. At crudam hanc radicem non quivis feret ventriculus. Pini ſylveſtris decoctum *Lindio* laudatur.

Atque ubi ſub hactenus dictorum uſu vires emendatæ fuerint, ad ſtimulos fixos, ad corticis decoctum devenire licebit, quod noceret juſto maturius exhibitum, quia ſtimulis fixis debiliores offenduntur. Atque hinc eſt, cur in ſcorbuti cura cortex quibusdam ſit laudatus, aliis vero vituperatus,

tus, prout momento aut congruo, aut minus congruo adhibebatur.

Decocto corticis elixir vitrioli Mynsichtii bene additur:

℞. Cort. peruv. electi unc. j. coque cum
Aquæ fontis s. q. per ½ horam.
Colaturæ libr. j. adde
Elixir vitrioli Minsichtii scr. j. dr. ß.
Syr. cort. aurantior unc. j. scr. jß.
Signetur omni bihorio vasculum ß.

Cum usu hujus decocti vinum *Lindii* continuari adhuc potest.

Selle laudat elixir antiscorbuticum ipsi sic dictum sequens:

℞. Extr. aquos. trifol. fibrini.
— centaurii minoris
— fumariæ.
— rad. graminis aa. unc. ß. solve in
Aquæ flor. chamom. libr. iv. adde
Spiritus cochleariæ unc. jj.
Olei vitrioli albi dr. jj.
Signetur mane, & vesperi cochlear. j.

At multiplicata sine necessitate videntur extracta, dein nimia est quantitas liquidi, & nimis parva dosis remedii per diem ingerendi. Bona ceterum compositio, nam amara, ut absynthium, centaurium, gentiana, hinc & illorum extracta in aqua soluta, addito elixirio acido *Halleri* &c, in scorbuto sane conveniunt. Siehe Baldinger von den Krankheiten einer Armee, zwente Auflage.

Sudorifera quibusdam laudantur, sudores quidem profusi prodesse nequeunt, quia debilitatem augent. Proderit tamen in magna cutis siccitate, cum debilitate juncta leni cutis perspirationi studere per stimulos moderatos, pulverem, v. g. Doweri, qui vero non ut diaphoréti-

reticus confiderandus, fed ut ftimulans, opioque fomnum concilians admodum proficuum.

Atque in eodem hoc cafu, eodemque fine balnea tepida profunt, quæ cum omni corporis fuperficiei externæ applicentur, potenter agant neceffe eft, præfertim, fi herbæ aromaticæ, majorana, lavandula, infufæ, aut vinum additum fuerit, modo ægrotantes debiliores odore non offendantur.

Balnea item arenarum calida ad litora maris facile parabilia, tum a Gallo quodam, tum a *Blano* commendantur, fed quæ non requiruntur, ubi haberi priora poffunt.

Etfi fcorbutus totius fyftematis morbum fiftat, quædam tamen præ cæteris partes interdum afficiuntur, ideoque remedia topica fibi requirunt.

Dolor lateris punctorius, pleuritis fcorbutica, in periculofiffimam peripneumoniam interdum tranfiens, tractanda quidem ut ipfe fcorbutus afthenicus, juvat tamen veficans lateri affecto admovere, quod cito fæpe levat; cavendo tamen, ne veficam trahat, facile enim ulcus mali moris aut gangræna fuccedit, præfertim fi major jam ægrotantis debilitas fuerit.

Contra dolorem hunc pleuriticum, ut contra quemcunque a fcorbuto localem, profunt item fomentationes aromaticæ cum aceti aut vini quadam quantitate paratæ. Ruffi medici contra infignes crurum dolores unquentum juniperinum aut ex fambuci cortice mediano paratum inungunt.

Interne contra hos dolores, non ab acrimonia, fed a debilitate natos, cum cutis ficcitate incedentes prodeft acetum camphoratum omni bihorio ad cochl. j. exhibitum, fpiritus Mindereri, acetum theriacale &c.

Contra tumores crurum, qui aut ex cruore in vafis ftagnante, aut in telam cellularem effufo nati funt, conducunt fomentationes priores aromaticæ, conducunt vapores infufi cujusdam aromatici in partem ægrotantem linteo contectam admiffi;

pro-

prodest linteum fumo aromatico imbutum, vel aceto calido madefactum tumori impositum.

Maculae scorbuticae aceto calido secundum Anglos, vel spiritu cochleariæ secundum *Lud. Hoffmannum* cum fructu lavantur.

Ulcera foetida scorbuticorum, quæ sanationi per menses resistendo tædia medentibus plurima adferunt, licet malum sistant ex totius systematis culpa natum, localem simul tractationem requirunt. His in nosocomio Hafniensi levis compressio adhibetur, alumen ustum, unquentum ægiptiacum, tincturave corticis applicatur, quæ stimulantia sunt. Moderati tamen, qui applicantur, stimuli sint oportet, ne hœmorrhagiam excitent. Aqua item sclopetaria Thedenii usum his ulceribus habere potest.

Proficuum in his ulceribus *Blanc* docuit usum externum succi citri 2—4 aquæ partibus diluti aut pro lotione adhibiti, aut linteis carptis excepti, aut etiam cataplasmati cuidam adspersi. Dolores ulcerum summi sæpe internum opii usum requirunt.

Gingivae fungosae, putridæ similem fere tractationem sibi requirunt.

℞. Infus. salviæ unc. viii. adde
Mellis communis unc. jj.
Spirit. vitrioli tenui q. s. ad gratam aciditatem.
Signentur pro gargarismate.

Fortiora ubi requiruntur, inservire gingivis lavandis sequens potest.

℞. Cort. peruv. selecti unc. j. coque cum
Aquæ fontis s. q. per ½ horam
Colaturæ libr. j. adde
Acidi muriat. dr. β.
Mellis communis aut rosati unc. jj.

Gin-

Gingivis fœtorem putridiſſimum ſpirantibus acidum muriaticum cum melle junctum ope penicilli applicari poteſt, aut tinctura myrrhæ. *Swieten* gingivas tales vult tangi acido muriatico, atque hoc ipſum poſt aliquot tempus ablui ope gargarismatis cujusdam.

℞. Aquæ ſambuci unc. iv.
Spirit. ſalis muriat. dr. j.
Mellis communis unc. j.

Selle ſolutionem aluminis cum melle roſato ad gingivas corruptas laudat.

Ubi gingivæ fungoſæ multum ſanguinis fundunt, atque propterea topica fortiora requiruntur, pulverem ex bolo armena, alumine uſto, vitriolo albo & myrrha conflatum *Lind* propoſuit applicandum.

Si fungoſitas tanta, ut ſiſti hœmorrhagia nulla arte queat, parte fungoſa abſciſſa lenia irritantia applicentur.

Salivatio ſcorbuto interdum accedens multum debilitans, multumque dolens, petit non adſtringentia, ſed emollientia, ſenſim ad acida leniora transeundo, perſpirationis alvique ſolutæ ratione ſimul habita.

Selle contra hanc ſalivationem aquam calcis, aut ſolutionem alcali vegetabilis ore volvendam ſuadet, atque prodeſſe putat aëre fixo, a quo parum *Frank* exſpectat.

Diarrhœa, dyſenteria ſcorbuto accedens, tractanda, ut quævis aſthenica, radice columbo, cortice ſimarubæ, peruviano &c. cum opio.

Hœmorrhagia narium methodum leniter roborantem interne petit, & auxilia chirurgica, narium nempe compreſſionem, obturationem.

Hœmorrhagiam uterinam in quadam ſcorbutica ceſſaſſe *Frank* vidit ſub uſu digitalis purpureæ.

Contra anaſarca cum ſcorbuto junctum roborantia proſunt cum diureticis; v. g. decoctum corticis cum elixirio vitrioli Mynſichti, cerevisia cum raphano ruſticano, aut cochlearia infuſa.

Cum facilis in ſcorbutum relapſus ſit, diu apud illos reſtituti qui videntur, in leniter ſtimulantibus & diæta ex animali & vegetabili conflata pergendum.

SY.

SYPHILIS.

SYPHILIS,

LUES VENEREA, GALLICA, NEAPOLITANA.

Syphilis juxta quosdam componitur ex συν & φιλεω, juxta alios ex ſus & philia.

Luis venereæ denominatio ſatis adæquata non videtur, quia non ſolum per commercium venereum, ſed contactu etiam multiplici alio communicatur. Luis gallicæ, neapolitanæ denominatio tum minus vera, tum etiam offendens eſt.

Difficile eſt definire hoc malum, niſi illud per cuncta velis deſcribere ſymptomata.

Juxta *Cullen* illius fere characteres ſunt: Morbus contagioſus poſt concubitum impurum ad genitalia natus, ulcera tonſillarum &c. cutis faciei præſertim ad marginem capillorum maculis corymboſis, pruneis, æruginoſis obſita, dolores oſteocopi nocte exacerbati, exoſtoſes.

Definitio hæc *Frank* minus placet, quia lues non ſolo coitu, ſed & alio contactu communicatur; dolores vero oſteocopi, exoſtoſis abeſſe poſſunt, quin lues deſit, utpote quæ lui ſero accedunt.

Secundum *Frank* lues venerea eſt morbus contagioſus; licet quidam luis contrahendæ occaſioni per annos ſeſe exponant, quin eam contrahant, ita ut immunitatem ab ea nacti videantur, hoc tamen non impedit, quo minus contagioſa dicatur. Nam & alii morbi, variolarum exemplo, certo contagioſi id habent, ut poſt 60 ætatis annum quosdam corripiant, qui hactenus impune cum variolantibus converſabantur.

Plerumque chronicus, rarius quidem ob cauſas quasdam concurrentes, cito per gangrænam le-

lethalis fit. Sic Ticini tres ægrotantes *Frank* vidit ab eadem meretrice infectos, quorum alter ex gangræna penis intra 5 dies periit, alter graviter conflictatus est, tertius vero nonnisi leviter ægrotavit; sed & alia contagia, ut variolarum, diversos homines diverso cum periculo aggrediuntur;

Sponte incurabilis, luem sponte sanatam *Frank* non novit, si exceperit gonorrheam virulentam, aut contagiosam sic dictam. Sed hoc idem de lepra valet, quid quod lepra ne per artem quidem vix unquam sanetur.

Ut plurimum coitu communicatus, licet aliam in primo venereo originem habuisse necesse sit. Sed & alio contactu propiore partium epidermide spoliatarum aut tenui præditarum communicabilis; communicari potest fœtui per nativitatem sub transitu nempe per vaginam viru venereo exulceratam, an & jure hæreditario? Communicari potest per oscula lasciva, si oris ulcera adfuerint; infici lactantes a nutrice per oscula possunt, infici possunt per lactationem, at non lactis vehiculo, sed papillis mammarum exulceratis; sed & nutrix infici hac via potest, si lactans ulcera oris habuerit. Communicari potest per fistulas tabacarias, si ulcera labiorum adfuerint, per catheterem, per fistulam, quæ injiciendis enematibns servit, si urethræ vel ano exulceratæ prius applicata fuerint. Cutem quoque firmiorem transire virus venereum valet diutius humectatam; infici per manum obstetrix potest, dum diutius sub partu tractat genitalia exulcerata, præsertim si cutem habuerit vel levissime fissam; infici possunt, qui operationem in loco ulceribus venereis tecto instituentes digitum sibi lædunt; infici possunt anatomici sub sectione cadaveris ulceribus deturpati.

An omnibus iis fides habenda, qui infectionis venereæ causam in id rejiciunt, vel quod latrinæ in hospitio insederint, vel quod cum infecto in eodem lecto decubuerint? An coitum, qui pudore aut

alia

alia de causa negatur a sacerdote, conjugibus &c. præcessisse putandum est.

Ceterum de contagiosa syphilidis natura per exempla funesta quam plurima nimis constat, ita ut virus venereum non solum coitu, sed quovis contactu propiore, quemadmodum lues flumensis &c. communicari dicenda videatur.

Quemadmodum variolæ, ita & lues venerea communicari potest per insitionem, ut tractatu de lue venerea per experimenta demonstravit *Joannes Hunterus*, qui vel maxime legendus chirurgis, quia morbos viarum urinariarum optime exposuit. Cujus antidoton in mercurio solo habetur, sine quo quidem *Frank* luem sanatam nullam novit.

In regionibus calidis sanari quidem dicitur per lignum guajacum. Et *Udalricus Hutten*, qui in regione non adeo calida vixit, de propria lue loquens refert, se postquam sæpius mercurium sine fructu adhibuisset, per lignum guajacum esse liberatum. Sed quæri potest, num lue adhuc laboraverit *Hutten*, num laboraverint reliqui, sanati qui per guajacum putantur.

A quibusdam acidum nitricum, a *Zeller* acidum muriaticum pro lue sananda est laudatum; successum *Frank* in clinico non vidit. An forte prosunt hæc acida post luem curatam, ubi ob summam debilitatem dolores artuum continuant? Nec quivis sane artuum dolor a lue est.

Circa primam luis origenem variæ habentur sententiæ.

Juxta *Rudolphum Vogel* ex immoderato veneris usu nata est. At cur morbus passerum lues non est? Cur quidam in veneris exercitio immodicissimi lue non laborant? Quidam luem natam putant in regione quadam calidiore a morsu vel ictu animalis cujusdam venenati v. g. serpentis. Quod vix probabile, cum hisce temporibus, ut apud nos ita & in regionibus calidis nonnisi contactu oriatur. Docent insulæ felices maris meridionalis, quæ non ita pridem a lue immunes fuerunt,

runt, donec ab Europæis navigantibus inficerentur.

Juxta *Hunterum* luem veneream ab animali homo non contraxit, cum nullum animal, domesticum saltem, invenerit, quod inficere viru venereo potuisset.

Nonnulli luem endemicam alicubi fuisse putant, natam ex concursu certarum causarum sub datis positionibus agentium, cujus dein contagium ad alios per commercium corporeum transiisset, ita ut pestis more populariter quondam incederet. Sic luem in agro romano sub Alexandro Papa frequentem ab inundatione & aquarum stagnantium effluviis repetierunt *Leon* & *Fallopius*.

Nec sane improbabilis hæc opinio, cum elephantiasin Arabiæ endemicam commercio traximus. Nec porro improbabilis est ob morbum quemdam lui venereæ sat similem in Canada quondam epidemice grassantem, cum vix verisimile sit in Canada, quæ provincia Gallis olim, dein Anglis subjecta vixit, communem nostram luem ante illam epidemicam prorsus fuisse incognitam.

Nec etiam improbabilis ob morbum quemdam, qui non ita pridem in quadam Hungariæ provincia populariter grassatus est, lui venereæ in multis simillimum. Occupavit vero hic morbus anno 1800 omnes fere comitatus Temesvariensis pagos atque integras familias prehendit. Non multo post maris hungarici litora, Fiume &c. petiit, cujus originem quidam repetierunt a nautis e regno turcico redeuntibus, qui lue infecti id malum propagassent.

Morbum hunc flumensem optime descripsit *Gambieri*, qui eum confert cum morbo simili contagioso, qui seculo medio elapso in Scotia & paulo serius in Canada epidemice grassabatur, hac tamen intercedente differentia, quod in Hungaria mitior fuit.

Ex *Gambieri* aliorumque medicorum relatione sic statuit *Frank*:

1. Raro communicatur coitu, ſed utenſilibus, quæ ad menſam &c. pluribus inſerviunt.

2. Qui per coitum afficiuntur, ii medorrhœam, aut ulcera genitalium vix offerunt.

3. Gravidæ quædam infectæ proles ediderunt eodem malo laborantes.

4. Quidam infantes ſuxiſſe id malum cum lacte videbantur.

5. Quidam impune cum infectis verſati ſunt, aut & coitum impune celebrarunt.

6. Quidam ſponte ſunt ſanati.

7. Alii ſunt reſtituti lotione cum ſolutione vitrioli cuprei facta, aut inunctione linimenti picei.

8. Partes externas hic morbus potiſſimum amat, vix aggreditur internas.

9. Nec aggreditur ſyſtema lymphaticum, nunquam enim bubo comparet.

10. Per annum & ultra hic morbus tenet, quin labem ſcorbuticam aut vitium quoddam aliud exhibeant ægrotantes.

11. Nullum habetur exemplum, morbum fuiſſe ſolum lethalem.

S y m p t o m a t a morbi fuerunt ſequentia:

a) Dolores oſteocopi, brachiorum, femorum, ſpinæ dorſi, noctu exacerbati, die 8—30 poſt infectionem nati.

b) Vox rauca, deglutitio impedita, rubedo faucium &c. cum veſiculis albis purulentis uvulam cito conſumentibus, quæ per nares propagata cariem ibidem inducunt, unde materia ſtillat fœtidiſſima.

c) Comparentibus his ulcuſculis dolores oſſium vel ceſſant, vel plurimum mitigantur.

d) Ceſſant item, dum cutis pruriens effloreſcit.

e) Effloreſcentia cutanea variis in partibus contingit, atque apud varios varia eſt; modo puſtulæ comparent minimæ, caput aciculare vix excedentes, coloris prunei, cuprei cum fungoſa cutis mollitie, vel pſoram referunt, niſi quod leviore pru-

ri-

ritu ſtipentur; interdum herpetis rodentis formam aſſumunt, & humorem exulcerantem fundunt.

Infantes aliique cute ſenſibiliore donati cutem puſtulis intermediam tenſam exhibent, protuberantem, atque eryſipelate quaſi tentatam.

f) Qui oris ulcera gerunt, ad cutem vix efflorefcunt.

g) Ubi per annum & ultra duravit malum in pectore, collo, facie, ad frontem, in limite partis capillatæ tubercula variolis ſimilia coloris prunei aut cuprei aſſurgunt, pure fœtido, tenaci repleta, ſquammas relinquentia, quales relinquere achores, vel favi ſolent. Parum hæc tubercula pruriunt, & niſi validius premantur, vix dolent, ſquammis deciduis plaga æruginoſa ſplendet.

h) Exſurgunt ulcera genitalium modo ſuperficialia cum ichore tenui, modo profunda, fungoſa cum ichore craſſo, marginibus calloſis, & circulo prærubro.

i) Interdum ulcera lata ad talos pedum &c. criſtis tegenda craſſis.

k) In unico nonniſi caſu ulcera cutanea ſanata excepit medorrhœa urethralis, quæ ceſſavit redeuntibus in cute ulcuſculis,

l) In unico caſu capillorum defluvium, raro exoſtoſis.

m) Malum admodum inveteratum nonniſi mercurio ceſſit.

Opinionem ſuam circa epidemiam hanc flumenſem ſequentibus *Frank* exponit:

A. Morbus hic a lue venerea paſſim obvia admodum differt, nam

a) Lues venerea coitu contrahitur, non contrahitur morbus flumenſis, vide ſupra Num. 1.

b) Lues coitu contracta ad genitalia primum ſe prodit, non ita morbus flumenſis; vide ſupra Num. 2.

c) Lue affecti ſponte nunquam ſanantur, ſanati referuntur ex malo flumenſi, vide ſupra Num. 6.

An

An qui ſponte ſanati dicuntur, malo flumenſi revera laborarunt, an præter cutis impetiginem alterius forte indolis alia etiam ſymptomata malo flumenſi familiaria exhibuerunt?

d) Cauſticis non ſanantur affectiones genitalium venereæ, quæ affectiones in malo flumenſi ſanatæ habentur per vitriolum cœruleum, vide ſupra Num. 7.

e) Lues aggreditur ſyſtema lymphaticum, non aggreditur morbus flumenſis, vide ſupra Num. 9.

f) Lues venerea neglecta lethalis eſt, non eſt flumenſis, vide ſupra Num. 11.

g) Dolores oſteocopi in malo flumenſi die ab infectione 8—30 erumpunt, lit. *a*; ſerius in lue venerea comparent.

h) Comparentibus oris ulceribus, aut efflorescentiis cutaneis dolores oſteocopi diſparent in morbo flumenſi, lit. *c*—*d*; non diſparent in lue venerea.

i) Frequentes in lue exoſtoſes, raræ in morbo flumenſi, lit. *l*.

B. Quædam tamen & lui venereæ & malo flumenſi communia ſunt.

a) Dolores oſteocopi noctu aucti, lit. *a*.

b) Oris ac narium ulcera ſerpentia, lit. *b*.

c) Pruritus cutis levior, quam ille eſt, qui in pſora cruciat; lit. *e*—*g*.

d) Color cutis æruginoſus poſt cruſtas deciduas remanens, lit. *g*.

e) Malum utrumque inveteratum ſolis mercurialibus cedit, lit. *m*.

f) Malum flumenſe multam affinitatem habet cum epidemia ſcotenſi, ſibbens dicta, atque canadenſi, quæ utraque pro lue venerea eſt declarata.

Epidemiam ſcotenſem deſcripſit *Gilchriſt* in *actorum ſocietatis phyſicæ Edinburgenſis* vol. III. art. II. pag. 154 Edinburgi edito. Dein *Jacobus* chirurgus quidam Dumfrienſis. *Bell* in *tractatu de gonorrhæa, & lue venerea.*

Mor-

Morbus sibbens & flumensis conveniunt:

α. Morbus sibbens incipit cum pustulis uvulæ, amygdalarum, genarum internarum, labiorum, angulisque oris materia puriformi contectis, exulceratis, ut flumensis; lit. *b*.

β. Morbus sybbens ossa saltem duriora raro aggreditur, ut flumensis, lit. *c*.

γ. Morbus sybbens interdum more herpetis exedentis aut forma pustularum variolis similium, crustosarum se prodit, ut flumensis, lit. *g*.

δ. Morbus sybbens communicatur tum infantibus, tum adultis per utensilia, vestimenta, decubitum cum affecto, per lactationem, ut flumensis, Num. 1. Unde fors usus calicis aut vini post communionem sacram præberi soliti damnandus.

ε. Morbus sybbens coitu contractus nunquam medorrhœam aut bubonem induxit nisi secundarium, ut flumensis, num. 2.

ζ. Morbus sybbens psoræ utut similis ab ea tamen differt, quod ut morbus flumensis cutem incrassatam attollat; lit. *e*.

η. Ut contra luem ita contra sybbens, & malum flumense remedium præcipuum in mercurio habetur, lit. *m*.

In eo tamen morbus sybbens differt a malo flumensi, quod ille excrescentiis cutis amplioribus, fungosis stipetur, cum hoc non nisi ulcuscula offerat crustis tecta, lit. *e*.

Morbus item canadensis, quem descripsit *Shwediauer* in *tractatu de morbis venereis* 1788 edito, in multis cum flumensi convenit.

A. Morbus canadensis admodum contagiosus absque coitu nascitur, sed per fistulas tabacarias, aliaque utensilia propagatur, vixque genitalium sed oris ulcera exhibet.

B. Dolores osteocopi, erumpentibus oris ulceribus, aut efflorescentiis cutaneis, in malo quoque canadensi disparent.

C. Morbus canadensis ulcera prurientia, herpetica offert, offert exostoses. Per annos neglectus red-

redditur lethalis, pedibus &c. exulceratis per gangrænam peſſumdatis.

Atque ex allatis *Frank* concludit:

α. Luem flumenſem convenire cum malo ſybbens, magis vero cum canadenſi, atque pro eodem cum utroque morbo eſſe habendam, licet quædam differentia intercedat, quæ vero formam, nequaquam eſſentiam conſtituit.

β. Malum flumenſe, etſi differre juxta Num. 2. 6—9 a lue venerea videatur, propter reliqua tamen phœnomena atque proficuum mercurii uſum pro lue venerea eſſe tractandum.

Cum vero malum hoc flumenſe ita fuerat, ut metuendum eſt, ne generationem peſſumdet, inprimis curandum, ut infecti comperiantur, atque a ſanis ſegregentur; ſani vero doceantur, quid ſibi agendum ſit, ut ſani ulterius maneant.

Atque ut morigeram medici experiantur plebem, epiſcopus, ut in epidemia quavis alia, rogandus erit parochos, ut perſuadere conentur ſuis fidelibus, magiſtratuum atque medicorum conſiliis ipſis eſſe parendum.

At quænam mercurii præparata adhibenda?

Frank, — licet *Buonora* a ſublimato corroſivo ſibi metuens remedia vegetabilia cum frictionibus mercurialibus, & aqua phagadenica, alius quidam miſturam gummoſam *Plenkii* conſuluiſſet, — ſublimatum corroſivum a *Gambieri* propoſitum adhibendum ſuaſit, quia ulcera oris &c. cito ſerpentia remedium ſtrenuum petunt, quale ſublimatus corroſivus ſiſtit, qui monente *Bellio* ſymptomata graviſſima, deſperata, aliis præparatis mercurialibus non cedentia cito ſæpe tollit. Lubens quidem concedit, ſublimati corroſivi uſum arbitrio paganorum, atque chirurgorum minus peritorum permitti non poſſe, at idem de quovis præparato mercuriali valere putat. Adeoque curandum erit, ut ſublimatus corroſivus ſub medicorum expertorum ductu adminiſtretur. Hinc e re erit infectos in noſo-

co-

comiis vel jam exſtructis, vel adhuc exſtruendis medicis exercitatis committi.

Quænam luis venereæ in Europa antiquitas?

Henslerus in *luis venereæ hiſtoria* multis demonſtrare annisus eſt argumentis, luem ab antiquiſſimis retro temporibus fere ubique locorum exſtitiſſe.

Contra quem inſurgens *Girtannerus in tractatu de lue venerea*, tertia vice edito, luem a Columbo ex America in Europam eſſe allatam defendit.

Difficulter hanc litem dirimi poſſe *Frank* putat, magnum tamen contra *Henslerum* ipſi argumentum videtur, quod nulla luis deſcriptio apud medicos ante Americam detectam viventes occurat. An veroſimile eſt, omnes omnium ævorum medicos ipſosque Græcos, qui multorum morborum picturas diligentiſſime elaboratas nobis reliquerunt, an veroſimile eſt, adeo ſegnes hos omnes circa luem vixiſſe, ut eam aut non obſervarent, aut obſervatam non deſcriberent?

Multo communior *Girtanneri* opinio eſt, quæ luis venereæ in Europa comparitionem a Columbi ex America reditu repetit, qui 4 Martii 1493 contigit. Adoptarunt hanc opinionem *Boerhaave*, *Swieten*, *Aſtruc*, *Cullen* aliique.

Probabilitas huic opinioni accedere videtur, quod in obſidione Neapolis per Carolum VIII. Galliarum Regem anno 1494 ſuſcepta milites illius luem contraxiſſe dicantur a meretricibus neapolitanis urbe pulſis, ubi mali neapolitani nomen traxit; quamquam non deſint, contrarium qui defendant, atque denominatione morbi Gallici inſigniendam exiſtiment. Atque ab ulterutra hac origine, quarum neutra demonſtrari poteſt, ad cæteras nationes tranſiiſſe multis creditur.

Stare pro hac opinione videri poteſt, quod poſt tres a Columbi reditu annos frequens per omnem Europam lues comparuerit; nam teſtante quodam

dam ſcriptore anno 1496 omnis late Europa hac lue contabuit.

At cum ſub obſidione neapolitana prima luis mentio fiat, an tam anguſtum temporis ſpatium ſuffeciſſe dicemus, ut in omnem partem per coitum propagaretur? an & aliis modis propagatam dicemus, an jam prius exiſtentem aſſumemus?

Certe in Italia jam ante Columbi ex America reditum quædam luis ſymptomata memorantur obſervata. *Antonius Comenus* poëta 1489 canit: ne confidatis natibus, ſunt omnia ficta, inde calet culus, inde ficus, inde mariſcus &c. & alio loco: Si non ſanaveris priapum, decedet.

Sed quæri poteſt, num luem hæc loquantur, an ſolum gonorrhæam virulentam, quam vel ante hunc ſcriptorem adfuiſſe neceſſe eſt. Conſervavit enim *Frank* in *politia medica* legem multo ante Columbi reditum per Annam Reginam neapolitanam latam, quæ præcipit, ut meretrices in certis ædibus conſervatæ omni ſeptimana examinentur circa genitalia, ne viris cöeuntibus largiantur morbum uſtionis ad urethram. Similis lex jam ſeculo XIII. in Anglia lata, quæ meretrices bis in ſeptimana examinare jubet, ne malum uſtionis viris communicent.

Cum hanc gonorrhœam, utpote jam prius præſentem, afferre ex America Columbus non potuerit, dubitari fors licebit, num ipſa lues epidemica Canadenſis &c. in noſtris terris nata.

Scriptores antiquos omnium nationum de morbo ſyphilitico agentes collegit *Aloyſius Luiſini* Udinenſis, tomis duobus Venetiis 1566 editis. Quos vero hic prætervidit, collegit *Chriſtianus Gruner* in *aphrodiſiaco* in partes duas diſtributo, Jenæ 1788 in folio; & in opere, cui titulus eſt: *Scriptores de morbo Gallico partim inediti, partim rari*, Jenæ 1793 in octavo.

Lues appellatur morbus a coitu impuro &c. ortus, ubi virus in humores ſuſceptum omne ſyſtema afficit, atque effectus producit inferius deſcribendos. Ubi tantum pars immediate affecta labo-

rat,

rat, luis titulo non inſignitur, quia malum ſiſtit mere locale. Inter mala vero venerea localia pertinent medorrhæa contagioſa, phymoſis, & paraphymoſis, bubo, inflammatio teſticuli, ulcera primaria, excreſcentiæ variæ.

Medorrhæam virulentam coitum impurum inſequentem indolis venereæ non eſſe, penitusque a lue differre cum *Simone & Tode*, *Frank* defendit. Argumenta pro hac ſententia, quæ expoſita habentur in *Epitomes* vol. V., ubi de urethræ inflammatione ſermo eſt, ſunt fere ſequentia:

a) Lues venerea ſponte nunquam ſanatur, ſponte plerumque ſanatur gonorrhæa virulenta, niſi perverſa vivendi ratione exaſperetur.

b) Lues ſanatur mercurio, qui in gonorrhæa virulenta aut obeſt, aut per accidens ſolum prodeſt; gonorrheæ enim ſanatio cito plerumque ſine mercurio ſuccedit.

c) Gonorrhœam rite tractatam, ſub qua urethra non exulceratur, raro juxta *Tode*, nunquam juxta *Frank* lues ſequitur; an quia ſine ſolutione continui per exulcerationem contingente reſorptio virus venerei locum non habet?

Quod quidam ex coitu impuro & medorrhœa & lue afficiantur, *Tode* explicat, quod virus adfuerit duplex, nec dubitat, quin & ſcabiem ſimul contrahere vir poſſit, ſi illa ſimul laboraverit fæmina.

Nempe, ſi vir cum fæmina coëat medorrhæam vaginalem virulentam absque ulceribus paſſa, medorrhæam urethralem contrahet, quæ ſponte ſanabitur absque lue inſequente, quemadmodum naſci poteſt ſponte ſananda, dum injectio in urethram vix acriuſcula inſtituitur. At ſi congreſſus fuerit cum fæmina ulcera genitalium paſſa, ipſeque exulceratus fuerit, luem facile experietur, quia locus exulceratus reſorptioni favet.

d) Medorrhæa morbum mere localem, lues vero malum univerſale ſiſtit.

e) Medorrhœa diu ante luem fuit cognita.

f) Lues

f) Lues absque medorrhæa plerumque incedit, aut illa jam pridem sanata hæc interdum restat ex causa mere locali.

Difficultas tamen circa tertium potissimum argumentum premit. Tractavit enim *Frank* ægrotantes, quos ob artuum dolores osteocopos noctu exasperatos &c. venereos habuit, in quibus per accuratissimam licet inquisitionem ulcerum ad genitalia quondam perpessorum indicium detegere non potuit. An jam gonorrhæam virulentam sine exulceratione incedentem insequi luem posse admittendum erit?

Tractavit in clinico Ticinensi tres rusticos doloribus osteocopis noctu exasperatis laborantes, qui post coitum impurum gonorrhæam se passos esse fatebantur, cicatrices vero ad genitalia non offerebant. Mercurium forma varia per 6 septimanas sed frustra omnino adhibuerunt. Duo abeunt non sanati, tertius balneis, pulvere Doweri, amaricantibus postea quidem levatur, nec tamen in integrum restituitur. An a lue hi dolores fuerunt? Et si non fuerunt, cur nec aliis remediis sunt ablati? Miles gonorrhæam contagiosam olim passus, ante 4 annos cum doloribus ossium validis noctu exacerbatis in clinico Viennensi decubuit. Mercurius paucum nec satis constans illi levamen adfert; per alia, ut videbatur, remedia restitutus discedit. Redit post 6 menses cum doloribus iisdem absque nova causa; frustra sunt iterum mercurialia, restituitur per antimonialia cum opio; quidnam mali subfuisse dicas?

Alius item ægrotans ulcera genitalium nunquam passus cum doloribus osteocopis &c. in clinico decubuit hoc anno. Mercurialibus levari visus, mox pejus habuit; serius ut prior sanatur.

Quemadmodum medorrhæa virulenta, ita phymosis, paraphymosis, bubo, circa quæ vide *tractatum de gonorrhæa in epitomes* vol. V. indolis venereæ non sunt, nec luem post se trahunt, si ulcus non subfuerit.

Syphilidis initium in cancro vel potius in ulcere venereo consistit. Hinc ulcera venerea rectius cognovisse, atque ab aliis distinxisse, multum interest, quia lues ex iis sequitur, si puris resorptioni locus concedatur.

Meliorem luis cognitionem dabit ulcerum divisio, & accurata symptomatum descriptio.

1. Ubi non multo post infectionem per coitum, osculum lascivum, suctionem mammarum ulcus ad genitalia, vel alibi nascitur, antequam aliud luis symptoma compareat, ulcus venereum primarium, locale, id sistit; in matris venereae filiolo ulcera venerea ad genitalia vel maxime sita *Frank* conspexit.

2. Si dictum hoc ulcus perstiterit, omne systema afficitur, novaque oriuntur ulcera, quae a lue universali pendentia symptoma illius constituunt ulcera venerea secundaria, symptomatica.

3. Interdum ulcera hactenus venerea cessant esse talia, nam alios non amplius inficiunt, symptomate luis stipantur nullo, per mercurialia adeo non sanantur, ut pejora reddita potius augeantur, ulcera aut accidentalia, aut mere localia. Quae cum ex mercurii pro lue sananda adhibiti oriantur abusu, mercurialia item dici possunt, quae per opium, corticis decoctum, aliosque stimulos tum fixos, tum volatiles adhibitos saepe sanantur.

Huc spectant ulcera nata ex malo quodam alio cum lue juncto v. g. scorbutica, scrophulosa, post luem sanatam vel continuantia, vel exorta.

4. Ulcera genitalium non venerea ex variis causis venientia insontia, benigna dicta. Sic foeminae fluor albus insons diu durans acrimoniam contrahere tantam valet, ut excoriet vaginam, atque viri coëuntis penem. Sed superficialis haec excoriatio est, nec inficiens, & per aquam Goulardi, acetum lythargirii intra dies 6—8 sananda, quin lues sequatur. Idem in viris ex medorrhaea instanti

ti fieri poteſt, puritatem membri ſi neglexerint, vel præputium anguſtum habuerint, quo materia effluere impedita acris redditur, atque corrodens. Quod tenendum ad rixas prævertendas aut componendas, quæ interdum inter conjuges ob coitus illiciti ſuſpicionem exſurgunt.

Exulcerata *Frank* vidit genitalia in ſacerdote pingui, qui ſumma cum probabilitate infectionem non admiſit, quæ poſt 5 dies exſiccata ſunt, quin poſt 12 annos luis ſignum comparuerit.

Ulcera genitalium hujus faris accidentalia audiunt benigna, non quod benigna ſemper ſe præſtent, ſed quia ab infectione venerea non pendent; ſimilia genitalium ulcera inſontia apud *Celſum* occurrunt. Contra quæ, ſi male olerent, aquam lentium cum melle pro lotione commendat; ſi latius profundiusque ſerperent, amphaceum cum melle, æruginem, unguentum ægyptiacum. Narrat etiam ulcera ad cremaſterem ſita, pus tenue fundentia, glandemque eroſo membro cadentem.

Nec tamen hæc ulcera ad morbos venereos pertinuiſſe videri cuidam poſſunt, cum nullum luis ſymptoma memoretur, nec malus effectus a ſanatione acceſſerit absque mercurialibus obtenta, cum ulcera vere venerea ſecundaria nonniſi per illa ſanentur.

Nimius hinc *Cullen* eſſe videtur, qui ut infectionem præpediret, contra quodvis genitalium ulcus mercurium exhibuit, cum dentur ex medorrhæa, fluore albo inſonti nata, facile & absque damno ſananda. Inter centum, pro quibus *Frank* conſulebatur, forte 90 fuerunt, qui venerei aut nunquam exſtiterunt, aut eſſe diu ceſſarunt, ita ut methodo longe alia ſanandi eſſent. Huc pertinet fœmina nobilis varrenſis, quæ, quod fluorem album eſſet paſſa, 16 mercurii uncias ! ! adhibuit, dolensque dein ad fauces, lapide cauſtico bis tacta eſt, ut ulcera, non viſa ſed imaginata, deſtruerentur. Unde ad incitas fere redacta clysmatibus nutrientibus, donec deglutiendi facultas rediret, ægre refo-

cillata, dein diæta nutriente atque corticis decocto post plures tandem menses est restituta.

Nil tamen impedit ulcera hæc accidentia, non venerea, fieri admodum impura, saniosa, cariosa, venereis simillima. Nam, ut aliæ corporis partes, ita & genitalia herpete, lepra græcorum occupari possunt. Exemplum *Frank* vidit in Polono nobilissimo fere 70 annorum, qui apoplecticus per balnea Badensia utcunque restitutus ulceribus tentatur genitalium, ani, brachiorumque omnem telam cellulosam corrodentibus cum marginibus callosis, quin causa venerea præcessisset. Indolem horum ulcerum veneream, licet illam asseruissent alii, *Frank* negavit, repetens ea ex hœmorrhoidibus alias fluentibus, nunc restitantibus, a quibus in aliis restitantibus intolerabilem observavit pruritum. Sanatus est applicata mucilagine seminum cydoniorum & assumto cremore tartari cum floribus sulphuris juncto, atque diæta arctius aliquantum contracta.

Ulcera vere venerea localia, ob indolem depascentem cancri dicta, a viru specifico parti cuidam immediate applicato originem trahunt, atque pro ratione sedis, subjecti, cui applicatur, & pro ratione temporis, quo fuit paratum, differunt, ut docent illi, qui ab eadem meretrice cum eventu admodum dispari sunt infecti. A viru venereo deglutito vix metuendum *Frank* putat.

Virus venereum cum varioloso & rabioso in eo convenit, quod inseri possit; differentia vero in eo est, quod variolosum absque insitione susceptum circa diem 20—24 se prodat, insitione vero communicatum intra dies 8—10 compareat, cum de tempore, quo virus rabiosum ac venereum erumpat, non constat. Post plures menses & annos erupisse utrumque dicitur, luolum post 20 adeo annos erupuisse a *Swietenio* refertur. At narrationibus similibus *Frank* fidem habendam non putat, sed infectionem multo recentiorem supponendam existimat, quæ ob vitæ conditionem, dignitatem

&c.

&c. celatur a ſacerdotibus, conjugibus &c uxores maritum ubique accuſant.

Per menſes tamen aliquot, antequam erumpat, dormire quaſi poſſe virus venereum, ſat probabile eſt. Dantur enim homines, qui lui contrahendæ occaſionem ſeſe dediſſe libere fatentur, cur jam non faterentur, ſi ante 2—4 ſeptimanas occaſionem dediſſent? quin ipſa adeo gonorrhœa virulenta teſte *Huntero* poſt 6 ſeptimanas prorupiſſe eſt viſa in homine, qui feriorem infectionis occaſionem faſſus eſſet.

Juxta *Joannem Hunterum* pus vehiculum eſt, quod inflammatione natum virus venereum continet, nam ad luem communicandam juxta eundem requiritur:

A. Ut inflammatio venerea præceſſerit.

B. Ut pus per illam formetur.

C. Ut pus formatum applicetur corpori ſano, & quidem

a) ad ſuperficiem tenera epidermide tectam;

b) ad vulnus inflictum,

c) ad fonticulum aliudve ulcus jam præſens.

Interdum tamen in hoc ultimo caſu inocculatio non ſucceſſit, an quia ſpiſſitudo puris in fonticulo hærentis actionem comitis venerei impedivit?

Stare pro *Huntero* videntur quidam, quos *Frank* novit, per annos venerei, qui ulcera non habentes cum uxoribus coierunt, quin ipſis luem communicarent. At contraria num non dantur exempla?

Opinio *Hunteri*, infectionem veneream absque ulcere locum non habere, vera videtur quo ad luem communem, non vero quo ad epidemiam flumenſem &c. quæ principio quodam volatiliori non exulcerante egiſſe videtur.

Juxta *Petit & Fabre* infectio venerea locum habere poteſt absque puris applicatione. Quam vero ſententiam plerique rejiciunt, quamque per experientiam comprobatam *Frank* nunquam vidit.

Prudentia tamen jubet, ut coitu cum ſanis luoſi abſtineant, quia ſemen eorum infectum eſſe

po-

poteſt, licet non admodum probabile id ſit; cum venerei proles ſanas progenuiſſe ſint viſi, cumque univerſi luoſorum humores infecti dici nequeant; cum lac venerearum absque damno ſuxerint infantes, modo ulcera mammarum non adfuiſſent.

Contagium luoſum, ut alia contagia ſpecifica, ſecretionis ope augeri ad inſignem quantitatem poteſt.

Ulcera venerea localia ſequenti modo enaſcuntur. Die plerumque 2—4 poſt coitum impurum oritur ad glandem, potiſſimum tamen circa frenulum, vel ad internam præputii ſuperficiem rubor, pruritus, calor, quæ interdum poſt 6 jam horas contingunt. *Hunterus* vero poſt 6 demum ſeptimanas aliquando contigiſſe vidit, quod utique mirum, ſed ideo negandum *Girtannero* non fuiſſet, nam, cum hic ægrotans faſſus eſt coitum ante 6 ſeptimanas celebratum, cur non eſſet faſſus recentiorem?

Mox extuberans papula quaſi miliaris aſſurgit fere pellucida, ad baſin ob inflammationem rubens, calens, pruriens, dolens dolore lancinante, rodente, cum puncto ad apicem albo ſuppurato. Papula hæc cito ſuppuratur, ubi apex complanatur, levi apertura hiſcit, atque paululum ichoris dimittit. Suppuratio hæc corrodens cito in latum, ac profundum ſerpit, unde ulcus augetur, labiis calloſis cingitur, quæ caracterem horum ulcerum juxta *Gardane* conſtituunt; pure craſſo, tenaci, ex albo flavo ſecundum egregium *Aſtruc*, in fundo ſcatet, quod effluens ob acrimoniam ſimilia in partibus vicinis ulcera excitat.

Nec ſemper ita mitis, ſed cum ſumma interdum malignitate res incedit, citiſſima enim, ſeu ex virus ipſius, ſive quod veroſimilius, ex prava ſubjecti conſtitutione, glandis eroſio contingit, accedente mox gangræna non ſananda, niſi glandis affectæ amputatione.

Cancris venereis rarius glans obſidetur, quam interna præputii ſuperficies, an quod muco unctuoſo

ſub

ſub coitu majore copia effluente defendatur, ut videtur *Guilielmo Huntero?* an quod facilius meliusque glans ablui poſſit, ut vult *Girtannerus?*

Ulcera venerea localia naſci ad quævis loca poſſunt, quæ tenuiore teguntur epidermide v. g. ad labia oris, ad linquam, papillas mammarum. Exemplum ulcerum venereorum in genis pueri a nutrice infecta deoſculati habetur in Sammlung praktiſcher Abhandlungen für Aerzte, Band VII. Seite 129. Quid quod etiam nata habentur in locis epidermide craſſiore tectis v. g. in brachiis obſtetricantium, vel quod cutem læſam habuerint, vel per diuturnos in pudendis parturientis infectæ labores maceratam ac emollitam. Ulcera venerea telam adipoſam præ reliqua cute conſummunt, ita ut muſculi nudi ruberrimi in brachiis &c. compareant.

Cicatrix ulcerum venereorum in medio formari incipit, cum in reliquis ulceribus ad peripheriam primum formatur.

Ulcera venerea localia differunt prout recentia, vel inveterata, pura vel impura fuerint.

Ulcerum venereorum a loco etiam, quem occupant, naſcitur diverſitas. Sic ſi infectio prehenderit glandulas oris, fauciumque, prehendere vero poteſt non ſolum poſt contactum immediatum, ſed etiam poſt ulcera genitalium iniquius ſuppreſſa, naſcitur inflammatio, cui ſuccedunt ulcera amygdalarum, veli penduli &c. lardacea cum margine calloſo (dum reliqua ulcera ad marginem rubent, & absque mercurio facile ſanantur juxta *Swietenii commentariorum* tom. V. §. 1445.) cum ſenſu exulcerationis, dolore, voce rauca, deglutiendi difficultate.

Circumſidentia tubam Euſtachianam hanc eandem exulcerant, eamque concreſcere faciunt, unde ſurditas. Nam ſane hæc tuba non ad id ſolum ſervit, ut, auctore quodam Gallo, depurari per eam auris interna queat; cur enim os apertum loquenti adverterent, qui auditu graviori laborant, aut attenti qui audire volunt?

Ante-

Antequam tamen de oris ulceribus ſtatuas, os probe eluendum, ut abluatur mucus tonſillaris &c. qui ſæpe diu adeſt, quin ulcera ſubſint, atque incautis pro ulceribus facile imponunt.

Ulcera oris venerea magna ſæpe tædia pariunt, amygdalas, palatum molle, atque oſſeum ſenſim exedunt, ad nares adſcendunt, oſſa ſpongioſa, vomerisque conſummunt, ichorem ſanioſum effluere faciunt, qui ozœnam veneream conſtituit, ſubſidere naſum in omne tempus faciunt.

Notandum tamen, non quodvis narium ulcus ozænam conſtituere, ſed illud ſolum, quod cum oſſium carie junctum eſt, notandum, ozænam etiam dari non veneream. Ulceribus narium venereis diutius neglectis corrumpuntur antra Highmori, ſinus frontales, oſſa maxillaria, ita ut unica nonniſi cavitas vaſta, horrenda compareat, in qua præter linquam vix quidquam reperias. Caſum hunc dirum vidit *Frank* in homine quodam, qui ſibi ipſi machinam ex ſpongia &c. fabrefecit, quæ naſum, atque palatum utrumque ſupplevit, ita ut prompte deglutiret, & ſatis diſtincte loqueretur, machina vero hac demta loquendi impotens nonniſi ſibilum edere valuit. Unde patere videtur, vocem in oris potiſſimum cavo formari, ideoque os poſſe comparari cum teſtudine aut fidibus. Cum hic idem uvulam fabrefactam aliquando deglutiiſſet, quin deglutiendi facultatem ammitteret, eam machinæ ſuæ non amplius inſeruit. An ergo ad deglutiendum in ſanis uvula non contribuit?

Ulceribus oris venereis muſculi faucium ſupra vertebras locati reliquaque deglutiendi organa ita deſtrui poſſunt, ut ingeſta per nares regurgitent, ut ipſæ vertebræ exedantur carie per ſpecillum detegenda.

Ab abſceſſu faucium venereo ſuſurrus moleſtus eſt viſus, qui ceſſavit abſceſſu rupto, & evacuato. A ſimili abſceſſu circa laryngem hærente aſthma lethale induci poteſt. Annulum laryngis vix

non

non omnem destructum *Petit* vidit, parte residua per artem ablata, sanitas tamen perfecta rediit.

Quibus fauces ulceribus venereis diu multumque exeduntur, illi facile ex phthisi tracheali vel & pulmonali pereunt, notante *Morgagnio*. Ratio est, quod ob continuitatem partium virus venereum & illuc sensim propagari possit, quod *Frank* comprobatum vidit. At hominem ex herpete venereo male tractato phthisicum vixque non conclamatum per lenes frictiones mercuriales Ticini ita restituit, ut post 10 annos crassum, atque robustum conspiceret.

Ulcera venerea in pulmone, aorta, in renibus *Morgagnius*, in hepate *Waglerus* vidit. Sed num hæc viscerum ulcera alterius forte originis fuerunt? Nunquam ea *Frank* conspexit; phthisin quidem veneream sanavit, an vero exulceratio adfuerit, quis dixerit? Tubercula pulmonum ex ulceribus venereis oriri hac ratione posse videntur.

Sæpissime tamen ulcera venerea ad genitalia utriusque sexus occurrunt, quia his plerumque sub coitu virus applicatur. Atque in fœminis ad os uterinum, in ipsius uteri superficiem internam, vel ad orificium urethræ cum dolore insigni e vagina propagantur. Quid quod perinæum interdum eroditur, ut fœces per vaginam exeant. Et si fœmina puritatis incuria dorso multum incubuerit, materia acris e vagina fluens ulcera similia circa anum cinguli in morem efficit, quod cingulum nasci item potest coitu impuro per anum celebrato, a quo serius ad vaginam transit malum. Quædam tamen fœminæ, quæ coitum perfectum non sunt expertæ, in labiis tantum majoribus ulcera gerunt, quemadmodum et viri occurrunt, qui ulcera in externa penis superficie ostendunt, quæ utraque contra *Astruc Swieten* defendit, consentientesque habet *Plencitz*, *Frank* et *Richter* in seiner chirurgischen Bibliothek, Band VI. Seite 566. An ideo genitalium externorum rariora sunt ulcera, quia virus venereum ablui facilius potest?

Ipsam

Ipſam urethram virilem *Alix* eroſam conſpeſpexit. Interdum glans penis cum ſummo dolore, vel eo usque eroditur, ut omnino cadat, quo facto urethra vel intra paucas horas concrescere poteſt, niſi catheter introducatur.

Varia in viru horum ulcerum eſt ferocia; mitius interdum videtur, nam lentius corrodit; ſic fœminæ per 10 annos laborantes non adeo male habent, cum alias corroſio citiſſima, atque gangræna ſphaceloſa contingit.

In cute ulcera venerea, niſi virus immediate applicatum fuerit, tarde plerumque erumpunt, ac luis radicatæ ſymptoma ſiſtunt, quæ in pueris quam adultis frequentiora, oblonga ſunt, compreſſa, pallide rubra, cum cute intermedia pallida, ſubſidente, colorem cupreum relinquentia.

Ex oſculis laſcivis natam *Frank* luem vidit, & puſtulas faciei conulos quasi referentes, cruſtis duriſſimis ultra pollicem craſſis obtectas, quales in cruſta lactea &c. comparent. Quas, cum ſublimato corroſivo, inuncto unguento mercuriali, atque cataplasmate emolliente impoſito auferre non poſſet, eas novacula pro maxima parte abſtulit, quo facto & unguento cum cataplasmate applicato intra 14 dies ceciderunt, & ſanitas perfecta eſt reſtituta, ab anno 1774 adhucdum durans.

Si impura diu relinquantur ulcera venerea, excreſcentiæ fungoſæ naſcuntur varie contortæ, variasque figuras referentes, de quibus infra.

Ulcera vero accidentalia ſub ſalivatione evenientia ex mercurii abuſu pendent, nam vel in ſaniſſimis ab uſu mercurii naſcuntur.

Quemadmodum ulcera a ſalivatione nata, ita & illa, quæ venerea quondam fuerunt, jam vero eſſe ceſſarunt, diu ad fauces &c. perſiſtere poſſunt, & medico perſuadere de lue, jam pridem ablata, adhucdum præſente.

Atque hæc ulcera, cum mere localia ſint, nec amplius inficientia, ſub ulteriori mercurii uſu exaſperantur cum reliquæ ſanitatis detrimento.

Cyril-

Cyrillus ſcorbutica hæc ulcera dicenda putat, quod mercurio pro lue ſananda adhibito ſanguis fuiſſet reſolutus. Poteſt quidem ſcorbutus lui accedere, nec tamen omne ulcus poſt luem natum erit ſcorbuticum.

Ulcera complicata naſcuntur a morbo quodam jam ante infectionem veneream præſente v. g. a diſpoſitione ſcorbutica, ſcrophuloſa, cancroſa. Ad naturam mali complicatam concludere licet ex eo, quod mercurius ad ulcera ejusmodi perſananda non ſufficiat, aut omnino noceat.

Sed & ulcera occulta attentionem ſummam merentur, tum quod facile prætervideantur præſentia, tum quod ſupponantur, ubi non adſunt.

Sæpius quam adſunt, ulcera accuſantur in medorrhœa urethrali; ratio videtur, quod, qui illa vidiſſe aſſerunt, decepti ſint ab adhærente materia puriformi, quam, ſi abluiſſent, in multis ſane caſibus cutem ſubjectam vidiſſent integram. Nam quemadmodum dyſenteria absque exulceratione inteſtini recti exiſtit, & nonniſi ab inflammatione, ac morboſa pendet ſecretione, ita & medorrhœa absque exulceratione fere incedit.

At ſi in urethra, quod interdum contingit, ulcera naſcuntur ab infectione venerea, luem quidem, vix vero medorrhœam inducent. Interdum tamen in urethra post coitum impurum ulcera naſci docent cicatrices in cadaveribus eorum repertæ, qui medorrhæa quondam virulenta laborarunt.

Aſtruc de morbis venereis lib. III. cap. 7. regulas ſequentes tradit, e quibus ad ulcus in urethra præſens concludas.

A. Pus parcius urethra exulcerata fluit, quam ſub medorrhæa. Quod quidem comprobatum *Frank* vidit, cum ulcera penis in apice illius hærerent. Dubiam tamen hanc regulam putat, quia ſub medorrhæa gravi, ſicca dicta, parum effluit.

B. In medorrhæa ſub erectione membri dolor percipitur ad perinæum, ſub ulcere ad extremita-

tem

tem membri. At dolor hic adesse absque ulcere potest.

C. Doloris sedem ægrotus ad radicem glandis indicat.

Non satis hoc valere *Frank* videtur, quia tractavit literatum gonorrhæa violenta laborantem in eodem semper puncto dolentem, quin ulcus adesset. An non sub oculi inflammatione dolor ad canthum internum fixus absque ulcere?

D. Callosum si ulcus fuerit, specillo aut candela immissa detegitur, hæc enim obstaculum deteget introducta, atque pure infecta extrahetur. Deteget quidem candela materia quadam tincta ulcus, at rem non dirimit, cum hactenus non habeamus criterium, quo pus discernatur a materia puriformi.

Has quidem regulas ita comparatas esse *Frank* putat, ut testari cum verisimilitudine de ulcere queant, interdum tamen rem dubiam relinqui, quemadmodum dubia relinquitur omnibus iis, quæ superius circa ulcera venerea dicta sunt, nisi diligens in prægressa inquisitio, multusque usus cognitionem adjuvent. Nec nimis properandum esse arbitratur in statuenda ulcerum indole, ne famam, atque sanitatem affectorum laceremus. Denique plurimum interesse, ut ægrotantes se non committant agyrtis, a quibus tot mala sæpe referunt.

Interim, si gravis dolor in eodem urethræ loco fixus & tum adsit, ubi inflammatio jam ablata est; si cum materia effluente striæ sanguinis sæpius sint mixtæ; si minor materiæ effluentis sit copia, quam sub medorrhæa esse solet, ad ulcus cancrosum concludere licitum esse videtur. Confirmatur vero diagnosis, si symptomata non cedant illis remediis, quibus cedere sub medorrhæa solent, ita ut mercurialia sibi requirant, aut si absque data causa sæpius redeant; vel si ulcera, tubercula dura oris &c. impetigines cutaneæ simul adsint. Hic enim de lue confirmata dubium vix remanet,

nec

nec aliunde fere ſymptomata erunt ad urethram comparentia, quam ab illius exulceratione.

P r o g n o ſi s u l c e r u m v e n e r e o r u m p r i m a r i o r u m.

Ulcus venereum vix ſponte ſanatur, aut ſi ſponte ſanatur, luem fere poſt ſe trahit. Nec tamen cura mercuriali interna indiget. Nam quemadmodum ab inſitione variolarum interdum nonniſi locale malum naſcitur, quia diſpoſitio deeſt, ita interdum a viru venereo applicato malum mere locale oriri poteſt, quod tamen multo rarius in viro luoſo, quam varioloſo continget, ita ut major receptivitas pro viru venereo ubique adeſſe videatur.

Peſſima ſunt ulcera venerea ad frenulum ſita, quia urethram facile perforant, unde duplici via urina fluit, vide Goulards chirurgiſcher Werke, zweyten Theil §. 75. Dantur, qui a nativitate habent urethram aut bis aut loco alieno perforatam.

Glandem male perforatam pro cauſa divortii quidam habent, quod ſemen minori cum impetu ejaculatum non ſufficiat pro coitu fœcundo. At unde norunt phyſiologi impetum ſeminis ejaculati ad conceptum requiri? Contrarium docere videtur puella illa argentoratenſis, quæ gravida eſt facta hymene integro, atque vagina more virginalis anguſta, ita ut aſſertioni illius: coitum perfectum non eſſe admiſſum, facile ſubſcribas, licet iteratis vicibus ſemen genitalibus externis applicatum non negaret. An ſemen in hoc caſu cum impetu ad vaginam penetraſſe aſſerent, qui impetum ſeminis ad conceptionem requiri defendunt.

U l c e r a c a n c r o ſ a, quæ nigreſcunt, pro deploratis fere habenda. Ex nimia plerumque ſenſibilitate talia comparent, atque gangrænæ incipientis ſignum præbent.

In c u r a ulcerum venereorum primariorum, quæ mere localia ſunt, curandum vel maxime, vide **A u g u ſt F r i e d r i c h H e c k e r s** Anweiſung die

vene-

venerischen Krankheiten zu erkennen und richtig zu behandeln, zweyte Auflage.

1. Ut virus venerei reſorptio præpediatur, illud vel auferrendo, vel deſtruendo.

2. Ut ulcera nunc pura reddita perſanentur.

3. Ut effectus virus reſorpti tollantur.

Optimum ſane foret ipſa hæc ulcera prævenire per remedium quoddam ſpecificum, modo eſſet cognitum — acido enim nitrico, aut muriatico ineſſe non videtur — nec illud quorumdam effatum: tali remedio ſpecifico, quod innocuum reddere valeret virus venereum corpori applicatum, morum diſſolutioni viam regiam ſterni, tanti videtur, ut vel a publicatione vel applicatione talis remedii deterrere quemquam debeat, cum luis contrahendæ metus a coitu vago vix paucos retineat.

Interim, qui cavere ſibi renuit a coitu impuro, is luis contrahendæ periculum ſæpe avertet, ſi genitalium puritati plurimum ſtuduerit. Hinc poſt coitum illicitum genitalia probe lavanda ope aquæ ſimplicis, urinæ, aquæ ſaponis, calcis, aut inſpergendus pulvis cyprius &c. ut virus forte adhærens abſorptum reſorberi intra corpus impediatur. Nam dum virus venereum applicatur ad talem partem, qualem genitalia ſiſtunt, epidermide, aut tenera, aut nulla tectam, hac puritatis cura neglecta certitudo quaſi habetur luis aliquando futuræ.

Quamdiu venena contagioſa, antequam reſorbeantur, hærere poſſint ad locum cui applicantur, nondum tenemus, modo tamen citius, modo tardius reſorberi conſtat experientia. Notum eſt, quod ſi poſt plures dies locus a cane rabido demorſus, aut reſecaretur, aut cauſticis tractaretur, rabies non comparuerit; debuit igitur venenum rabioſum per omnes hos dies in loco demorſo hæſiſſe. Si poſt inſitionem variolarum cauſticum prima die applicatur, morbus varioloſus ſæpe præſcinditur. Idem de veneno luoſo valet; habentur enim exempla ulcerum venereorum primis diebus deſtructorum,

rum, ubi lues non eſt ſequuta, vide *Nisbet de morbis venereis*, capite XXX. §. 212.

In luis per citam ulcerum deſtructionem præpediendæ poſſibilitatem conſentiunt fere omnes, excepto *Fabre*, *Cullen*, atque *Cloſſius* in der zweyten Auflage über die Luſtſeuche, Tübingen 1799, ubi luem præverti poſſe negat per externam ulcerum tractationem, atque hinc in ſola eorum ablutione acquieſcendum putat, ac illico mercurium interne adhibendum.

At negligendam ulcerum tractationem *Frank* haud exiſtimat, quia luem ſæpe præpeditam novit; interdum tamen luem inſequutam vidit, ubi hinc citior veneni reſorptio facta videtur.

Sunt tamen caſus, ubi exſtirpatio, aut deſtructio virus venerei per localia locum non habet, aut non habet amplius. Locum omnino non habet, ſi major jam inflammatio adfuerit, ubi ſane nocerent cauſtica inflammationem augendo, gangrænam invitando, ut *Cloſſius* vidit; etenim ſolis hic emollientibus agendum. Fruſtra videtur ulcerum tractatio, ubi tamdiu durarunt, ut ad reſorptionem jam factam probabiliter concludere liceat.

Celſus de re medica, libr. VI. cap. 18. ad ulcera genitalium calcem cum auripigmento &c. applicandam ſuadet, aut loci affecti reſectionem. At non videntur fuiſſe venerea, quia nec de mali localis pertinacia, nec de malo effectu ſubſequente mentio fit.

Juxta *Tode* in der chirurgiſchen Bibliothek, Band I. Stück 2, Seite 108. pro lotione ulcerum venereorum 5—6 vicibus de die repetenda *Duncan* Edinburgi cum fructu adhibuit mercurii ſublimati corroſivi gr. j. in aquæ deſtillatæ unciis iv ſoluti.

Remedium hoc minus efficax *Frank* putat, atque ſufficere tum ad lotionem, tum ad injectionem inſtituendam, ſi mercurii ſublimati gr. j. in aqua deſtillatæ uncia i. pro ſubjectis vero ſenſibilioribus in unciis jj. ſolutum fuerit.

Simons ulcera venerea parva, nec nimis inflammata, ut eschara formetur, virus destruatur, atque resorptio impediatur, caustico aliquoties tangi præcipit, atque hac ratione sanationem intra paucos dies succedere asserit.

Huic fini ut lapis causticus ita & mercurius præcipitatus ruber inspersus, vel cum unguento quodam applicatus servire potest. Mercurialia topice adhibita vi caustica, non specifica, contra virus venereum agunt, nam mercurius cum viru venereo applicando junctus infectionem non impedit.

Qui virus venereum indolis putarunt acidæ, lapidem causticum commendarunt, non ob vim escharoticam, sed ob specificam. At licet mucum, in quo virus venereum hæret, demus esse acidum, ipsum etiam virus esse acidum demonstrari sane nequit.

Methodum *Cullenii* atque *Clossii*, qui præter caustica externe applicata illico mercurialia interne adhiberi volunt ad luis metum avertendum, *Frank* nunquam secutus est. Docuit enim *Girtanner* mercurium interne sumtum nil contra virus venereum posse, nisi illud in omne jam systema egisse symptomata loquantur. Atque si sub hac *Clossii* methodo lues sæpe non compareat, dubitare licebit, an ob mercurium adhibitum, an vero ideo non comparuerit, quia resorptio nulla est facta, ita ut nunquam comparitura fuisset.

Si lues præverti posset assumto mercurio antequam lues adest, a coitu impuro luosi sane non redderentur, qui in fodinis mercurialibus occupati largam omnino mercurii quantitatem in corpus suscipiunt. Nec ad luem a coitu impuro metuendam aliud requireretur prævertendum, quam ut ante & post coitum suspectum quædam mercurii portio inungeretur, aut ore assumeretur.

Girtanner vero — in der Abhandlung von der venerischen Krankheit, 3te Auflage contra cancros venereos primarios sic incessit: si dubitaret de natura cancri cujusdam genitalium venerea, si labia

callofa, & fundum lardaceum non detegeret, lotionem partis cancrofæ cum fequenti inftituit.

℞. Lapidis cauftici dr. β folve in
Aquæ deftillatæ unc. vi. cola per chartam.

Hujus liquidi partem aqua deftillata ita diluebat, ut ori immiffum mucum quidem abftergeret, fed ardoris fenfum non excitaret; dein ope hujus liquoris diluti genitalia affecta lavabat, donec effent depurata, atque nunc per aquam Goulardi ad fanationem ulcera perducebat. Ulcus vere venereum lavabat eodem liquido diluto; dein lintea carpta liquido priori non diluto madida ter quaterve de die applicabat, callo lardoque abfumptis Goulardi aquam ut prius adhibuit. Pro lotione aquam etiam calcis adhibebat, & eam, fœminis præfertim, 6—8 vicibus per diem injiciebat, ferius folutionem lapidis cauftici dilutam injecit.

Placet *Frank* hæc methodus; in fenfibilioribus tamen caute incidendum putat, ne forte inflammatio excitetur.

Ulcerum poft coitum impurum natorum deftructio impetratur quoque mercurio præcipitato rubro, mane ac vefperi infperfo, aut unguento præcipitati rubri parte j. cum unguenti bafiliconis partibus vj, viij compofito, & ope penicilli applicato.

Apud fenfibiles, fcorbuticos, dum cancris venereis præcipitatus ruber applicatur, a pauca illius quantitate adhibita jam excitatur falivatio, in quo cafu aliud efcharoticum adhibere præftat.

In magna partis affectæ fenfibilitate, inflammatione, efcharotica omnino non conveniunt, quia gangrænam facile inducunt, fed applicanda veniunt emollientia, tum lotionis, tum fomenti forma, dein unguentum digeftivum, ut fuppuratio fiat.

Inftante vero gangræna, quam ex fubita doloris ceffatione, flacciditate partis &c. arguere licet, decoctum corticis cum opio junctum fenfibilioribus vel maxime interne dandum.

Scopo ſtimulante intus etiam adhiberi bis ter de die ſequens poteſt.

℞. Opii puri gr. β—j.
Mercurii dulcis
Camphoræ aa, gr. j.
Sacchari albi gr. x. m.

Eſchara per cauſticum quodcunque inducta butyro inſulſo aut cremore lactis emollienda, quo citius cadat. Si poſt eſcharam ſolutam calloſitates leviores compareant reſiduæ eſcharotico iterando *Aſtruc* præfert unguentum mercuriale per dies aliquot continuos applicatum. *Frank* vero eſcharotica præplacent, utpote citius agentia.

Ulcera depurata, ſi aquæ Goulardi forte non obediant, ungento baſiliconis vel balſamo Arcaei deliganda ſunt.

Ad inducendam, rem hic magni momenti, cicatricem planam ac lævem *Aſtruc* inſpergere commendat tutiæ aut colophonii pulverem, quem vero neceſſarium *Frank* non putat. *Shwediauer* ulceri venereo per præcipitatum rubrum depurato adhibet aut unguentum mercuriale, aut ſolutionem mercurii ſublimati corroſivi in aqua calcis factam &c. aut fumos mercuriales in partem affectam admittit.

Cullen omne ulcus venereum etiam inveteratum ope præcipitati rubri admoti cito claudendum exiſtimat. At, ubi tale ulcus 10—14 jam dies duraverit, juſtiſſima reſorptionis jam factæ ſuſpicio foveri poteſt; adeoque, niſi periculum ex ulcere grandiori fuerit, non amplius claudendum videtur per eſcharotica, ſed illico, lues ſymptomata licet nondum adfuerint, mercurius interne adhibendus, ſub cujus uſu ulcera ejusmodi inveterata aperta relicta de mercurii in virus venereum actione medicum inſtruunt, depurari dum incipiunt. Si vero ulcera genitalium ſub frictionibus mercurialibus, aut interno mercurii uſu immutata perſiſtunt, aut faciem deteriorem aſſummunt, lues poteſt devicta cenſeri, & ulcera jam pro inſontibus me-

mere localibus confideranda; hinc folis externis tractanda erunt, adhibitis interne roborantibus cum opio, diæta nutriente, vinofa, aëre ruftica-no, fi debilitas per curam mercurialem fuerit inducta.

Ulcera venerea carcinomatica fanari vix pof-funt per mercurialia, hinc nifi exftirpationi obe-diunt, ut alia carcinomata erunt lenienda.

Ulcera venerea fiftulofa aperienda funt, & in ulcera pura commutanda.

Ex ulceribus venereis non tantum luis fympto-maticis, aut poft luem fanatam refiduis, fed etiam ex primariis fat recentibus fub ipfa adeo me-dorrhæa puritatis cura neglecta comparent ex-crefcentiae; varias quidem ad partes, maxime tamen ad genitalia enafcuntur, fecundum penis longitudinem, ad labia vulvæ majora, ad ani confinia, inde dolores coitum impedientes; in ipfo adeo urethræ orificio, unde urinæ difficultas.

Confiftentiam atque figuram habent variam, fungofæ funt vel molles, breves, longæ, latæ, anguftæ, variaque inde traxerunt nomina.

Verrucae funt excrefcentiæ duræ, compla-natæ, tenfæ, oblongæ, fere infenfibiles, nifi inflam-matæ fuerint.

Falfa videtur affertio illa fatis inhumana, ver-rucas digitorum apud fœminas manuftuprationis effe fignum; verrucas enim digitorum interdum gerunt puellæ 2—3 annorum; gerunt virgines innocen-tiffimæ, faniffimæ; gerunt vel ipfi viri.

Porri excrefcentiæ funt longæ, tenues, tere-tes, præfertim ad præputium, ad areolam mam-marum, urethram, anum; *Frank* in fœmina Badenfi medorrhæam virulentam paffa copiofiffimos vidit univerfa vulvæ labia obfidentes.

Criftæ excrefcentiæ funt latæ, fluctuantes, diffectæ, fimbriatæ, penem, utrumque vulvæ la-bium, mammas, linquæ radicem obfidentes.

Ficus, mori, fraga excrefcentiæ funt con-gregatæ, molles, petiolo fuftentatæ, figuram illius fructus, unde nomen habent, fimilem præfeferentes.

Braſſica cauliflora excreſcentiis conflatur pluribus irregularibus, cuti pertinaciter adhærentibus, quaſi conglomeratis, ad glandem, labia vulvæ majora, anum natis.

Condyloma, phyma eſt excreſcentia dura, longa aut complanata ad labium vulvæ majus, glandem, præputium, anum, ovi adeo magnitudinem attingens, interdum etiam exulceranda. Interdum condylomata a malo hœmorrhoidali pendent.

Criſtallinae ſunt veſiculæ ſplendentes, ſemipellucidæ, albeſcentes, milii, aut ſinapi ſemen circiter æquantes, in phymoſi aut paraphymoſi potiſſimum comparentes, poſt paucos dies in ulcera gangrænoſa, veramque glandis gangrænam abeuntes.

Denominationibus his excreſcentiarum allatis haud eodem omnes ſenſu utuntur. Quod quidem non adeo refert, modo excreſcentiarum præſentiam earumque originem noverimus.

Excreſcentiæ hæ præter illud, quod moleſtæ ſint, cum eas diſſimulare oporteat, pro varietate magnitudinis, atque ſedis varia inducunt incommoda. Ad penem vel vaginam poſitæ coitum reddunt difficilem, dolorificum, aut & impoſſibilem, qui ſi nihilominus iteretur cum violentia, per irritationem hanc inflammatæ characterem pravum carcinomaticum aſſummunt.

Quod idem interdum verrucis inſontibus calliſque pedum ſcalpendo, eſcharoticorum applicatione, ſecandove male tractatis accidit. *In actorum naturæ curioſorum*, decade II, anno 5, obſervat. 32. exemplum habetur, ubi verruca ad manum exſecta omne brachium inflammatum eſt cum tumore atque dolore inſigni, hœmorrhagia pertinaci in loco ſecto, atque gangræna inſequente. Ad fœminam 45 annorum, cui poſt callum pedis exſectum pes omnis inflammatus eſt cum tumore & dolore, *Frank* vocatur, ubi per 6 ſeptimanas varia emplaſtra fruſtra fuiſſent applicata, invenitque fa-

faciem ſibi ipſi ſatis diſſimilem, vultum trucem, debilitatem magnam, deliria mitia, pulſum frequentem, irregularem, ulcera ad pedem fiſtuloſa, ichorem fundentia, atque ſpecillo explorata ſenſum non prodentia. Mors poſt duas horas.

Excreſcentiæ ad urethræ orificium hærentes & urinæ difficultatem & coitus impedimentum inducere valent. Circa anum hærentes hunc ipſum occludere, fœces retinere, & vaſa hœmorrhoidalia comprimendo inteſtini recti morbos inducere valent non ſanandos, niſi aut eſcharoticis, aut ligatura, aut ubi periculum in mora fuerit, ſectione tollantur. *Fritze* condylomata ad anum hærentia ultra libram ponderantia uſu mercurii interno vidit ſanata!!

Majora vero mala minantur, ſi frictione continua, vel humoris acrioris affluxu irritantur, facile enim fiunt carcinomatica, & ulcera difficulter ſananda relinquunt.

Non juvat has excreſcentias diviſſiſſe ſecundum figuram, ſed præſtat eas dividere ſecundum characterem in molles aut duras; inflammatas, exulceratas, carcinomaticas, cum cute intermedia fiſſa (rhagadibus notata). Juvat item vel maxime eas dividere in venereas, & non venereas, nam & absque cauſa venerea excreſcentiæ naſci poſſunt.

Noli ubiue, *Aſtruc* monet, accuſare luem, ubi genitalia verrucis &c. obſeſſa vides, dantur enim recentes coitum impurum mox ſequentes, quæ non ſiſtunt malum luis ſymptomaticum, ſed mere locale, & illico absque noxa exſtirpandum. Juxta *Frank* in ſimplici gonorrhæa virulenta, a viru venereo non excitata, ſi excoriatio contigerit, excreſcentiæ interdum naſcuntur indolis nequaquam venereæ, nec mercurialia pro ſanatione petentes. Contingere vero in ſimplici medorrhæa erroſio atque excreſcentia poteſt, ſi præputium anguſtum effluere materiam gonorrhœicam impediverit, aut ſi

fœ-

fœmina medorrhæa affecta dorſo multum incubuerit, ubi materia effluens anum continuo lambit.

Dantur igitur: 1. Excreſcentiæ contagium non agnoſcentes, ſed quaſi congenitæ, aut per accidens absque luis miasmate natæ.

2. A coitu quidem impuro natæ, ſed mere locales, quæ modo acre venereum pro cauſa agnoſcunt, modo gonorrhœicum.

3. Luis univerſalis ſymptomaticæ.

4. Quæ vel ad ſecundam vel tertiam ſpeciem quondam pertinebant, quæ vero nunc reſtant contagio ablato, ita ut ſint inſontes.

Interdum ab applicato viru venereo excreſcentiæ naſcuntur absque ulcere prægreſſo, quæ luem ut ulcera poſt ſe trahere valent, niſi cito exſtirpentur.

Difficile eſt allatas has excreſcentiarum ſpecies rite diſtinquere, niſi ægrotans referat, an jam ante contagii contrahendi occaſionem adfuerint, nec ne. Si mox poſt coitum impurum natæ, tum quidem de indole dubium non eſt, ſed an natæ ſint ex contagio mere gonorrhœico aut luoſo, an adhuc locale ſit malum, an luis jam ſymptomaticum, inquiſitione niſi accuratiſſima erui ſæpe vix poteſt.

Verrucæ &c. venereæ facilius innaſcuntur ſecundum *Andry* loco per inflammationem prægreſſam indurato, facile turgent, materiam acrem, ichoroſam fundunt, quæ ſimiles in vicinia excrescentias progignit.

Non venereæ vero molles ſunt, ex albo rubentes, baſin arctam habentes. At juxta *Frank* non ſemper res ita ſe habet, nam innocentes quoque, ſi irritatæ fuerint, inflammari poſſunt, ac indurari.

Pauciſſimæ excreſcentiæ poſt coitum impurum natæ indolis venereæ *Frank* videntur, ſed repetendas ab acri gonorrhœico plerasque putat, conſentientemque habet *Sellium*, ac *Monteggia in tractatu de luc*, Mediolani 1794 edito, cui nullius momenti videtur objectio, quod excreſcentiæ poſt coitum

tum impurum natæ facile redeant ablatæ, nam & verrucæ aliæ interdum revertuntur.

Attamen excreſcentiæ tum venereæ, tum non venereæ ſummam attentionem merentur, tum quia cito ſæpe multiplicantur, tum quia irritatæ facile degenerant.

Ad explicandam excreſcentiarum geneſin multis adhuc opus videtur cognitionibus. Opus videtur cognita in arborum cortice excreſcentiarum origine, quarum aliquæ ex inſectorum ictu naſcuntur. Opus videtur cognita cutis ſtructura, quam nondum tenemus. Quædam tamen oriri videntur ex inflammatione, ut in gonorrhæa, in qua poſt factam forte excoriationem elevatur tela cellularis, inter quasdam cutis fibras ſeparatas tranſit, atque repleta per humorem morboſe ſecretum verrucam &c. ſiſtit. Pedis item callum, qui a preſſione calceorum fere naſcitur, præcedit, ut dolor docet, inflammatio, ſub qua ſecretio morboſa contingit in telam cellularem, unde hæc ipſa induratur. At cur ſuccreſcit callus, reſectis niſi radicibus fuerit ablatus?

Boerhaave excreſcentias cutaneas a papillis nerveis mole auctis, at quo jure, repetit.

Cura excreſcentiarum varia, prout malum aut locale ſiſtunt, aut luis ſymptomaticum.

1. Quæ a coitu impuro non ita pridem celebrato oriuntur, cum malum nonniſi locale ſiſtant, localia tantum requirunt remedia, quibus tamen difficulter ſæpe auferuntur, ablataque interdum redeunt.

Cura vero hæc externa perficitur:

a) Ligatura, cui locus eſt, ubi petiolo anguſto inſtructæ ſunt excreſcentiæ. At hac ratione ablatæ ſæpius redeunt, quam methodis mox dicendis exſtirpatæ, quia radices ligatura non auferuntur.

b) Sectione, ſub qua curandum, ut radices auferantur ad prævertendam regenerationem, quam præ-

præverti poſſe *Monteggia* putat per cauterium actuale poſt reſectionem prudenter admotum.

c) Si prævideri poſſit nec ligaturam, nec cultrum ſufficere ad excreſcentias tollendas, eſcharoticis utendum, quæ tamen non adhibenda, ſi cutis dura, inflammata, dolensque fuerit. Hic enim nonniſi emollientibus locus eſt, atque butyro inuncto, impoſitoque fomento aut cataplasmate anodyno, vel vapore aqueo admiſſo poſt aliquot interdum dies ſponte cadunt, referente ſic *Frank* Mediolanenſi.

Adeoque, ubi locus excreſcentia notatus durus, inflammatus, dolensque non fuerit, aqua calcis ſervire poteſt pro lotione ſæpius de die repetenda.

Potentiora requiruntur, ubi pertinacius malum fuerit. *Aſtruc* laudat pulverem ex ſabinæ partibus jj. & ochræ parte j. compoſitum ad locum prius emollitum inſpergere, aut butyro vel & unguento baſiliconis exceptum applicare. Richter in der chirurgiſchen Bibliothek, Band IV., Stück I. Tode in der chirurgiſchen Bibliothek, Band III., Stück II. *Shwediauer & Frank* a ſolius ſabinæ uſu poſt 3—4 dies cadere interdum excreſcentias viderunt. At ſenſibiliores a ſabina facile inflammantur, ut in clinico ticinenſi 1787. *Frank* expertus eſt.

Contra excreſcentias e fungoſitate natas aquam viridem Hartmanni *Noſe* laudat.

Contra excreſcentias rebelles laudari meretur aqua cauſtica *Plenkiana*, nimis forte compoſita, ope penicilli bis in die illinita.

℞. Spiritus vini.
Aceti optimi aa. unc. jß.
Merc. ſubl. corr. dr. j.
Camph. alum. cæruſſæ aa. dr. ß.

Sæpe ſufficit has excreſcentias lavare ope liquoris, qui obtinetur mercurii ſublimati corroſivi gr. VI. in aquæ deſtillatæ libr. j. ſolutis, ut *Frank* 1768 Badenis expertus eſt in porris genitalium copioſiſſimis, qui poſt 8 dies ceciderunt.

Jux-

Juxta *Swieten commentariorum* tomo V., pagina 506. *gallus* quidam adhibuit pro lotione remedium utique bonum, ſed quantitate nimia præſcriptum, hinc ad minorem præſcribendum.

℞, Mercurii ſubl. corroſ. gr. xxiv. ſolve in
Spiritus vini libr. jj. adde
Aquæ deſtillatæ libr. vjjj.

Servire item poteſt mercurius ſublimatus corroſivus in aqua calcis ſolutus, unde aqua ſic dicta phagadenica exſurgit. Quod ſi allata non ſuffecerint, lapide cauſtico tangendæ ſunt excreſcentiæ, unde cruſta naſcitur, qua decidua ulcus habetur purum aqua *Goulardi* ſanandum.

Contra excreſcentias rebelles conduxiſſe interdum ſunt viſæ fumigationes mercuriales, quæ fiunt cinnabari prunis candentibus injecta. Potenter agunt, notabilem ſalivationem cito ſæpe inducunt.

Sub fumigationum mercurialium uſu cavendum vel maxime, ne vapores pulmonibus hauriantur. Sabinæ pulverem, & fumigationes mercuriales *Shwediauer* cæteris præfert; quibus *Frank* opus vix habuit.

2. Quæ luis ſymptomaticæ ſunt excreſcentiæ, curam lui oppoſitam petunt, nam fruſtra tractantur externis ſuperius allatis.

3. Quæ poſt luem ſanatam perſiſtunt, tractandæ ſunt ut mere locales per illa, quæ memorata ſuperius habentur. Abſtinendum hic ab ulteriori mercurii uſu interno, ne noxa retundet aut in ſanitatem univerſam, aut in ipſas excreſcentias, ut recte *Deaſe* monuit.

Si ulcera venerea poſt coitum impurum vel alium contactum nata per 5—7 ſeptimanas neglecta fuerint, interdum tamen ſpatio longiore, interdum vero breviore opus eſt, prodere ſe incipit Lues venerea, cujus ſymptomata ſic fere ſe inſequuntur:

A. Laſſitudo univerſi corporis ſpontanea, gravitas cum dolore modico vago, modo caput, mox vero brachium crusve occupante; color faciei flori-

dus

dus in cachecticum, ut notat *Fallopius*, vel intra paucos dies mutatus; interdum febriculæ veſtigia comparent, levis nempe horror cum inſequente modico calore, mœſtitia, appetitus dejectus.

Quamcunque partem virus venereum infecerit, in eadem luis, cito quidem poſt affectionem localem erumpentis, juxta *Cullen* comparent ſymptomata. At ſi luis ſymptomata comparent ad locum primo infectum, ad genitalia quoque comparere debent; ſi ad illa infectio contingit, quod *Frank* verum non comperit, nam nec ſub quavis lue ulcera genitalium comparent, nec quodvis ulcus ad genitalia ſitum indolis eſt venereæ, in tela cellulari, pinguedine illius reconditum virus venereum ſedem habere putamus; *Boerhaave* ac *Swieten* in vaſis ſebaceis; in ſubcutaneis putavit *Aſtruc;* in vaſis lymphaticis *Fabre.* An forte quævis hæc opinio valet? Suſcipi ſane videtur ſyſtemate lymphatico, unde omni ſyſtemati communicatur, vias vero mucoſas præcipue petere videtur, earumque ſecretionem ita mutare, ut humorem veneno ſuſcepto ſimilem, itemque inficientem progignant.

Ubi virus venereum ad maſſam humorum reſorptum omni ſyſtemati applicatur, ex minima particula ita augeri poſſe putant, ut in quavis corporis parte parari valeat materia eodem modo inficiens, quemadmodum virus varioloſum in omni parte effloreſcit inficiendi capax.

Humores in ulceribus venereis ſymptomaticis ſecreti certe corrupti ſunt, atque inficere valent. Quæri jam poteſt, an per ſecretionem tales facti ſint, an jam tales in omni humorum maſſa hæſerint; an virus venereum omnes humores ſecernendos absque exulceratione organi ſecernentis præſente, an ſolum aliquos inficiat? De quo quidem practici certant, & adhuc ſub judice lis eſt, in utramque enim partem adferri quædam poſſunt.

Si conſideremus, interdum a nutricibus luoſis protracta licet lactatione teneros non fuiſſe infectos, modo ulcera ad mammas non habuiſſent, e matri-

bus

bus certe venereis natam eſſe prolem ſanam, ſi genitalium ulceribus non laboraſſent, licitum videtur concludere, lac ipſumque ſanguinem non eſſe infectum, recteque dixiſſe *Hunterum*: luem non oriri niſi ab ulcerum venereorum contactu.

At ſi conſideremus, illicite gravidas, non rare venereas, debilem tam ſæpe eniti prolem, ſanguis viru venereo infectus videri poteſt. Et licet demus, debilitatem infantis ex matre illicite gravida nati pendere ex animi affectibus ingratis, a miſeriis ſub graviditate perpeſſis, ab abortu forte tentato, nec dum corruit opinio. Nam ſi conſideremus, infantes ulceribus notatos, aut & putrefactos a matre venerea in luem eſſe deditos; ſi conſideremus a lactantibus, qui per 2—4 a partu ſeptimanas videbantur ſani, ulceribus in ore natis infectam eſſe nutricem inſontem ſub examine prægreſſo repertam; aut a nutrice ad aſpectum ſana, ulceraque non gerente, infectum eſſe puerum e matre ſana natum, lac ipſeque ſanguis viru venereo infectus videri poteſt.

Semen virile infici viru venereo non videtur, quidam enim luoſi, ſed ulcera non habentes, cum uxoribus per annos coëunt, quin eaſdem inficiant. Nuper adhuc hominem 34 annorum *Frank* tractavit, qui ex lue quondam, ut is quidem putabat, reſtitutus, matrimonium iniit, duaſque proles procreavit ſanas, ſana perſiſtente uxore. Doloribus oſteocopis nunc multum vexatus, hypochondriacus, negotiis obeundis parum aptus, cito fatigandus; antimonialibus, aliiſque antarthriticis per 6 utitur ſeptimanas, malo interim plurimum aucto, poſtea per mercurialia ſat cito levatur.

B. Sæpius in parte, ubi prima mali eruptio futura eſt, macula prodit rubella, morſum pulicis, morbillum aut variolam ſimulans, pruriens, modice calens, vix dolens aut protuberans, quæ vero ſoluta epidermide ſenſim elevatur in papulam ſquamula in apice tectam, repletamque materia ex albo flava cremorem lactis æmulante, vix

co-

cohærente ſed diffluente; ſquamula ſoluta ulcus habetur cancrorum remediis communibus reſiſtens, aut maculam cupream relinquens, exſiccatum ſi forte fuerit.

Dum ad fauces prima ſui ſigna lues editura eſt, vox redditur rauca, deglutitio impedita ex levi faucium, palati &c. inflammatione. Ore eluto comparet rubor fuſceſcens absque tumore notabili, cito amygdalæ &c. materia teguntur puriformi, qua ablata ipſarum amygdalarum, veli penduli, gingivarum, labiorum &c. ulcera comparent mox ſordida, lardacea, pure ductili in fundo repleta cum labiorum inæqualitate, calloſitate, cito ad fauces, naresque proſerpentia, ipſaque oſſa exedentia.

Interdum ulcera venerea ad tubam Euſtachii propagata moleſtum aurium tinnitum *Fallopio* teſte inducunt. Interdum per fauces ad tracheam transeunt, membranam illius mucoſam, ipſas cartilagines, ut *Petit* vidit, erodunt, unde perpetua raucitas.

Ad pulmones propagatum hoc virus catharrhum, tubercula, aſthma, exulcerationes, phthiſinque inducit.

Ad oculos converſum virus venereum inflammationem chronicam, cœcitatem cauſat. Plerumque tamen minus periculoſa eſt ophtalmia venerea, quam gonorrhœica.

At cum ſub gonorrhæa totum ſyſtema non laboret, unde oritur ophtalmia gonorrhœica? an virus gonorrhœicum digitorum ope, quibus tractantur genitalia, oculis infricatur? an pendet a conſenſu, qui inter genitalia & oculos magnus ſit oportet, cum ſub veneris abuſu viſus acies plurimum debilitata habetur.

Multis puſtulæ cutaneæ, ex pallido rubræ, maxime in facie comparent ſquamula ad apicem tectæ, humore viſcoſo repletæ, in ulcera venerea degenerantes.

Aliis

Aliis furunculi parvi in fronte, ad naſum exſurgunt, qui largiter ſuppurati cruſtis obducuntur, ſponte tamen labentibus a plaga ſana, niſi quod macula cuprea diu perſtitura compareat. Furunculi venerei acutiores ſunt, largius ſuppurantes, & maculam rubram relinquunt, quæ ſingula aliter habent in furunculis a ſpirituoſorum abuſu &c. apud juvenes natos.

Infantes luoſi ad pedes, ſcrotum, penem potius, quam ad faciem experiuntur puſtulas.

Impetigines quoque variam exhibentes formam ad cutem in lue comparent:

a) Maculæ pruneæ, irregulares.

b) Alias ſcabiem (pſoram) impetigo refert, unde ſcabies venerea, ſed perperam dicta eſt, quia ſcabies morbum ſui generis a lue diverſum ſiſtit.

c) Herpetem refert, qui ſcrotum, perinæum potiſſimum amat, perque annos durat, atque incautius ablatus hœmoptiſin, phthiſinque inducit, quam per mercurialia interna ſanatam *Frank* vidit.

d) Refert tineam omnem capitis partem capillatam vel in ſenibus obſidens, atque niſi mercurialibus cito ſuccuratur, cariem facile inducens, de qua cogitandum, ubicunque ſub lue inſignes capitis dolores urgent.

e) Refert lepram cubiti imprimis, vel genu flexuram, ſed & faciem occupans, in longum & latum extenſa, cruſtis obtecta in furfures multos ſecedentibus.

Secundum *Macbride* impetigines venereæ pruritu, & dolore fere carent, cutis vero ſub ſquamis ſita cuprea eſt. At dolentiſſimas, & admodum prurientes interdum *Frank* vidit. In genere tamen impetigines venereæ, cutem ſub cruſtis cupream oſtendentes, magis dolent, quam pruriunt, cum contra ſimiles, ſed alterius originis, impetigines magis pruriant, quam doleant.

f) Ubi ad volas manuum, plantas pedum, circa anum impetigines venereæ naſcuntur, cutis finditur, materiam fundens tenuem, ſanioſam, acerri-

rimam, vicina rodentem, novasque cruſtas efficientem, atque hæc impetiginis conditio fiſſuræ, rhagadis titulo ſalutatur.

Quibusdam luoſis ulcera oris aut impetigines cutaneæ primæ comparent, in aliis dolores oſteocopi ante illas comparent.

C. Ad ſubſtantiam oſſeam, cui vel maxime inſidiatur, converſum contagium dolores profundos velut hærentes, crudeles, oſteocopos dictos, excitat, ſub veſperam potiſſimum, atque ſub lecti calore inſurgentes, ſomnum fugantes, qui verſus auroram aut mitigantur, aut omnino ceſſant; interdum de die vehementius urgent, cujus rei exemplum in clinico nunc habetur.

Dolores oſteocopi venerei, præſertim ad articulos cruciantes, pro arthriticis facile imponunt, unde nomen arthritidis venereæ.

Mirum eſt, quod hi dolores eandem partem per annos obſideant, ſanitatem reliquam vix lædentes. Præfectus militaris ante 12 annos in urbe montis peſſulani ex lue, ut videbatur, perfecte ſanatus eſt. Poſt biennium dolore capitis ad verticem fixo corripitur atroci, per 10 annos durante. A medicis argentoratenſibus badenas in marchionatu ſitas mittitur, ut & balneis, & aquis ex alto labentibus utatur. *Frank* venereum quid ſubeſſe ſuſpicans, atque compertum habens aquas Badenſes venereis minus conducere, uſum aquarum ex alto labentium vel maxime diſſuaſit. Utitur nihilominus ægrotans per duos dies, die tertia macula cuprea liveſcens, urens, dolentiſſima in fronte comparet, facta die ſequente ſub veſperam inciſione caries comparuit, mercurio interne adhibito poſt 16 tandem ſeptimanas ſanatio perfecta ſucceſſit.

D. Sub doloribus oſteocopis perioſtium ſæpe inflammatur, unde lamellæ elevantur, gummata exoſtoſesque formaturæ ad cranium, frontem, dorſum, brachia, tibias, in cariem, ſpinam ventoſam terminandas.

Do-

Dolores osteocopi cum exostosibus juncti signum luis certissimum præbent.

Noli tamen quamvis exostosin a lue repetere, quæ & ab aliis causis nasci potest, nam vel a nativitate dantur insolitæ qnædam ossium protuberantiæ.

Tumores ossium venerei juxta sedem atque duritiem distinqui possunt.

a) Tumor osseus ex ipsa ossium substantia enatus, os duritie plerumque æquans, imo superans, fereque indolens, cum colore cutis superpositæ naturali, dicitur exostosis.

Visæ sunt exostoses in superficie cranii interna comprimendo lethales. In milite, qui post cephalalgiam, vertiginem apoplecticus factus cito decessit, exostosin instar nucis juglandis magnam ad os petrosum *Frank* detexit. An originis venereæ fuerit, ignorat, quia nonnisi sub mortem vocatus est. Potissimum tamen occurrunt in osse frontali, super omni calvaria, in sterni clavicula, in costis, tibia, circa cubitum, in osse tum brachii, tum radii atque ulnæ, utpote in partibus minus musculosis; an quod musculis deficientibus resistentia excrescentiis ossium minor ponitur.

Cave tamen, ne ob exostosin solam (si de coitu impuro prægresso tibi non constiterit, dolores osteocopi &c. non adfuerint) ad luem veneream mox concludas, atque familiarum concordiam evertas; nam ex labe scrophulosa, scorbutica oriri quoque possunt exostoses, quæ multo adhuc rarius dolent, quam venereæ.

Exostoses multum auctæ periostium tendunt, inflammant, doloresque enormes excitant.

Juxta *Plenkii* novum systema tumorum cutis color super exostosin luridus est cum partium mollium dolore, ipsaque exostosis dissecta comparet cavernosa, spongiosa, fungosa, cariosa. Nec tamen ubique fungositas cariosa, aut dolor, aut etiam color cutis mutatus deprehenditur.

b)

b) Interdum tumor ad os hærens non ex osse enascitur, sed ex periostio, atque dolorem velut osteocopum sæpe prodit, exostosi aliquanto mollior est, atque tophus salutatur. Si tumor hic periostii ceream quasi tenacitatem prodat, gummi audit. Juxta *Swieten* tophi & gummata ipsorum ossium tumores sunt, sed exostosi molliores, læves, ovales.

c) Interdum in bursis mucosis circa ossa, & tendines hærentibus tumor sedem habet, ab initio mollis, & mobilis, ganglion dictus.

E. Defluvium capillorum, atque barbæ circa mentum. Raro aliarum partium pili cadunt, sed ungues atque dentes cecidisse sunt visi, sed cecidisse quoque sunt visi salivatione per mercurium inducta, & a causis longe aliis.

F. Paralysis quoque vel hydrops lui subinde jungitur.

Complicari quoque cum morbis aliis lues potest; licet id negaverit *Joannes Hunterus* propterea, quod duo contagia eodem tempore adesse in eodem subjecto nequeant. At cur scorbuticus, scrophulosus, psora infectus per coitum impurum lue infici non posset?

Luem item larvatam, sub alterius morbi forma comparentem, cujus primam ideam concepisse videtur *Baglivius*, recentiores quidam defendunt. Sanchez in medizinischen Schriften, Nürnberg 1788. — *Stüglitz dissertatio de morbis venereis larvatis*, Gœttingæ 1789. — *Frid. Bretschneider observationes de morbis venereis larvatis*, Jenæ 1789. — Carrere Untersuchungen über die verlarvten oder verwickelten venerisch-chronischen Krankheiten, Frankfurt 1789. — *Glemeri dissertatio de morbis venereis larvatis*, Erfurti 1790. — Wedekind Fragmente über die Erkenntniß verschiedener Krankheiten.

Luem veneream variis sub formis se prodere posse docet ophtalmia, cæcitas amaurotica &c. Sed larvati nil subest, quia manifestum causæ patentis effectum sistunt.

Gra-

Gravidæ venereæ abortum, vel partum præmaturum ſæpe quidem patiuntur; an vero ob ipſam luem; an ob exlegem vitæ rationem, veneris abuſum &c.? An quod ulcera genitalium dolores excitantia partum invitent?

Quidam virus venereum intra corpus ſuſceptum vel per 20 annos quaſi dormire poſſe putant, quin ullum ſui ſignum edat, donec excitatum erumpat; ita quidem, ut ſilere poſſit in filio ex patre venereo nato, comparere vero in nepote! Atque ob hoc perfectam luis curam obtineri poſſe negarunt, ac nonniſi palliativa admiſerunt. Ipſe *Roſen* hominum duorum meminit, qui, cum in infantia lac nutricis venereæ ſuxiſſent, ætatis 16 anno luem prodiderunt.

At hiſtoriis luis tam ſero comparentis fidem adhibendam *Frank* non putat, quia multæ cauſæ eſſe poſſunt, cur propinquior ac recentior luis contrahendæ occaſio diſſimuletur, atque in occaſionem longe aliam, quam veram, conjiciatur. Atque ſi infectio fieri poſſet per lac nutricis absque ulceribus mammarum præſentibus, cur infectio non eſt ſecuta, dum lac, quod eluendis ulceribus venereis inſerviit, ab ignorantibus deglutitum eſſet? Si impoſſibilis perfecta luis ſanatio, cur vulnera quondam venereis inflicta non difficilius, quam in aliis ſanantur.

Multi ſcrophulas, atque morbos chronicos bene multos a luis degenerantis reliquiis repetunt, contra quos, aſſentiente *Frank*, inſurrexerunt *Girtanner* & *Cloſſius*.

Alia ſymptomata ad luem a quibusdam relata *Frank* expoſiturus hoc loco non eſt, utpote ad gonorrhæam virulentam pertinentia, quæ videri poſſunt in *tractatu de gonorrhæa virulenta*, qui habetur in *epitomes* vol. V.

Cura: Exoptandum generi humano foret, ut quemadmodum vaccinatione variolas, ita infectionem veneream remedio quodam prophylatico aut legibus politicis prævertere datum eſſet. Nec

celandum tale remedium foret ob metum, ne laxæ diſſolutioni morum dentur habenæ, cum periculum infectionis ſubiens de morbi contrahendi poſſibilitate vix quisquam cogitet.

Interim nonniſi conſilia quædam exhiberi queunt, quibus infectio interdum præpeditur, quæ videre eſt apud *Frank in tractatu de gonorrhœa virulenta* in *epitomes* vol. V. & in *politiæ medicæ* vol. II.

Inter certiora luis prævertendæ auxilia pertinet urinæ poſt coitum impurum miſſio; diligens genitalium ablutio; injectio aquæ calcis aut ſolutionis cauſticæ, quam juxta *Fortis* medizinischer Praxis, dritte Auflage, Band II. propoſuit *Girtanner*, quibus hinc inde datur abluere mucum, quocum virus venereum hæret unitum.

Cattaneus, ſi poſt coitum impurum ardor urethræ aut ulcus genitalium compareat, abſorbentia laudavit. Sed hæc abſorbentia, ut & alia, quæ velut infallibilia ad infectionem prævertendam commendata ſunt a *Fallopio*, *Herculè Saxoniæ* &c. atque nuper ab Anglo quodam, exſpectationi nequaquam ſatisfecerunt, ut adeo certiſſimum contra infectionem auxilium in periculi fuga conſiſtat.

C u r a luis c u r a t o r i a quam prœſervativa noſtris temporibus longe certior eſt, licet ab empyrico accepta; ut adeo non omnino ſpernenda videatur empyria & analogia ratiocinio prudenti ſuffulta.

Ubi lues primum comparuit, more epidemico inceſſit, & anno 1496 teſte *Benivenio* omnem jam Europam tenuit, quam medici, certo adhuc remedio deſtituti, adeo infeliciter tractarunt, ut de meliore ſucceſſu deſperantes fato tandem ſuo ægrotantes relinquerent. Unde fere ubique lethalis exſtitit.

Malum venereum, ubi primum comparuit, gravius quam noſtris temporibus inceſſiſſe probabile redditur ex majori qua ſævit atrocia, quam malum canadenſe, flumenſe. Hodie lues fors ideo minus lethalis, quia eam facilius fatentur infecti,

cum

cum minus imputetur, exceptis forte ruricolis, qui eam ob pudorem &c. celant. At sub initiis mali comparentis causa malignitatis esse non potuit in celatione, quia ignorabatur mali origo ex concubitu impuro. Insignes enim viri hoc malo laborasse describuntur a priorum sæculorum medicis, qui si originem novissent, id sane ausi non essent.

In terris borealibus atrocior semper magisque lethalis lues existit, in regionibus vero calidioribus Galliæ &c. mitior plerumque incedit. Sic Angli cum luis reliquiis Indarum insulas petentes sat commode habent, pejus habituri, in patriam si redierunt. Sic fama, quam urbs montis pessulani circa luem sanandam acquisivit, ab aëris forte tepore &c. magis pendet, quam a medendi methodi excellentia, utpote quæ frictiones adhibuit mercuriales, & alibi non multo post adhibitas.

Antequam mercurii virtus antisyphilitica aut innotuisset, aut fidem sibi promeruisset, lues venerea remediis variis est tentata pro diversitate hypothesis, quam sibi quisque de illa efformaverat.

In eo tamen convenerunt plerique omnes, morbum venereum indolis esse frigidæ, hinc juxta illud axioma: contraria contrariis esse impugnanda, calida teste *Cattaneo* opposuerunt. Alii phlebotomiam administrarunt, ut sanguinem educerent corruptum. Quidam digerentia proposuerunt, ut humores spissos solverent, quos dein, antequam rursus coirent, evacuare sunt conati.

Quidam sedem mali in hepate ponentes variis utebantur purificantibus, quin novissent, quid purificandum esset. Balnea item calida atque sudorifera potentiora adhibita sunt ad expellendos humores infectos, & in bene multis locis adhucdum foveæ habentur, quæ ad sudores venereis ibidem inclusis largos movendos olim serviebant.

Scopo sanguinem purificante, virusque venereum per cutem expellente laudata sunt juscula ex viperis montanis, capite & cauda rejectis, para-

rata; decoctum sarsaparillæ, ligni sassafras, santali rubri, smilacis asperæ.

Pro summo tamen luis antidoto lignum guajacum est habitum, quod ex Indiis secum allatum primus in Italia *Oviedo* adhibuit. Circa remedium hoc *Fallopius* sic fere habet: purgato corpore veniendum est ad valide alterantia, quale in ligno guajaco habetur, quod non solum vi sudorifera, sed etiam potenter alterante in totum corpus agit. Rasuræ hujus ligni uncia j., corticem *Fallopius* præfert, in aquæ libra j. per 24 horas macerata decoquebatur. Ex rasura post lotionem residua decoctum aliud pro potu ordinario parabatur. Utrumque hoc decoctum calide erat potandum, & quidem adultis ante & post prandium ad uncias vi—xii pro dosi, continuandum per dies 20—40, & malo adulto per 60, donec symptomata cessarent. Atque epota hac decocti quantitate in spatio adeo angusto concludebatur æger, ut solo capite emineret. Ubi admissis in corpus nudum vaporibus spiritus vini accensi largi per mediam horam fluxerunt sudores, in lectum bene tectus reponebatur, atque jusculo cum vitello ovi parato reficiebatur, diæta per omnem curam tenuis fuit. Post 14 dies semel tantum in die sudores sic movebantur per tantundem temporis spatium. Vide *Swietenii commentariorum* tomo V. §. 1478. Ubi sub hac methodo in sceleti modum emaciati essent ægrotantes, dimittebantur pro sanis, quorum plerique ex tabe serius perierunt.

Nullam luem guajaci decocto sanatam *Brambilla* putat, nullam sanatam *Frank* vidit, aut novit, etsi Mediolani sæpe adhiberetur Lusitani decoctum ex santalo rubro, guajaco, sassafras & antimonio crudo in petias ligato, paratum.

At *Udalricus Hutten* salivationem mercurialem undecies frustra passus guajaco sanatum se refert. Sed dubitare licebit, an dolores, qui putabantur venerei, non fuerunt a mercurio, atque contra

hos

hos decoctum guajaci similesque stimuli volatiles prodesse sane possunt.

Mercurium cum aliis in formam unguenti, malagma illis dicta compositio, redactum Arabes adhibuerunt primi contra pediculos, efflorescentiasque cutis chronicas, scabiem, herpetem, unde ad efflorescentias cutis venereas per analogiam translatus videtur. Arabum malagma, testante *Quidone de Cauliaco*, parabatur ex euphorbio, lithargirio cum argenti vivi quarta parte, & axungiæ porcinæ vetustæ libra j. cujus portio semel in septimana inungebatur.

Juxta *Fracastorium de morbis contagiosis*, cap. 12. chirurgus quidam ipsi amicus antiquum habuit libellum, nunc quidem perditum, in quo descriptum habebatur unguentum contra scabiem crassam cum ossium dolore junctam, quod cum fructu in sex casibus adhibuit; dein vero adhibere intermisit increpatus a medico, quod ausus esset contra luem in 6 gradu frigidam adhibere remedium, putabat autem mercurium in hoc unguento contentum, in 9 gradu frigidum.

Post hunc anno 1520 mercurium primus adhibuit *Berengarius*, ut testatur *Fallopius*; sed arcanam rem habuit, aut saltem inter primos, nam secundum *Astruc* usus mercurii cuidam *Quidonis* coætaneo jam fuit cognitus.

Magni ab initio cum mercurii usu errores commissi videntur, quia mercurio seposito ad priora decocta sæpius redierunt medici, donec melior illum exhibendi methodus innotuisset.

Quinque potissimum sunt methodi mercurium exhibendi, quæ singulæ locum habere possunt, quarum tamen præ aliis alia huic vel alteri melius conducit:

1. Quæ utitur frictione mercuriali.
2. Quæ mixturam gummosam *Plenkii* adhibet.
3. Quæ mercurium forma salis aut calcis ingerit; longe major energia est mercurii forma calcis vel salis exhibiti, & in ipso unguento agere mercurius

alia

alia ratione non videtur, quam quod per diuturnam cum pinquedine triturationem in calcis formam redigatur, quodsi factum non fuerit, figuram globularem retinens ad fundum vasis cito delabitur.

4. Quæ fumigationes mercuriales adhibet.

Quanta sit, & sane maxima est fumi mercurialis in omne systema efficacia, docet tremor, paralysis, dentium lapsus &c. in aurifabris & in illis observanda, qui mercurio e fodinis eruendo occupantur. Atque ob horum malorum periculum, ob salivationem cito sæpe subsequentem, & ob difficultatem determinandi dosin in corpus susceptam vix amplius adhibetur fumus mercurialis, quem tamen contra mala topica felicius, quam alia præparata adhiberi *Frank* sæpius vidit.

5. Methodus est, quæ ex quibusdam priorum componitur. Ultima hæc methodus, quam Galli quondam vel maxime adhibuerunt, rarioris nunc usus est, quia salivationem cito inducit.

Secundum *Rosen* mercurius ingestus per salivationem ejicitur, monet enim monetam auream ori salivantis immissam albo colore tingi, quæ serius evacuato jam mercurio non tingitur amplius. Et *Shwediauer* mercurio utentes monet, ut horologia aurea, annulosque aureos deponant, ne colore albo contracto mali genus prodant. Annulos aureos ipse *Frank* dealbatos vidit, ut adeo pars mercurii abire cum materia transpirabili videatur. Sed cum moneta aurea ori per triduum imposita experimentum frustra repetiit, & *Marabelli* in salivantium saliva mercurium criteriis chemicis detegere non potuit.

Minus adhuc probabile *Frank* videtur, mercurium vivum esse repertum in fundo vasis, cui venereus post mercurium diutius assumptum balneans insedit; licet *Adolphus Murray de luis curandæ methodo* id referat; licet idem relatum *Frank* meminerit ab alio, qui id ipsum sibi visum esse testabatur.

Quon-

Quondam cura mercurialis inſtituta eſt ad movendam ſalivationem, per quam velut per criſin eliminari virus venereum putarunt.

Salivationem inſtantem nuntiant, natamque comitantur: calor, fœtor oris, pruritus, tumor gingivarum, glandularum vel maxime ſublinqualium; elongatio, vacillatio, lapſus dentium; gingivarum exulceratio, excreſcentiæ fungoſæ; loquela, & deglutitio impedita; impoſſibilitas ſomni capiendi, cum ſaliva continuo aut exſpuenda ſit, aut deglutienda.

Patet hinc, quanta ſint ſalivationis incommoda, quæ olim ad luis ſanationem putabatur neceſſaria. Ex hypotheſi enim humorum depravatorum eos per quævis colatoria expellere conabantur. Injuncta diæta tenui vegetabili decocti guajaci libr. IV — VI quotidie ingerebant, quo facilius dein ſudores largos excitarent per apparatum, in quo vapores ſpiritus vini accenſi in ſuperficiem corporis nudi, atque concluſi admittebantur. Nec cum largo ſudoris fluxu contenti erant, ſed ſalivam etiam ad libras aliquot per mercurium elicere ſatagabant, quid quod venæ ſectiones repetitas adminiſtrarent. Enumerata ſalivationis incommoda fecerunt, ut ab hac methodo recederetur. Ad quod & illud non parum contribuiſſe videtur, quod ſub larga licet ſalivatione lues non ſit curata. Cujus rei rationem quidam in eo quæſiverunt, quod mercurius cum ſaliva evacuaretur, antequam in virus venereum egiſſet. At per ſalivam mercurium non evacuari conſtat ex iis, quæ paulo poſt de unquentis mercurialibus dicentur. Verior autem ratio videtur, quod ſalivatione cito nata ſufficiens ad luem domandam mercurii quantitas ingeri nequeat.

Salivationem in lue curanda vitandam eſſe primus monuit *Chucinau*, a quo tempore in urbe Montis peſſulani methodus, quam nunc fere omnes ſequuntur, introducta eſt per exſtinctionem dicta, quæ nempe mercurialia ſic adhibet, ut ſalivatio nulla, aut ſaltem non notabilis ſequatur.

Sa-

Salivationem præveniri poſſe *Sanchez* putat, ſi collum, atque maxillæ linteo calido tegantur. Et certe ſub aëre calidiore, & capite ſic tecto minus violens actio mercurii eſſe ſolet, atque incipientem jam ſalivationem cito mitigatam interdum *Frank* vidit; certitudinem tamen huic rei ineſſe non putat.

Quomodo mercurius agere contra luem eſt cenſendus? Secundum *Boerhaavium* pondere agit, & diviſibilitate, qua lympham viru venereo inſpiſſatam ac obſtruentem attenuat. At quantam ponderis actionem exſpectabimus a paucis mercurii granis, quibus plerumque lues ſanatur? & ſi omnis mercurii actio penderet a gravitate, aurum mercurio facile efficacius foret.

Quidam ad luis per mercurium ſanationem opus putant, ut notabilis quædam evacuatio per ſalivam, perſpirationem, urinam, alvum excitetur. Multi tamen ex lue ſanantur, quin ulla unquam evacuatio fuerit aucta.

Shwediauer mercurium vult agere per affinitatem quandam chemicam, decomponi nempe calcem mercurialem a viru venereo, quod cum illo coiret. Veroſimilis quidem opinio, nec tamen omnino ſatisfaciens. Nam affinitates in ratione quoque maſſarum agunt. Nam quemadmodum vas magnum lixivio plenum ſaturari nequit a paucis acidi cujusdam guttis affuſis, ſic & virus venereum per omnes, ut videtur, humores diſperſum non poterit ſaturari a paucis mercurii granis aſſumptis. Porro mercurius in virus venereum, quamdiu vitium locale ſiſtit, aliam virtutem vix exercet, quam cauſticam.

Ex *Brunonis* placito per ſtimulum agit diffuſibilem. Irritando mercurius certo agit, ſed rem id ſatis non explicat. Ponamus enim mercurium ſtimulare ut 40, aliud ſtimulans v. g. opium exhibere ſic poterit, ut eodem gradu ſtimulet; nec tamen opio lues ſanatur.

Alii, nec ſine probabilitate, dixerunt: mercurii ſtimulo mutari ſtimulum prius agentem, aut ſen-

ſenſibilitatem pro hoc ſtimulo tolli, quo facto ſanitas rediret. Utuntur ad rem explicandam hoc exemplo: virus varioloſum ſive contagio ſeu inſitione applicatum morbum ſui generis producit. Aptitudinem tamen ad hunc morbum ſtimulus vaccinarum in perpetuum delet, ita ut corpus vaccinatum a ſtimulo varioloſo non amplius afficiatur. Non valet ſtimulus vaccinarum enervare virus varioloſum jam ſuſceptum, ita ut variolæ vaccinatione licet facta erumpant, ut ante biennium cum aliis *Frank* expertus eſt.

Sunt qui putent, mercurium tantum agere ratione oxygenii. At cur luem non ſanant ſubſtantiæ aliæ oxygenio donatæ.

Ut quidam ſanguinem tanquam viventem conſiderant, ita & virus venereum pro vivo habendum *Cloſſius* putat, cujus vero vita per mercurium exſtinqueretur!

Ex allatis jam patet, actionem mercurii nedum patere, nec eam noſſe adeo refert, cum luem per mercurium ſat certo ſanare valeamus.

Plurimas cum mercurio mutationes ſuſceperunt chemici, ut vires illius vel augerent, vel mitigarent. Et certe forma metallica, ſive aſſumptus, ſeu extus applicatus fuerit, luem non ſanat, quod ut præſtet, in ſalis vel calcis formam mutatus ſit, opportet.

Quævis enim præparata mercurialia revocari poſſunt ad ſales, & ad calces.

Hiſtoriam mercurii, atque præparatorum mercurialium usque ad illa tempora uſitatorum deſcripſit *Hahnemannus* in opere Gœttingæ 1783 edito, & in *diſpenſatorii Edinburgenſis* editione nova. A quo quidem tempore alia etiam præparata mercurialia in uſum trahi cœperunt, quorum tamen pleraque iterum eviluerunt.

Ad ſales mercuriales pertinet mercurius dulcis, qui rite præparatus inter mercurialia mitiora pertinet, & debilibus, gravidisque exhiberi ſat tuto poteſt. At difficulter ſolvitur, ut

non

non facile ſcias doſin humoribus illatam. Dein in glandulas ſalivales præ cæteris fere præparatis agere videtur, nam ſalivatio, aut diarrhœa interdum oritur, ubi nonniſi per triduum gr. j — ij illius bis de die exhibuiſti, vel pauca illius grana methodo *Clarkii* gingivis affricuiſti. Atque diarrhœa hæc repeti nequit a vi illius purgante, nam, ſi experiri illam velis, ad magnas doſes exhibendus foret; cum ſcopo purgante ad gran. v — vjjj rheo vel jalapæ addatur.

Quod gingivis affrictus ſalivationem cito moveat, id inde repeti fors poteſt, quod viciniæ glandularum ſalivalium applicetur. An & diarrhœa explicari ſic poteſt, quod in ventriculum delatus vicinum pancreas glandulis ſalivalibus ſimillimum ad largiorem ſecretionem exſtimulet. *Boerhaavius* quin ſalivationem natam ſiſtere cupiens purgantia ingreſſit, illam quidem imminutam vidit, ſed diarrhœa vix ſiſtenda ſucceſſit, quia vis mercurii per purgans ad pancreas, ut videtur, potiſſimum eſt determinata.

Mercurio dulci quidam prætulerunt calomelam. At, ſi rite præparatus hic mercurius fuerit, a mercurio dulci vix differt, iterata vero ſublimatione, quæ ad illius præparationem requiritur, vicinus reddi poteſt ſublimato corroſivo. An & mercurius dulcis, quem raro pharmacopæi ipſimet ſibi parant, mala præparatione ad ſublimatum corroſivum accedere poteſt? *Frank* calomelam alio fine non præſcribit, quam, ut mercurii nomen multis notum evitet.

Mercurius ſublimatus corroſivus albus, remedium ſat validum, per empyriam in medicinam introductus eſt. Uſum illius Siberiæ populis jam diu cognitum, e chirurgo quodam, qui diu ibidem degebat, *Sanchez* 1742 didicit, atque per epiſtolam communicavit *Swietenio*, a quo vulgatum remedium ſolutionis Swietenianæ nomen traxit. In Siberia vero ſublimati corroſivi gr. j. exhibebatur in ſpiritus frumenti unciis jj ſolutum, for-

forte ut celaretur ſapor metallicus, ſimulque ventriculo ſuccurreretur. Apud nos rarius ex ſpiritu frumenti, ſed ex eadem aquæ deſtillatæ quantitate exhibetur, quia minor apud nos ſpirituoſorum conſuetudo eſt.

Addit hic *Sanchez* a *Swietenio* non communicata: In Siberia balnea vaporis ſimul adhiberi, ut ſudores moveantur, quibus motis pro cura obtinenda eſſet neceſſarium, nec exhibendum eſſe ſublimatum corroſivum, niſi ulcera cutis venerea, caries &c. comparuerint.

Multum laudatum, atque vituperatum hoc remedium eſt, ex quo patet, illud nocere facile poſſe. Potiſſimum vero nocet debilibus, irritabilibus, tabidis, hœmoptiſi aut alio pectoris vitio laborantibus, gravidis &c.; convenit vero laxis, minus ſenſibilibus.

Male illius uſum omnino reprobat *Cloſſius*, male apud exercitum interdixit *Brambilla*, poſtquam abunde præſcripſiſſet *Swieten*, poſtquam illius ſub auſpiciis præſcriptus eſſet in exercitu. *Frank* eum ſæpe cum fructu, & absque incommodo præſcripſit. Quondam tamen erravit in ſaltatrice gracili, ulceribus cutis cum carie detenta, cui ſanationem citam petenti doſes aliquantum largiores exhibuit, ſed eo cum effectu, ut illum pœniteret facti, nam poſt 14 dies ſenſibilitas magna, cardialgia, anxietas, ſputum ſanquinis, macies, quæ tandem mucilaginoſis, balneisque compoſita ſunt.

Juxta *Hermbſtædt* & ideo ſuſpectus eſt ſublimati corroſivi uſus, quod pharmacopaei illum vix parent, ſed tradant ex Bataviæ fabricis allatum, qui arſenicum ſæpe continet, quod negat *Hahnemannus*. Sed nec mercurio vivo pro uſu interno fidendum, ſæpe enim adulteratur quarta plumbi parte, addita quadam bismuthi quantitate, quo fluiditas ipſi melius conſervetur. Quæ adulteratio, ſi non ob aliam cauſam, ſaltem ideo nocere poſſet, quod incertum redderet medicum de quantitate mercurii ingeſti.

Qui-

Quidam ſatis depuratum mercurium putant, ſi eum per alutam preſſerint. At pulviſculi, nequaquam plumbum ſic ſeparatur. Quidam in tabulam effundunt mercurium, viſuri, num in globulos rotundos facile diſſiliat, nam oblongos ſi efformaverit, plumbo fere adulteratus eſt. Alii mercurium aceto digerunt, quod ſi dulceſcat, plumbum certo in mercurio habetur. Sed tutiſſimum eſt non adhibere mercurium, niſi qui per ignem depuratus eſt, qualis obtinetur ex cinnabari cum cupro vel ferro deſtillatione ſubmiſſa.

Mercurio phosphorato &c. non ſatis *Frank* confidit.

Mercurius per ſe præcipitatus vel calcinatus londinenſibus laudatur. Tormina, quæ ſæpe movet, ſecundum *Shwediauer* præpediuntur, ſi doſi veſpertinæ jungitur opii puri gr. ß.

Mercurius nitratus plurimum laudatus eſt. At acidum nitricum vim rodentem mercurio largitur fere majorem, quam quæ in ſublimato corroſivo habetur.

Si per ſalem ammoniacum ab acido nitri ſeparetur mercurius, obtinetur mercurius griſeus vel cinereus dictus, qui juxta *Blakium* in *diſpenſatorio Edinburgenſi* ſic paratur:

℞. Mercurii vivi.

Acidi nitri partes æquales miſce, ut ſolvatur mercurius; ſolutioni per aquam deſtillat. dilutæ adde ſalis ammon. q. ſ. ad præcipitationem.

Pulvis præcipitatus abluatur, ſiccatusque ſervetur. Mercurius hic ad calces mitiores, ac meliores pertinet, exhibetur bis in die ad gr. ß.—jjj. ſuperpoto quodam decocto, quo minus ventriculum gravet.

Mercurius ſolubilis *Hahnemanni* calx item mercurialis, eadem qua prior doſi exhibendus, ſat bonum ſiſtit remedium, ſalivationem tamen, negante licet auctore, movet, ut in clinico ipſe vidi.

Præ-

Præparandi modum vide in *difpenfatorio Viennenfi* aut in Crells chemischen Annalen, Band II. *Moscati in Giornale di medicina* 1793. pag. 243. mercurium *Hahnemanni* ratione paullo alia paratum cum adipe forma unguenti adhibet, quod fubftitui forte poffet unguento mercuriali vulgari tanta cum moleftia parando.

Antequam curam antivenereain inftituamus, probe examinare oportet ægrotantes:

1. Num lue revera laborent, an non aliud malum pro lue habeatur v. g. medorrhæa contagiofa, bubo, tefticulus venereus dictus, phymofis, paraphymofis, quæ mala nequaquam venereæ ubique funt indolis; fæpe ex fola inflammatione partis ipfius affectæ, aut ex mero confenfu cum urethra inflammata nafcuntur, & absque lue infequente fine mercurio ut plurimum fanantur. Dein quidam olim luofi ob dolores ofteocopos &c luem adhuc fubeffe fibi facile meticulofi perfuadent, cum tamen fæpe ex mercurii abufu pendent, ideoque mercurio fanari nequeunt.

2. Num alius morbus non fit complicatus, qui mercurii ufum nonnifi circumfpectum admittit, aut eum omnino refpuit, donec malum complicatum fua methodo fit ablatum, talia funt:

Scorbutus, qui fere prior fanandus, a mercurii enim ufu facile hæmorrhagiæ, falivatio rebellis, diarrhœa profufa.

Cancer verus, non venereus, cautiffimum nonnifi mercurii ufum admittit, a quo fere offenditur. Hœmoptifis, phthifis, a lue non pendentes, mercurium refpuunt, utpote qui hœmoptoën facile reducit.

Scrophulis quidem mercurius fæpe prodeft, at non illa quantitate, qua contra luem exhibetur, quia major in fcrophulis debilitas peccat.

Hinc vel in fimplici debilitate mercurium aut avariffima manu, aut omnino non exhibeas, donec fub ufu lactis, corticis &c. fuerit emendata.

Fe-

Febris lenta ſymptomatica lui adultæ interdum accedens caute quoque mercurialibus tractanda, quia major ſenſibilitas adeſt, quam quæ par ſit ferendis ſtimulis majoribus.

3. Vero reſpiciendum eſt ad ſequentia:

Ad ætatem; teneris mercurialia nonniſi mitiora, manuque avara ſunt exhibenda ob magnam ſyſtematis totius, præſertim vero lymphatici, ſenſibilitatem.

Ad ſexum; fœminis, niſi urgeat neceſſitas, mercurium vix exhibeas durante fluxo menſtruo, quia hœmorrhagia uterina facile naſcitur.

Gravidis, ſi exſpectari usque poſt partum liceat, curam antiſyphiliticam ne facias, & ſi facere coactus fueris, mitiora, quæ minus afficiant, hæcque ipſa cum circumſpectione exhibe, ne abortus ſequatur.

Cave, ne curam antivenercam fœminæ facias, quæ graviditatis ſuſpecta merito haberi poteſt; ne aut perdas, aut conſcientiam omnino oneres.

Ad temperamentum; minores mercurii doſes exhibendæ ſunt irritabilibus.

Ad anni tempus, atmoſphæræ conditionem. Poteſt quidem lues ſub debitis conditionibus quovis anni tempore curari, facilius tamen ſub atmoſphæra calidiori ſuccedit. Hinc ſub frigore hyemali cubicula erunt calefacienda, commoratio ſub aëre libero erit vitanda; quod vel ſub æſtate obſervandum, ſi refrigerata per tempeſtates atmoſphæra fuerit, ne ſalivatio, tremor, ſopor, apoplexia, vomitus, diarrhœa, a perſpirabili retento ſuccedat.

Ob majus atmoſphæræ frigus luis ſanatio difficilior in terris ſeptentrionalibus eſt, quam in meridionalibus, difficilior adeo in Anglia, quam in Germania.

Ad habitationem, quæ ſicca ſit, & moderate calida. Ob hypocauſtorum in noſocomio ticinenſi defectum olim lues venerea tempore hyemali vix ſuſcipiebatur ſananda.

Ubi plures in eodem cubili curam mercurialem, præſertim per unctionem, ſimul ſuſtinent, per-

perſpirationis ope omnis atmoſphæra ita inficitur, ut etiam mercurio non utentes, infirmariæ &c. in ſalivationem incidant, ut in urbe montis peſſulani *Gentardus*, *Frank* vero ticini in noſocomio tum civili, tum militari vidit.

Ceterum promerenda ægrorum confidentia foret, ut illorum ſtatum nec verbo nec geſtu cuidam prodamus, ne rixæ, liteſque familiarum oriantur, ne puellæ miſeræ fama una cum noſtra ipſorum peſſumdetur.

In ipſa formularum præſcriptione maxima ſæpe cautione opus eſt, nec ipſum mercurii nomen, utpote quem ad finem plerisque cogniti, facile adſcribendum. Pharmacopæis vero injungendum foret, ne tales formulas cuique legendas permittant.

Quam difficile interdum ſit in curanda lue absque famæ periculo verſari, præſertim cum qui noſcunt ægrotantem, de morbo illius interrogare medicum nimis curioſi ſoleant, ſequens docere caſus poteſt. Ad fœminam maritatam nobilem integræ, ſi alia, moralitatis, poſtquam ex itinere longinquo cum marito facto reverſa eſſet, *Frank* vocatur. Tophos ad os frontis, tineamque offert; adſtante marito indolis rheumaticæ declarat malum. Lecto maritus adſtat die altera. Die tertia denuo adſtantem familiaris per jocum abducit, repetit *Frank* ægrotanti rheumaticæ ſibi indolis malum videri, monens tamen, ut dubium ſibi eximeret, ſi noverit infectionis venereæ occaſionem. Negat ſe ream, maritumque accuſat. Perculſus reſponſo repetit diagnoſin factam, affirmans, ſe quæſtionem illam ſecuritatis ſolum gratia protuluiſſe. Die ſequente accedit maritum, quem ob liberiorem vitæ rationem undique cognitum aperte de lue interrogat. Fatetur ſe laboraſſe, laborare negat. Infectum eum *Frank* arguit ob vocem raucam, ulcuſculaque oris detegit, quæ maritus venerea eſſe negat. Advocari fæminam una cum marito *Frank* jubet, obteſtaturque maritum, ut fateatur culpam, ne erroris culpam ipſa luat, ille negat. Chirurgus exami-

ne

ne inſtituto & virum, & fœminam lue laborantes accuſat. Queſtionem de divortio petendo uxor minatur. Poſt longius cura fere abſoluta ad familiarem venit, quæ conſtare ſibi de rheumatismo nobilis illius fœminæ ridens ipſi indicat; rheumatismum revera adeſſe *Frank* affirmat, mendacii reum fœmina ipſum redarguit, cum rem cognoviſſet ex ipſa ægrotante, atque ita eſſe ad ægrotam rediens comperit, vixque perſuadere illi potuit, ut deſiſteret a conſilio divortium petendi.

An ad curam mercurialem inſtituendam opus eſt præparatione?

Non eſt opus, ubi nulla complicatio; quodſi vero alius cum lue morbus ſimul adfuerit, is primum ſi fieri queat, ſua methodo auferendus, ut ſimplex reddatur lues. Sic ſcorbutus cum lue junctus prior auferendus, debilitas major forte præſens, niſi lues urgeat, infuſo quaſſiæ, decocto corticis, diæta laudabili emendanda, antequam ad mercurii uſum accedatur.

Male vero agunt, qui quamvis luis curam a purgantibus incipiunt. Male agunt, qui ob faciem floridam, pulſum aliquanto pleniorem venam mox tundunt; per virus enim venereum debilitas ſat cito inducitur, aut per diætam rigoroſiorem facile obtinetur. Et abſurdum videtur venæ ſectionem inſtituere debilitantem, mox vero mercurium exhibere ſtimulantem, quæ auxilia ſibi utique contradicunt.

In urbe montis peſſulani moris olim fuit curæ mercuriali plura balnea præmittere. Si ſpurca cutis fuerit, juvat utique eam abſterſiſſe balneo uno, alterove; at plura eo fine adhibere, ut cutis ſtricta ſicca laxetur, abſonum videtur, cum balnei calidi virtus in corpus vivum nonniſi ſtimulans eſſe poſſit. Corium quidem aqua tepida emollitur, lotricum vero manus corrugantur aſperæ redditæ. Curæ præparatoriæ primus ſe oppoſuit Noſe in ſeiner Behandlung der veneriſchen Krankheiten.

Quæ-

Quænam diæta sub luis cura observanda? Consueta, si bona, si sanitati congrua, viribusque digestricibus accomodata fuerit, vitando excessum, ipsum adeo vinum moderate sumptum concedi potest. Nimis meticulosi fuisse videntur, qui cibos quondam bene multos interdixerunt, ne acrimonia nova nasceretur. *Clossius* metuit ab acidis, & a sale culinari, ne sublimatus corrosivus in ventriculo nascatur; qui metus omnino superfluus videtur, cum acidum salis culinaris nonnisi ope ignis sat validi cum mercurio in sublimatum corrosivum coalescat. Abusus quidem acidorum, sed ob aliam rationem erit vitandus. Sed id imprimis necessarium, ut transpirationis ratio habeatur.

Quæ curandi methodus potissimum commendanda?

Mercurius quoquo modo adhibitus sanare luem valet, quibusdam tamen subjectis præparatum præ alio aliud magis conducit, salivationem minus movens &c.

Frictiones mercuriales fere meliores *Frank* expertus est, quam sales ac calces mercuriales, præsertim in hœmoptoicis, phthisicis, delicatulis, irritabilibus, literatis, gravidis, quibus ne tuto quidem sales mercuriales exhibentur.

At frictioni locus non est:

a) Si malum urget, curamque citam petit; si nempe caries, ulcera maligna adsunt, ubi calces salesque mercuriales præferendæ sunt frictioni, quæ multo lentius agit.

b) Si cutis adeo sensibilis, ut a quavis unctione erysipelate tentetur.

c) Si ægrotanti conversandum cum aliis fuerit, quia fœtor, quem axungia porcina spargit, facile lædit.

Ubi frictiones mercuriales instituuntur, non eo usque continuandæ, ut valida moveatur salivatio, quæ ad curam non requiritur, eamque tædiosam ac diuturnam reddit, cum interrumpere mercurii usum cogat. Male hinc salivationi favet

Sellius & *Carolus Glogner* in *dissertatione de salivationis usu*, Gœttingæ 1793 edita.

Nunc frictio a plerisque eo usque tantum adhibetur, donec calor oris, pruritus gingivarum de salivatione imminente commoneant, qua imminente ad actionem mercurii in omne systema factam concludimus, atque hæc curandi methodus per exstinctionem dicitur.

Notandum tamen, non ubique ad apparentem usque salivationem continuari cum frictione posse, cum dentur, qui salivationem a mercurialibus nunquam experiantur. Sic *Brambilla* mercurii uncias viiiß citra salivationem inunxit; *Frank* 16 adeo uncias mercurii inunctas absque salivatione insequuta novit.

Ridicula videtur opinio *Hahemanni*, qui ad luis curam requirit febrem sub mercurii usu oriundam, & ideo mercurialem ipsi dictam. Potest utique mercurii stimulo febris excitari, sed si febres denominare velimus a stimulo excitante, habemus in potatoribus febrim vinosam &c.

Frictionem mercurialem ordinaturus medicus inquirere meminerit in mercurii quantitatem, quæ ad parandum unguentum mercuriale ibi adhibetur, ubi praxin exercet. Quæ quidem quantitas plurimum variat, modo enim mercurii atque pinquedinis pars æqualis accipitur, modo mercurii tantum pars tertia, quinta, quæ ultima habetur in unguento mercuriali *dispensatorii Viennensis* p. 143. Quod idem de aliis præparatis heroicis, opiatis, antimonialibus &c. notandum.

Axungia pro parando unguento mercuriali adhibenda non est ad ignem fundenda, ne fors rancida facta cutem nimis irritando inflammet, ulterioremque unguenti usum impediat. Nec nimis diu in pharmacopœa conservandum est hoc unguentum, quia sub calore æstivo cum eodem periculo rancescere potest.

Terebinthina, quæ in unguento neapolitano dicto continetur, male ingreditur unguentum mercu-

curiale, quia majore ſua acrimonia irritare cutem ad inflammationem usque valet.

Incommodum in unguento mercuriali inungendo eſt, quod fœtore multos offendat, colore cœruleo cutem linteaque conſpurcet. Fœtor hic vitari pro delicatulis poteſt, ſi unguentum mercuriale cum eadem butyri de cacao quantitate paratur; at nigro colore hoc unguentum inficit.

Inunctio in variis ſucceſſive partibus fiat, circa pedum articulos, ad genua, inquina, ad brachia, circa cubitum. Nec per plures dies continuos in eadem parte facienda eſt, pori enim pinquedine ita clauduntur, ut reſorbere minus valeant, & pinquedo cuti diutius adhærens ranceſcere poteſt, cutemque inflammare. In quacunque vero parte frictio inſtituatur, pili in viris præſertim prius abradendi ſunt, inflammari ſecus cutis poteſt.

Inunctio ad ignem fere inſtituitur, ut calefieri manus itentidem queat, ſed leni manu inſtituenda, atque per quadrantem vel dimidiam horam continuanda frictio.

Inunctionem ægrotans ipſe ſibi faciat, ſic ergo facilior erit unguenti reſorptio, & alteri non nocebitur. Sin ob debilitatem inſtituere frictionem ægrotus nequeat, veſica ſuilla, vel aluta inuncturus manum muniat, ne mercurium abſorbeat, atque in tremores &c. incidat.

Pro tegenda parte inuncta idem linteum diutius adhibendum, nam ſi ſæpius mutetur cum mundo, minus unguenti in corpus pervenit, quia linteum mundum plus reſorbet.

Methodus lui per exſtinctionem medendi ſic adminiſtratur, ut ab initio alternis tantum diebus unguentum mercuriale diſpenſatorii Viennenſis inungatur ad dr. β; & ſi poſt tres inunctiones ſic factas ſalivationis ſigna non compareant, ad dr. j. vix vero ultra dr. jβ pro doſi eodem intervallo adſcendimus, quia ob diuturnam triturationem multam calcem mercurialem continet; ceſſando, quamprimum ſalivationis ſigna comparuerint.

Pro magnitudine mali, ſenſibilitate ſubjecti &c. varia unguenti doſis ad luis ſanationem requiritur. Plerumque unciæ jjj—iv ſufficiunt, interdum vi. requiruntur, frictionibus 16—40 inungendæ. Nec tamen illico, dum luis ſymptomata diſparent, ab inunctione ceſſandum, ſed per 14 dies, doſi quidem refractiori, continuandum; poteſt enim lues venerea quaſi dormire, atque evigilari mercurii uſu citius intermiſſo, ut ſæpe redit febris intermittens citius ſepoſito cortice peruviano.

Sub methodo hac inunctoria balneum quavis ſeptimana adhibendum, ut pinquedine abluta ad reſorptionem ulteriorem cutis apta reddatur. An non ſufficit, dum alia pars inungitur, eam, quæ pridie inuncta fuit, aqua tepida abluere, ſive ſimplici, ſive ſaponata?

Brera in anatripſologiæ vol. I, Ticini 1799 edito, aliud unguentum mercuriale propoſuit, quod obtinetur, ſi mercurius ſaliva vel ſucco gaſtrico per longam triturationem ſubigitur, donec exſtinctus diſparet, ubi adeps additur. Citius ſic auctor, meliusque mercurium in calcem mutari putat, atque leniori frictione indigere, quam unguentum mercuriale vulgare. Non contemnit *Frank* remedium, nec tamen multam præ noſtro prærogativam ipſi mereri videtur.

Aliam methodum frictiones mercuriales adminiſtrandi docuit *Cirillo in tractatu de lue*, Neapoli 1783 edito, qui habetur in Sammlung auserleſener Abhandlungen für Aerzte, 8. Band.

℞. Mercurii ſublim. corros. dr. j.
Axungiæ porcinæ unc. j. Tere per horam jß ut fiat unguentum.

Cujus unguenti dr. ß ante decubitum illinitur plantæ pedis, parti aliæ inungi non poteſt ob inflammationem certo certius metuendam, lateris illius, in quo luis ſymptomata vel maxime ſeſe manifeſtant, ſenſim augendo doſin ad dr. jj. Si planta pedis ſenſibilior forte reddatur, plantæ alteri inunctio adminiſtretur. Lues pertinaces, rebelles-

que

que ad genu tumores venereos, qui in hydropem articuli vel rigiditatem facile abeunt, a ſe ſanatos teſtatur auctor absque ullo malo ad ſtomachum vel pectus nato.

Quidam *Frankii* diſcipuli, qui adhiberi Neapoli viderunt, celebrarunt hoc remedium; ſed *Frank* laudandum non expertus. Multam tamen experientiam non habet, quia primis caſibus ab ulteriori illius uſu deterritus eſt. Ruſticum quemdam in colicam diram incidere vidit, mucilaginoſis opioque ægre componendam. Colicam & in altero vidit, licet mitiorem. Serius Vindobonæ dolores venereos ad alia mercurialia rebelles fugatos quidem vidit hoc *Cirilli* unguento; ſed poſt annum redierunt.

Magna difficultas premere hanc methodum ideo videtur, quod certi vix eſſe poſſimus de quantitate mercurii reſorpti. Nam qui cutem ad plantam pedis habuerit teneriorem, in eo reſorberi multum poteſt, cutisque ipſa inflammari, cui vero dura calloſa fuerit, in eo parum reſorbebitur. Qui abſtinere hoc remedio noluerit, is ſaltem abſtineat, ubi ſublimatus corroſivus in genere contraindicatur.

Medicamentum ſatis mite, atque delicatulis non adeo ingratum *Plenk* induxit; mercurium nempe ex cinnabari redivivum cum mucilagine gummi arabici triturando ita miſcet, ut globuli mercuriales diſpareant.

Formulæ, quibus majorem, quam aliis præparatis mercurialibus commoditatem ac ſecuritatem *Plenk* tribuit propterea, quod maxima inter mercurium & gummi arabicum affinitas intercedat, ventriculus ab hoc connubio non lædatur, ſalivatio aut diarrhœa metuenda non ſit, ſunt ſequentes:

℞.

℞. Mercurii vivi depurati dr. j.
Gummi arabici dr. jj. terantur in mortario lapideo cum dimidio cochleari aquæ fumariæ, donec mercurius difpareat, dein terendo fenfim adde
Syrupi Kermefini unc. j.
Aquæ fumariæ unc. viii. capiat adultus mane & vefperi cochlearia jj.

℞. Mercurii vivi depurati dr. j.
Gummi arabici dr. jj. terantur addito dimidio cochleari aquæ fumariæ, donec in mucum abierint; bene fubactis adde
Extracti cicutæ dr. j.
Pulveris liquiritiæ q. f. ut formentur pillulæ gr. jj. capiat adultus mane & vefperi nro. vi.

Multi quondam ufus hæc remedia per Italiam fuerunt, fæpe fuffecerunt. Nec tamen *Frank* fatis cum illis contentus eft, quia vera mercurii exftinctio, in calcem mutatio non habetur, cum pauca, quæ adhibetur, trituratio ad id non fufficiat; hinc altero fæpe jam die mercurius folus comparet, ab eo vero forma metallica ingefto luis fanatio vix exfpectanda, Nec omnibus etiam exhibetur absque falivatione infequente aut alvo diarrhœica facta.

Si mercurium dulcem citra falivationem adhibere velimus, adhiberi vero ut inunctio fenfibilioribus poteft, exhiberi bis in die poteft ad gr. j. cum magnefiæ vel facchari fcr. j. Atque fi poft 3—4 dies incommoda non comparuerint, augeri poteft ad gr. jß—jj. bis, fenfim ter, aut etiam ad gr. jjj. bis de die. Salivatione imminente, quæ interdum vel poft pauca grana affumpta ingruit, defiftendum, donec ceffaverint falivationis conamina. A granis v. in muliere non venerea falivationem vidit *Frank* validam, tres feptimanas durantem, oris ulcera inducentem.

No-

Novam methodum mercurium dulcem adhibendi docuit *Clarc* in Sammlung auserlesener Abhandlungen für Aerzte, Band VI. Stück 1. Ore aqua tepida eluto, ut mucus abstergatur, jubet ægrum digito saliva madefacto gr. j—jj. buccæ circa orificium glandularum salivalium vel gingivis, eandemque quantitatem præputio vel nymphis affricare, ut cita sequatur salivatio. Sed quid sibi vult auctor cum salivatione cita, quæ tarde optanda, cum curam adeo non adjuvet, ut eam potius interrumpat.

Hunzovsky adhiberi hanc methodum in 10 ægrotis vidit a *Bromfield*; quibusdam cita gingivarum inflammatio nata, quibusdam dentes affecti, ut suspendenda fuerit methodus, paucis conduxit. *Frank* huic methodo non favet.

Car. Lud. Hoffmannus mercurium sublimatum corrosivum dedit forma pillularum, quæ Hoffmanni minores audiunt, & salivationem movere negantur, vide *Franc. Jacobi descriptionem methodi sublimatum corrosivum tutius, & copiosius exhibendi*, Monasterii 1777.

℞. Mercurii subl. corros. dr. j. solve in aqua destillatæ, s. q. misce cum micæ panis albi dr. x fiant pillulæ, quarum 10 continent mercurii gr. j. capiat æger ter de die num. 3—4 quidquam superbibendo.

Methodum hanc *Frank* non probat, quia non facile æqualis in singulis pillulis efficacia obtineri potest; quia duriores post aliquot dies redduntur, & absque effectu per alvum recedunt, quia mercurius ventriculum facilius lædit forma solida, quam fluida.

Contra sublimatum corrosivum laudatum londinensibus *observationum medicarum* vol. I. & II; *Aurivilio* sueco, *Darvinio*, *Cullenioque* insurrexit *Clarc de proscribendo potius, quam præscribendo sublimato corrosivo* &c. Argentorati 1784; insurre-

xerunt Parisini, qui in *actorum societatis regiæ* tomo IV casus infelices consignarunt; & juxta *Quarin* paucis profuit, quibusdam vero contracturas insanabiles, hœmoptöen, phthisin lethalem reliquit. *Frank* juste adhibitum probat.

Fumigationes mercuriales, dum nempe fumi ex cinnabari candentibus prunis injecta ascendentes ope infundibuli in partem affectam colliguntur, fere exoleverunt, quia illarum actio incerta est, facileque nociva redditur. *Shwediauer* laudat ad excrescentias, & ulcera rebellia; at forte Syphiliticæ originis ulcera non fueruut.

Si sub quacunque methodo mercuriali immineat salivatio, quam fœtor oris, calor, rubor, tumor, pruritus gingivarum docet, illico a mercurii usu desistendum, ne ulcera dolentia, fungosa, excrescentiæ linquæ, hæmorrhagia narium &c. oriantur. At quomodo præterea tractandus æger, ut sistatur salivatio?

Quidam balnea adhibent, ut transpirationem promovendo salivationem imminuant. Sæpe quidem, nec tamen ubique sufficiunt.

Vesicantia nuchæ quidam applicant pro facienda revulsione. *Frank* sæpe non profuerunt.

Dato purgante sæpe quidem imminuitur salivatio, sed interdum, ut jam *Boerhaavius* monet, effrenis succedit diarrhœa, quæ salivationis abdominalis speciem, ex pancreate vel maxime oriundam, sistere videtur.

Alii, dolore non urgente, collutoria suadent, quibus laxa oris vasa contraherentur, ex alumine, vino rubro parata; *Quarin* decoctum tormentillæ pro collutorio, interne sulphur cum camphora, martialia laudat.

Collutoriis adstringentibus sub salivatione adhibendis *Frank* non favet, nam quoties adhibuit, dolores magnos vidit excitatos; hinc nonnisi demulcentia ex althæa, malva &c. lacte tepido adhibet, quæ sufficiunt ad compescendam inflammationem ex nimio stimulo natam; præterea faciem,

col-

collum pannis laneis &c. calidis fovet, vel cataplasma ex mica panis & lacte paratum glandulis ſalivalibus apponit. Ubi vero dolor oris, & inflammatio ſub ſalivatione vix adeſt, decoctum ſalivæ cum melle depurato, aut roſato pro collutorio exhibet.

Hahnemannus hepatis ſulphuris cum oſtreis parati gr. jjj—jv ex aqua bis terve de die ingerit, moxque ſuperbibendum tradit acidum citri aqua dilutum, ut effervescentia in ventriculo naſcatur. Methodus hæc auctori multum laudata *Frank* ſæpe non profuit.

Quam cito ſæpe naſcatur ſalivatio, & quantum interſit illa nata mercurium ſeponere, ſequentes docebunt caſus. Fœminæ nobili non ob luem, ſed ob impetiginem quandam cutaneam Ticini *Frank* exhibet aethyopem antimonialem, remedium ſat mite, ſalivationem vix ciens, quem longiore tempore bene tulit. Mediolanum digreſſa remedii uſum continuat, nec multo poſt ingentem patitur ſalivationem, cum magna oris inflammatione, ulceribus, & deglutitione per fauces vix non occluſas per 9 dies impedita, quin tamen ſeponeretur remedium, donec *Frank* vocatus adveniſſet.

In homine viennenſi, qui ob luem perpeſſam multo quondam mercurio uſus eſt, nunc tabido & cervicis dolore detento, poſt dies tres ab aethyope antimoniali aſſumpto ſalivationem multam vidit, cum maſſæ pillulari nonniſi ad ſcr. j additus eſſet.

Ex hactenus allatis patet;

1. Mercurium quavis forma adminiſtratum, metallica excepta, domare luem poſſe.

2. Non cuivis ſubjecto quodvis remedium mercuriale æque bene conducere.

3. Ut mercurius in virus venereum intra humores receptum agat, opus eſſe quadam illius in corpore mutatione.

4. Præparata quædam mercurialia ex eo fieri inutilia ad luem ſanandam, quod vel per alvum ruant,

ruant, ubi aut cum alio præparato commutanda, aut opio rubenda ſunt; vel quod cito ſalivationem, inducant, quæ quidem mercurium non evacuat, ſed ulteriorem illius uſum impedit.

5. Mercurium ſibi omnino requirere transpirationem æquabilem, nec ſalivationem, diarrhœam, colicamque excitet, aut ad ſyſtema nerveum manuum tremores, paralyſes, apoplexiam inducat.

Hominem, qui coitu impuro ulcera penis contraxit cito evanida cum ſubſequente bubone &c. aſſumtis mercurii dulcis gr. VI & non vitato frigore boreali brachii & linguæ paralyſi affectum, *Frank* vidit, ſed ſanatum.

6. Symptomata luis a mercurio prius diſparere, quam cauſa deſtruatur, ut adeo poſt illorum ceſſationem ulterius in mercurio ſit continuandum.

7. Præſente ſcorbuto aut magna debilitate caute cum mercurio incedendum eſſe, qui ſæpe, ne vix quidem exhibendus, antequam ſcorbutus ablatus, debilitas emendata fuerit. Sic & febris, quæ lui interdum jungitur, mercurii doſes nonniſi mites aut & nullas admittit.

8. Doſin mercurii pro lue ſananda neceſſariam non facile determinari, quæ interdum ſat magna requiritur, dum alias parva ſufficit.

In lue licet inveterata atque rebelli parvis interdum doſibus ſanatio obtinetur, quæ non obtinebatur ſat magnis, ut teſtatur *Simons in London medical Journal* 1788, juxta quem magnis mercurii doſibus mala ſæpe generantur lue ipſa pejora ob inductam debilitatem, ulcera non ſananda &c. niſi mercurio ſepoſito, roborantibusque adhibitis.

Mitior methodus mercurialis convenit;

a) Ubi magna ex inflammatione ſymptomata adſunt.

b) Ubi æger admodum irritabilis eſt.

Ubi ſub graviori malo dolores urgent, opium mercurio eſt jugendum, quod connubium jam lauda-

davit *Plencitz* in Richters chirurgischen Bibliothek Band VI, Stück 4 & *Pasta de facultate opii in lue venerea*, Bergami 1788.

Homini, qui 64 frictiones mercuriales mediolani adhibuit, serius 40 sustinuit, quin sanatus esset, qui ab opio ad gr. xx intra diem assumto nullum dolorum osteocoporum levamen percepit, excrescentibus sensim super omni fere corporis parte tophis, ægre persuadere *Frank* potuit, ut sumeret bis de die bolum sequentem.

℞. Extr. cort. peruviani scr. j.
Mercurii dulcis
Opii puri aa. gr. j.

Adhibuit simul decoctum radicis sarsaparillæ cum scr. j. corticis Mezerei paratum, nam a dr. ß cardialgiam, vomitumque est passus; tanta fuit in homine sensibilitas. Restitutus est intra 6 septimanas, pinquisque vixit post 10 annos.

9. Relinqui interdum post diuturnum mercurii usum quædam symptomata, atroces v. g. artuum dolores, ulceraque ad mercurium rebellia, non jam mercurio impugnanda, sed decocto sarsaparillæ, chinæ nodosæ, addito opio, ipso corticis peruviani decocto; si stimulis fixis locus fuerit, cum opio juncto

℞. Radicis sarsaparillæ, vel
—— bardanæ unc. j, coque in
Aquæ fontis s. q. per ½ horam, sub finem adde
Rasuræ ligni guajaci dr. jj.
Cort. Mezerei dr. ß — jj.
Colaturæ libr. jj adde
Syr. diacodii unc. jj signetur intra diem absumendum.

Shwediauer corticem Mezerei ad unc. ß adhibuit, dosi, quam pauci ferunt.

Nec

Nec exoſtoſes ſemper diſparent poſt luem ſanatam, ſi nimis induratæ fuerint; adeoque exoſtoſis ſola ne te ſeducat ad uſum mercurii continuandum.

Si in exoſtoſi cum carie aut ſpina ventoſa juncta ſub mercurii uſu non ſequatur exfoliatio, ſine qua vix ſanatur malum, alia exhibenda ſunt morbis oſſium adaptata cum decocto corticis aliisve roborantibus. Siehe Sammlung praktiſcher Abhandlungen für Aerzte, Band V, Stück 1.

Quidam extractum gratiolæ ad gran. β — jj cum ſaccharo laudant, cavendo, ne per alvum ruat.

Sed præter mercurialia laudantur quædam alia ad luem ſanandam.

Medici americani, ut refert *Michaelis*, laudant opium ad gran. XXIV intra diem exhibitum. At licet contra dolores oſſium atroces utile ſæpe *Frank* expertus eſſet opium cum mercurio junctum, luem tamen nec ipſe, vide *delectus opuſculorum* vol. I, nec *Carminati* ſolo opio ſanatam vidit. Dolores quidem ſilere interdum vidit, quamdiu illius uſus continuaretur, eo vero ſepoſito recruduit malum; quidam vero ſub ipſo illius uſu male habuerunt.

Ex lobeliæ ſyphiliticæ radice tum recenti, tum ſicca in America decoctum paratur quotidie ſumendum. Vide *Murray apparatus medicamentorum* vol. I. pag. 524. Num lues hoc decocto fuerit ſanata, *Frank* ignorat.

Aſtragali exſcapi radicem a *Winterl* profeſſore Peſtinenſi acceptam *Quarin* obſervationum in *morbos chronicos* cap. XVI ſic præſcripſit:

℞. Rad. aſtrag. exſcapi unc. β. coque in
Aquæ fontis unc. xv. ad
Colaturam libr. j.
Summatur mane, & veſperi tepide.

Frank aliique ſine fructu adhibuerunt.

Agave americana & Begonia Italo cuidam laudantur in opere Romæ 1705 edito. *Frank* non tentavit, nec ab illo tempore mentionem illius factam novit in diariis medicis Italiæ.

Aci-

Acidum nitri ita laudatum, ut videretur mercurium ad luem ſanandam ſuperfluum reddere, quod primus tum contra luem, tum contra hepatitidem in Bengalia adhibuit *Scott*, vide *James Culliver opus de lue*, Liverpool 1797.

Acidum muriaticum diu antehac adhibuit *Zeller* ad guttas viii — x. ex decocti hordei libr. jj. intra diem ſumendi, cui doſi quovis 4 — 6 die guttas jj — jjj. addit. Pauca quidem *Frank* experimenta, ſed fruſtra ſuſcepit in clinico Viennenſi.

An horum acidorum laus inde fors nata, quod adhibeantur malis topicis a concubitu impuro &c. natis, ſed non venereis v. g. gonorrheæ virulentæ, ulceribus localibus, quæ cum ſponte ſæpe ſanentur, & absque lue inſequente, illarum ſanatio adſcribi nequit his acidis forte adhibitis.

De acido muriatico oxygenato, multum laudato, nullam omnino experientiam *Frank* habet.

Multæ difficultates premunt in infantum venereorum tractatione, circa quam potiſſime legendi ſunt *Roſenſtein in tractatu de morbis infantum.* — Doublet in der Sammlung praktiſcher Abhandlungen für Aerzte, Band VII. Seite 589. — Auszug über die Behandlung veneriſcher Kinder im Spitale zu Paris, in Sammlung praktiſcher Abhandlungen für Aerzte, Band II. Stück 4.

Quemadmodum *Unterwood* ſic *Roſenſtein* nimis facilis fuit in admittenda infectione apud infantes, putat enim ex parentibus venereis natos vel poſt 20 annos fieri poſſe venereos, quin infectionis cauſam ipſi admiſerint.

Joannes Hunter, ac *Girtanner* luem non communicari putant a parentibus venereis, niſi ſub partu, ſi mater ulcera venerea genitalium habuerit. Decernere *Frank* non audet, licet ſat probabilis ipſi hæc opinio videatur ob ſequentia.

Nam, quod venereæ abortum facile patiantur, aut infantes debiles pariant, plerasque morituras, hæc luem in infantem transgreſſam non ſatis confirmant; poſſunt enim hæc contingere ob debilita-

tem

tem per morbum, miſeriam, animi pathema matri inductum. Ex iisdem enim hiſce cauſis uxores caſtiſſimæ vel abortiuntur, vel infantes debiles enituntur.

Nec illud luis in embryone jam præſentis certum dat teſtimonium, quod naſcantur infantes tum vivi, tum mortui cum cute exulcerata, ex aliis etiam cauſis poſſunt; natum *Frank* vidit cum variolis.

Porro & illud conſtat, ſanguinem infectionis venereæ ſigna non edere, lac non inficere, exulceratæ niſi mammæ fuerint. Attamen infantes venereos natos *Frank* vidit ex matribus, in quibus de genitalium ulceribus ſaltem non conſtitit, ut adeo ſat dubia res eſſe videatur.

Quæ in adultis, eadem in infantibus ſunt luis ſymptomata. Quæ poſt tres a partu ſeptimanas, raro mox a partu comparent, puſtulæ cutis materia ſeroſa albeſcente refertæ, quibus ruptis ulcera naſcuntur venereis ſimillima, quibusque ſanatis maculæ cupreæ remanent. Mirum eſt, quod infantes ſæpe has puſtulas patiantur ad genitalia, ubi infectio primaria non contigit. Sanavit *Frank* fœminam veneream una cum infante, qui aliarum quidem partium ulcera, ſed potiſſimum genitalium exhibuit, poſtquam tres proles ſimili modo affectas perdidiſſet. Cave ne venereum dicas infantem, qui non eſt, absque diagnoſi male fundata ſuſpicionem &c. maritis inferas. Nam quo minus caracteriſtica ſunt pleraque luis ſymptomata, eo facilius apud infantes errori locus eſt.

Si in infante matris venereæ vera luis ſymptomata compareant, quomodo tractandus?

Quidam ſanari poſſe infantes putant, dum matri aut nutrici mercurialia adminiſtrantur, quæ cum lacte in infantem tranſirent. At mercurius, quantum ſcimus, lacti non unitur intra corpus, nam *Bertholet & Marabelli* in lacte fœminarum curam mercurialem non deprehenderunt, quare parum ab hac methodo exſpectandum videtur.

Cum

Cum Mediolani moris quondam eſſet infantibus nutrice deſtitutis ubera caprarum præbere, quæ ubi per paucos dies adductæ eſſent ad puſiones, eadem vero capra ad eundem ſemper puerum ducebatur, ne ſi forte ad ubera inficeretur ab infante impuro, malum communicaret infanti alteri, ſtabulo aperto ſponte ſcalas aſcenderunt ad puſionem ſuum quævis properans, eique crure altero elevato, ut *Frank* ipſe vidit, ubera præbens, *Moscati* propoſuit pilis abraſis eodem fine mercurium capris inungere, quod vero *Frank* diſſuaſit, tum ob rationem paulo ante datam, tum etiam ob id, quod capræ in febrim facile inciderent, atque in convulſiones variarum partium, unde ſæpe moriuntur.

Optimam methodum infantibus venereis medendi *Frank* putat, quæ adultis adhibetur, attendendo tamen ad majorem infantum ſenſibilitatem, ac debilitatem, ut præparata rite electa doſi adhibeamus debita.

Solutionem ſublimati corroſivi ad cochlear parvum, ex decocto licet emollienti exhibitam, teneris non ſat tutam eſſe *Frank* putat. Reprobat item conſilium Pariſienſium, qui fumos mercuriales ex cinnabaris gr. x—xv. excitatos admitti volunt in infantes machinæ cuidam ita incluſos, ut fumum ore attrahere nequeant. Sed unguentum mercuriale ad piſi magnitudinem doſibus non ita multis infricari poteſt, cavendo quam maxime a ſalivatione, quæ impedire lactationem & ſuffocando interimere infantem valet.

Optime exhibetur mercurius dulcis ita, ubi bis in die gr. ß ingeratur.

℞. Mercur. dulcis gr. jjj.
Pulver. lapid. cancror.
Sacchari albi aa. drach. ß.

Fiat pulvis dividendus in 6 partes æquales, capiatur mane, & veſperæ pulvis unus. Ab initio tamen non niſi alternis diebus ingeritur, ſenſim quotidie, donec ulcera per aliquot jam dies diſparuerint.

Un-

Unterwood exhibere ſolebat decoctum graminis, in quo mercurii dulcis gr. jjj. erant ſoluta, ad cochlearia aliquot de die ſummendum. At difficulter in aqua ſolvitur, facileque fundum petit, ut aut nimis parum mercurii ingeratur, ſi pars ultima abjicitur, aut nimium in doſibus ultimis, ſi nil abjectum fuerit.

Mercurius ſolubilis *Hahnemanni* exhiberi bis in die poteſt ad quartam grani partem.

℞. Mercurii ſolubilis *Hahnem.* gr. j.
Pulveris lapid. cancror.
Sacchari albi aa. ſcrup. j.
Fiat pulvis in 4 partes æquales dividendus.

Infantes, qui lacte veſcuntur, mercurio non adeo afficiuntur; ſed quia acido facile laborant, lapides cancrorum adduntur, ut auferatur forte natum.

Ulceribus venereis gangrænoſis forte factis, quod interdum accidit, *Joannes Hunterus* non irritantia valida, ſed frigida applicanda ſuadet. Circa quam rem experientiam *Frank* nullam habet.

PHTHI-

PHTHISIS.

PHTHISIS.

Quævis ætas, sexus quilibet, quodlibetque temperamentum suam habet sanitatem, qua præsente extus quædam comparent, quæ illam adesse testantur; huc pertinet agilitas corporis, & aptitudo ad motum, atque laborem, nitor cutis, splendor oculorum; omnis habitus externus bonus, ciborum non solum appetitus, sed laudabilis etiam subactio, unde debita nutritio, & torositas cum viribus conservatur. Quodni jugiter fiat, corpus sat cito destruitur; deteruntur enim quotidie solida, mutantur fluida, quæ utraque sensim eliminantur. Tali modo phœnomena Phthisis incedentis explicari posse videntur.

Phthisis tabes est ex ulcere aut externo, aut interno nata, cum febre hectica juncta.

Tabes *Cullenio* definitur notabile corporis totius decrementum, seu macies.

At licet melius, quam multi alii, circa tabem marcoris titulo versatus sit *Cullen*, hæc tamen illius definitio mala videtur, quia consistere cum macie sanitas potest. Dantur enim, qui licet macilentissimi sint, tabe tamen non laborant; nam omnes functiones rite succedunt, viribus corporis, animique pollent, & senectutem provectam attingunt, exemplo *Voltaire* esse potest.

Accedit, quod cuivis ætati, temperamento &c. sua sit torositas. Pinques sunt infantes, minus sunt pueri, & adolescentes, pinquedinis augmentum habetur circa 30 ætatis annum, decrementum circa 40; novum incrementum sæpe sensim deinceps evanescit.

Frank tabes est emaciatio aut corporis universi, aut partis cujusdam conspicua, morbosa, cum

functionum læsione, & sub labe universi systematis majore, cum febre lenta, hectica, vel & habituali dicta.

Dividitur 1. in universalem, & partialem. Modo enim totum corpus consummitur, modo pars tantum contabescit ex vitio quodam locali v. g. ex ossificatione arteriarum cruralium contabescit crus, quod idem nervo crurali discisso, eroso &c. contingit. Apud infantes sæpe artuum tabes ex compressione nervorum medullæ spinalis aut ad articulos contingente.

Ante 4 menses *Frank* vocatus est ad puellam nobilem, quæ paralytica hactenus habita electricitate, ac roborantibus tractabatur, in pavimentum enim demissa manibus, pedibusque incedebat crure utroque post se tracto, licet unicum esset affectum. Fuit vero marcidum, altero brevius, capite ossis femoris ex acetabulo ad superiora truso. Tabem cruris *Frank* explicat ex distractione nervorum atque vasorum per caput acetabulo pulsum, expulsionem vero a secretione morbosa in cavum acetabuli facta repetiit, hinc fonticulum proposuit ad cavitatem natis semilunarem prope articulum femoris. Nunc gressus quosdam puella facit, crure non amplius breviore, vixque tabido.

Tabes partialis sæpe ad artus occurrit doloribus magnis diu vexatos sub arthritide, lue venerea.

2. In primariam, de qua quidam dubitant, & in secundariam, symptomaticam, spuriam quoque dictam, ex alio morbo natam. Huc tabes scrophulosa, meseraica infantum, pituitosa pulmonum, hepatica, renalis, dorsalis ex nimia seminis deperditione nata.

Causæ tabis universalis:

1. Alimentorum ingerendorum defectus, vel quoad quantitatem, vel quoad qualitatem.

Huc pertinet tabes infantum ex lactis materni, vel nutricis defectu, qui non ubique suppleri potest lacte vaccino. Vidit *Frank* infantem per 10 septi-

ſeptimanas lacte vaccino nutritum adeo contabuiſſe, ut ſugere amplius non poſſet. Inſtillatis eidem nutricis expreſſi lactis guttis ſugere mox ipſe cœpit, & reſtitutus eſt.

Ex alimentorum defectu non animalia ſolum, ſed etiam plantæ tabe corripiuntur, in ſolo enim ſterili creſcentes marcidæ pereunt, quin fructus ediderint.

2. Tranſitus ciborum ad ventriculum negatus ob anguſtationem œſophagi &c.

a) Per ſcirrhoſitatem; militem *Frank* tractavit ſtrenuum ſpiritus vini potatorem, qui ubi per ſeptimanas deglutire non potuit, ex tabe periit, & œſophagum ſcirrhoſum exhibuit. Civem Viennenſem ante annum vidit contabeſcentem, qui cibos deglutitos hærere ſenſit in œſophago, magna cum anxietate, donec poſt ½ horam ructando ejeciſſet. Poſt 6 ſeptimanas mortuus œſophagum magna parte ſcirrhoſum oſtendit.

b) Per ſpasmum; fœminam nobilem *Frank* tractat, quæ per 6—8 dies deglutire interdum ex hac cauſa nequit, ut clysmatibus nutrienda ſit. Audivit de alia, quæ per plures dies deglutire impedita in lypothimiam lapſa deglutire valet, ut adeo ſpasmus ſolvi ſub lypothimia videatur.

c) Per paralyſin œſophagi ſub apoplexia contingentem, ubi deglutita in rimam glottidis illapſa tuſſim validam, vel & ſuffocationem momentaneam excitare valent. In hominis ſic ſuffocati trachea fruſtulum carnis *Frank* detexit. Si profundius in œſophago hæſerit paralyſis aut aliud obſtaculum, difficilis illius eſt cognitio, & nonniſi ex prægreſſis eruenda.

d) Per rupturam; quem caſum, quod conſtat, unicum *Boerhaave* vidit in præfecto claſſium Vaſſenaër, qui poſt vomitum violentiſſimum vomituritiones, anxietates ſummas paſſus ruptum poſt mortem œſophagum exhibuit, & aſſumpta in cavo mediaſtini poſteriori collecta. Siehe Zimmermann von der Erfahrung in der Arzneykunſt, Theil I. Seite 205.

e) Per

e) Per glandulam quandam circa œsophagum hærentem, tumefactam, induratam, aut per vomicam pulmonalem in œsophagi vicinia natam. Atque si talis vomica concreta cum œsophago fuerit, potest hoc ipso eroso sanguis e pulmonibus veniens evacuari per œsophagum, quasi vomitu ejiceretur.

f) Per aneurysma aortæ, steatoma in mediastino anteriori contentum, quale *Boerhaave* vidit.

3. Ciborum ingestorum subactio in ventriculo & intestinis negata.

a) Ob rejectionem per vomitum. Hinc quidquid ventriculum ad frequentem vomitum invitat, tabis hujus causa esse potest. Huc pertinet vomitus chronicus aliquot a pastu horis contingens ex ventriculi, pylori vel maxime scirrho natus, ubi materia rejecta sedimentum caffeanum sæpe refert, ut *Wichmann de signis diagnosticis* habet.

b) Ob summam ventriculi debilitatem, qua impossibilis redditur ciborum in bonum chylum mutatio, unde nec ulteriore digestione laudabilis succus nutrititius parari potest.

c) Ob bilis inertiam, qua præsente iterum debita chyli subactio impeditur.

4. Transitus chyli ad secundas vias impeditus, qui impediri interdum videtur.

a) Quod vasa lymphatica ex intestinis oriunda minori vi resorbendi polleant.

b) Sæpe sane impeditur per glandulas meseraicas infarctas, quæ vasa chylifera transeuntia comprimunt. Huc atrophia scrophulosa puerorum, in quibus glandulæ meseraicæ sæpe obstructæ sunt, quin signum scrophularum externum compareat.

c) Per morbos ductus thoracici nondum satis intellectos; huc compressio illius per glandulam vicinam lymphaticam induratam; læsio illius per instrumentum oblique a dorso adactum; erosio per cariem vertebrarum dorsalium, aut ulcus vicinum facta, quo fit, ut chylus in mediastinum posterius effluat.

5. Ina-

5. Inanitio ob humorum, ſeri, lymphæ, muci, ſanguinis ipſius, jacturam.

a) Per ſudores copioſos, præſertim in febribus lentis, qui pernicioſi tum ut ſignum, quia debilitatem magnam produnt, tum ut cauſa, quia humores ad vitam neceſſarios diſſipant.

Materiam perſpirabilem non eſſe mere per ſudores notatam, vetula illa docet, quæ inter puellas Pariſiis decumbens ſuſtentabatur, puellis tabe ſenſim exhauſtis.

b) Per ſalivationem diuturnam.

c) An non & per diabeten?

d) Per muci vel lymphæ jacturam ex vaſe lymphatico forte læſo, difficillime conſolidando.

e) Per galactirrhœam ſub lactatione infantum plurium aut unius protracta. Licet enim lac humor ſit pro parte adhuc indolis vegetabilis, nimia tamen copia profuſum exhaurit; quemadmodum in Inſubria tabe exhauſtas vaccas illas *Frank* vidit, quæ inſignem quotidie lactis copiam fundebant.

Frequens ex hac cauſa tabes in chorotrophiis, ſi eadem nutrix, licet bene nutrita, 3—4 proles lactare tenetur, vel ſi mater paupercula, quæ ſe ipſam ſatis nutrire nequit, infantem licet unicum lacte ſuo nutriendum habet. Idem a lactatione protracta periculum, præſertim ſi forte conceperit mulier, in quo caſu cum matre, & lactans, & fœtus in utero concluſus periclitantur.

f) Per purgantia repetita, diarrhœam protractam, dyſenteriam gravem, lyenteriam (ubi ingeſta ſemidigeſta per alvum ruentia nutrimentum corpori ſubtrahunt) per fluxum cœliacum, ubi mucus chyliformis in inteſtinis morboſe ſecretus alvo evacuatur; nam humorem excretum non eſſe chylum vel ex eo patet, quia ingeſtorum quantitatem plerumque ſuperat.

g) Per largam ſuppurationem, qua multi humores boni per ſecretionem morboſam perduntur, nam ex lympha pus paratur. Ob ſuppurationem lar-

largam tabes ſæpe lethalis ex vulneribus amplis, poſt artus cujusdam majoris amputationem.

Patet hinc, quantum nocere poſſint veſicantia in febribus aſthenicis nimis diu ſuppurantia, & abuſus fonticulorum in debilibus, phthiſi pulmonari laborantibus.

h) Per fluorem album copioſum, protractum, unde dolor lumborum, debilitas, vacillatio genuum, pallor &c., tabes.

i) Per ſeminis jacturam, quæ non tam copia aut nobilitate humoris ejecti, quam motu ſpaſtico, convulſivo lædere videtur, qui ſub quavis ejaculatione contingere ſolet. Nec illud obeſt, quod & illi contabeſcant, quibus ſine voluptate, aut motu convulſivo, vel inter alvi adeo depoſitionem decedit, cum jam pridem per violentas excretiones debilitati ſint.

k) Per venæ ſectionem, hæmorrhagias profuſas narium, uteri ſive menſtruorum, ſive puerperii tempore, poſt vulnera graviora militibus &c. accepta; in quo caſu, quidquid feceris, tabem ſæpe non impedies, quia tantum humorum, viriumque perditum eſt, ut aſſimulatio nulla amplius fieri poſſit.

Ex muci vel lymphæ jactura longe citius damnum, quam ex ſeri deperditione, quia plus principii nutrientis in illis habetur. Sic & arbores, quæ cortice inciſo copioſum gummi fundunt, cito tabeſcunt, quod gummi illarum quaſi lympham conſtituit; graviſſimum vero detrimentum ex ipſius cruoris, qui humorum aliorum fons eſt, deperditione naſcitur.

6. Impedita principii nutrititii diſtributio, & appoſitio.

a) Per dolores graves venereos, arthriticos &c. Sub quibus nulla functio rite abſolvitur, unde tabes modo partialis, modo univerſalis.

b) Per exercitium nimium, nimis protractum, quibus ſolida deteruntur, fluida diſſipantur, adeps in tela cellulari contenta funditur, reſorbetur, ſen-

ſimque evacuatur. Inde etiam macies ſub febribus occurrens explicanda venit.

Patet hinc, quam pravum ſit teneros applicare laboribus nimiis, unde incremento, & viribus exuti ſenectutem præmaturam patiuntur.

c) Per animi pathemata ingrata, deprimentia, mœrorem, amorem infelicem, avaritiam, invidiam, noſtalgiam.

d) Per venena ea doſi aſſumta, ut non illico occidant; huc pertinet arſenicum, mercurius ſublimatus corroſivus diutius ad luem ſanandam ingeſtus.

e) Per vaſorum minimorum obliterationem, qua facta nutritio ſuccedere nequit, unde tabes ſenilis. Et ſane vaſa multo pauciora injici poſſunt in ſenibus, quam in junioribus. Hæc vero vaſorum obliteratio ex ſanitatis legibus contingit, moxque a partu incipit; concreſcunt vaſa funiculi umbilicalis, ductus arterioſus Botalli; volumine imminuitur lobus ſiniſter hepatis in fœtu maximus; imminuuntur thymus, renes ſuccenturiati. Quæ vero vaſorum obliteratio in ſenibus eo usque extenditur, ut cutis dura, rugoſa reddatur, humoribus vix amplius pervia, arboris corticem vix non referens, toroſitas partium pereat.

Cauſa diſponens eſt corpus procerum cum ſcapulis quaſi alatis, hi enim fere rachitici quondam fuerunt, quod artuum diſproportio docet.

Cullen tabis cauſas generales duas ſtatuit: defectum fluidorum in vaſis; & defectum principii oleoſi in fluidis. Si muci nutrientis defectum intelligit, conſentiendum ipſi videtur.

Vis pinpuefacere apta natã in diverſis eſculentis, atque pro diverſis animalibus diverſa proportione adeſſe videtur. Sic plantæ oleum vix habentes pingueſcere hominem non faciunt, nec multum inde boves pinqueſcunt. Vim pinquefacientem longe majorem habent ſemina cerealia oleo ditiora, hinc quem magis pingueſcere volumus bovem, ei pabulum magis oleoſum exhibemus, a placentis ſemi-

ſeminum lini poſt oleum expreſſum reſiduis boves ſatis pinqueſcunt. Sunt tamen, qui ſub cibo, vel optimo largoque pinques non redduntur. Debet ergo quidquam ineſſe homini, quod ex cibis illud extrahat, pinquefacere quod valet, non extrahendum ab iis, qui ad pinquedinem ſibi comparandam proni non ſunt.

Pinquedini cumulandæ quies quædam vel maxime conducit. Anſeres &c. pinquefaciendi ſtabulo anguſto concluduntur, quieſcere ut cogantur, nec ipſis relinquitur comedere, quantum appetunt, ſed cibi ipſis eo usque intruduntur, quousque fere intrudi poſſunt, ſub qua methodo intra 3 circiter ſeptimanas pinques toto corpore redduntur; maxime tamen hepar volumine augetur; in homine quieſcente lien vel maxime augetur. Alauda & aves quædam aliæ intra 24 fere horas pinqueſcunt, & marceſcunt pro cibi, & motus diverſitate.

Dantur, quibus pars quædam augetur in damnum aliarum, quin ſanitas totius læſa videatur, aut pars mole aucta ad functionem ſuam obeundam inepta reddatur. Ex nimia tamen partis cujusdam v. g. cruris pinquedine interdum caries lethalis. Quam multum pinquedinis interdum colligitur in ſteatomate! at qua lege? qua lege interdum cadavera in materiam adipoſam adeunt ſpermaceti ſimilem? qua lege ſic mutantur fœtus quidam in ovariis &c. demortui?

Sed ut augeri pars quædam præ aliis poteſt, ita & extenuari poteſt tabe locali ex vitio non ubique ſatis intellecto, licet ex iisdem cauſis, ex quibus univerſalis naſcitur, oriri queat v. g. a nervorum, vaſorumque compreſſione; a dolore valido partem quandam diu cruciante &c. Sic qui partem aliquam præ cæteris, nec tamen nimis exercent, eam validiorem, ac toroſiorem habent — muſculos crurum toroſos habent bajuli — vaſa vero magis dilatata, unde pulſus plenior, fortior; qui vero partem quandam vel ultra modum, vel om-

omnino non exercuerit, eam habebit vitio locali ſenſim extenuatam.

Si diutius egerit cauſa maciem inducens, perit nitor cutis, & proportio partium pulchritudinem conſtituens, tela cellularis collabitur, & concreſcit, foveæ inter muſculos comparent, oſſa protuberant. Si jam cum habitu ex toroſo in macilentum mutato plures functiones ætati, & ſexui propriæ tolluntur, vel cum difficultate exercentur, tabes adeſt, & ſi febris accedit, hectica, lenta, vel & habitualis dicitur.

Pars plurima tabis ex alio ſane morbo naſcitur; primariam, quæ certe rariſſima, cum *Stahlio*, atque *Burſerio* omnino negavit *Cullen*, qui nullam febrim hecticam ſibi viſam contendit, ſine ulcere aut externo, aut interno. Quod tamen non ita intelligendum *Frank* putat, ac ſi nulla omnino eſſe poſſit absque exulceratione, nam ſæpe non detegitur ulcus in iis, qui ex tabe perierunt v. g. dorſali nervoſa hypochondriacorum, hyſtericarum; aut ſi detegitur, effectus eſſe poteſt cauſæ illius, quæ tabem induxit.

Num detur febris hectica primaria per ſe exiſtens, difficile eſt dicere; plerumque quidem alter morbus ſubeſt, ſæpe vero in ipſo adeo cadavere vitium detegere *Frank* non potuit. An chloroſi accedens febris haberi primaria poteſt?

Febrem hecticam primariam defendit *Heberden in transactionum medicarum* vol. I, quam ſic deſcribit: Febris tabi accedens, intermittenti genuinæ fere ſimilis, incipit ab algore, ſequente calore, atque ſudore. Interdum ſtadium alterutrum deficit, aut ordine inverſo incedit. Alias plenariam intermiſſionem paroxismus non habet, novo ſub ſudoribus accedente frigore, quod magnum intenſionis ſignum eſt. Incedit vero more quotidianæ, tertianæ, vel & quartanæ per 3 — 4 paroxismos, poſtea per 10 &c. dies ſæpe diſparet. Redit dein mitior quoad aſpectum, & absque certo ordine invadens. Interdum ſanos ſubito aggreditur talis febris, cito cum

peri-

periculo increscit, & licet remittere symtomata videantur, febris tamen non cessat; pulsus frequens &c. aut regularis ad mortem usque.

Fournier de febre hectica, Dijon 1781 febrem hecticam continuam speciem putat mitissimam; ab initio tamen intermittentem admodum periculosam, fere funestam.

Raulin in febre hectica, cum causa semper adsit, intermissionem non admittit, sed tempore etiam paroxismis intermedio eadem manere symptomata statuit, donec vel in sanitatem, vel in mortem abeat.

An de febre hectica primaria loquitur hic uterque, an de secundaria? Quas tabis species *Sauvagesius* habet, illæ omnes symptomaticæ sunt.

Frank febrem hecticam, quæ interdum tabi vix incipienti mox adest, sæpius vero nonnisi sub finem accedit, in tria stadia divisam sic describit:

Stadium I. inchoationis incipit ut febris intermittens cum frigore, sequenti leni calore, atque sudore, vel quovis die, vel omni altero, vel etiam quarto redeunte. Atque sic 3 — 4 paroxismos facit, ut *Hippocrates* jam monuit de phthisi agens, dein quietem per aliquos dies concedit; an forte concedere videatur?

Exsurgit dein febricula subcontinua non magna, quotidiana, sæpe tum ægro, tum medico prætervisa, tempore postmeridiano, vespertino, vel & nocturno cum sensu lassitudinis, remittens sub auroram ita, ut pulsus videatur quietus. Jam *Galenus de præsagiis ex pulsu* libro III. cap. 3. febris hecticæ caracterem in eo ponit, ut perpetuo sibi similis sit, & adeo mitis, ut vix persentiatur.

Ex hoc febris hecticæ initio febri intermittenti simili diluenda fors venit criminatio cortici peruviano facta, quod febres intermittentes in tabem abire cogat. An non probabile, has febres jam ab initio fuisse hecticas, sed pro intermittente imponentes?

Sta-

Stadium II., Status adulti. Subdole adhuc incedit febricula, quotidie rediens, quin vero frigus aut calorem persentiant ægrotantes, vel saltem nonnisi localem, fugacem, ad genas rubentes, interdum frigentes, ad volas manuum, plantas pedum.

Febricula hæc fere detegitur pulsu parum accelerato debili, contracto, duro, appetitu dejecto, præsertim in tabe nervosa hypochondriacorum, qui vix dejectus, imo auctus est in phthisi pulmonali; calore, debilitate, febris levitati non commensurata. Calor hic, pro signo pathognomonico habitus, fugax est, partialis, ingrate urens, urens item interne, dum cutis tangitur frigidiuscula; augetur vel maxime a pastu in facie rubicunda &c. cum pulsu incitatiore.

Notandum tamen debiliores, ut sunt literati, sedentarii, minime hecticos, febriculam sæpe pati pomeridianam, præsertim si paulo plus in prandio sibi indulserunt.

Hinc *Senertus* consuluit, ut qui febris hecticæ suspecti sunt, tempus prandii assumendi immutent. Quodsi febris eadem hora, qua prius post prandium assumtum accedere solebat, nunc ante illius assumtionem aggrediatur, de hectica febris indole dubium non esse monuit.

Trnka in historia tabis omnis ævi observata &c. secundum *Galenum* monet, febres hecticas incipere ab horripillatione prævia, idque habet pathognomonicum. At non ubique rem ita habere *Frank* vidit.

Stadium III., consummationis, marasmi; augentur priora, debilitas, macies, calor, inquietudo insigniter crescunt, somnus ut capi nequeat, sitis ardens urget, appetitus vel in ipsa phthisi pulmonali dejicitur. Ex quo vigente una cum tussi sicca & febricula ad phthisin sat cito concluditur.

Jam vix amplius observanda venit remissio, sed per omnem diem febris urit, augenda tamen sub exacerbatione vespertina, sed absque certo ordi-

ordine redeunte; versus auroram sudoribus terminanda fere partialibus ad faciem, collum, pectus, pedes, cum siccitate oris continua.

Urina redditur copiosa, intense tincta cum supernatante pellicula oleaginosa telam aranearum referente, iridis colores ostendente, quæ febre quotidie aucta sensim imminuitur quoad copiam; vices illius agentibus sudore & diarrhœa colliquativis dictis, velut humores soluti essent, & quasi colliquati; quod falsum est, cum in tabidorum sanguine crusta inflammatoria occurat.

Sudor cum diarrhœa alternat, difficulter sananda, ita ut sudore fluente alvus immorigera sit. An dum sub febre hectica imminuta sudor, aut alvi fluxus, cum urinis diabeticorum suppressis hydrops nascitur?

Ulterius capilli defluunt, ungues cadunt vel incurvantur, auriculæ pinguedine orbatæ quasi rigent frigidæ, vel ardentes; cutis aspera, contracta, anserina, dura, siccissima, ossa vix tegens, quasi pergamena sit, & a partibus subjectis retracta vix sese restituens. Ubi cutis hæc conditio apparet, duæ fere exacerbationes de die accedunt, altera mane, vesperi altera, ubi salus vix amplius speranda.

Cutis maximam in tabe partem capit, illa enim exarescente glandulæ sebaceæ materiam sicciorem continent, non humectantem; non unguentem, ex quibus pressis vermiculorum instar erumpit, quales vel apud sanos ex narium folliculis exprimi potest. Cum vero extremum illius alterum, quod orificium ductus externum occludit, atmosphæræ contactu & spurcitie nigrescens, veluti caput referat, pro veris vermibus hæc fila pinguia incautis sunt habita. In infantibus atrophicis frequentius hi vermiculi juxta spinam dorsi exprimi frictione possunt, quos vulgus emaciationis causam putans, quasi nutrimentum infanti surriperent, comedones male dixit. Accedunt dolores faucium cum siti, oris siccitate, voce rauca,

vel

vel nulla ex superficiaria inflammatione, tumor pedum &c. œdematosus.

Animus irritabilis, morosus, iracundus.

Cutis maculis tegitur petechiformibus, aut vibici similibus.

An & phtyriasis, major pediculorum proventus, tabis symptoma est, ut vult *Trnka*? An largior illorum proventus a neglecta fors pendet munditie? *Frank* fugere potius pediculos sub mortem vidit. At phtyriasin febri petechiali Veronæ epidemicæ symptomaticam describit *Petrus a Castro.* An ubique sub hac epidemia mundities fuit neglecta?

Macies conspicua potissimum redditur in partibus, quæ multa quondam pinguedine gaudebant; ad fundum orbitæ refugiunt oculi, tempora excavantur, nasus acuminatur, alæ narium multum agitantur, labia dentibus contegendis vix amplius sufficiunt, ubi mors in propinquo est.

Interdum sub vitæ finem mitia deliria & lypothimiæ accedunt.

Sauvagesius tabem, maciem ipsi dictam, in tria genera dividit: In tabem, emaciationem corporis totius cum pyrexia lenta habituali citra tussim & puris rejectionem. In phthisin, emaciationem corporis cum febre lenta amphymerina, tussi, dyspnœa & puris rejectione. In atrophiam seu marasmum, emaciationem corporis notabilem absque febre.

Cullen marcores in tria genera dividit: in pustulentum, in scrophulosum, in venenatum, a venenis assumtis ortum; atque sub his generibus 6 species a *Sauvagesio* desumtas disponit.

Selle quoque maciei tria genera statuit: tabem, quæ macies est non pendens ex febre. Atrophiam, maciem pendentem ex febre hectica, quæ vero febris ab exulceratione nata non est. Phthisin, ubi & macies, & febris ab exulceratione visceris pendent.

Qui-

Quidam tabem etiam ſtatuerunt ex cachexia natam, quæ ipſa effectus alterius cauſæ videtur.

Frank tabem ſequenti modo dividit:

1. In tuberculoſam; huc atrophia infantum ex infarctu glandularum lymphaticarum, vel tumoribus aliis nata, qui circulationem impediunt, & in ſuppurationem proni ſunt.

2. In tabem ex inanitione, per ptyalismum, diabeten, diarrhœam, onaniam, ſuppurationem nimiam &c.

3. In aſthenicam vel nervoſam literatorum, animi pathematibus debilitatorum, onania, veneno attritorum.

Tabes nervoſa referenda *Frank* non videtur ad illam, quæ ex inanitione eſt, nervoſa quidem fieri poteſt, ſed non omnis nervoſa ex inanitione venit.

In duo item genera dividi tabem poſſe *Frank* putat, nempe in eam, qua corpus ſine ulcere conſummitur, & in eam, qua corpus cum ulcere atteritur.

Optimi de tabe nervoſa ſcriptores ſunt: *Whyt* in ſämmtlichen Werken, S. 427. — *Morton de phthiſiologia*, dignus *Sydenhami* antagoniſta, qui circa corticem peruvianum & ſtimulantia melius quam *Sydenhamus* ſcripſit. — *Georgii Gottlieb Richter proluſio exhibens judicium de phthiſi nervoſa*, Gœttingæ 1744. — *Friderici Seib diſſertatio de phthiſi nervoſa*, Gœttingæ 1773.

Ad tabem nervoſam *Whytii*, atrophiam *Mortoni*, conſumtionem anglicam, virginianam *Sauvageſii*, marcorem debilium *Cullenii*, phthiſin hypochondriacam *Hoffmani* revocatur emaciatio lenta, nata ab animi pathemate ingrato, deprimente, amore infelici, noſtalgia, ira, invidia, odio; ab aſſumto veneno arſenicali vel alio ſive cognito ſive incognito; a nimiis literarum ſtudiis, a vigiliis continuis, a doloribus ſævis diuturnis &c. quæ nocere poſſunt inanitionem inducendo, quatenus in ſyſtema nerveum ita agunt, ut aſſimulatio

&

& appositio ingestorum impediatur; ex qua causa vel maxime pendere videtur tabes ex nimia seminis jactura nata.

Tabes nervosa incipit cum dyspepsia, ciborum nempe aversatione, qui, licet digerantur assumti, nonnisi ad paucas de die uncias assumuntur. Potare tamen satis solent, licet non sitiant ægrotantes; atque sic per menses vivunt, quin febre adhuc laborent, singularem animi morositatem, iracundiam, melancholiam profundam manifestantes. Alvum per 6—14 dies non ponunt, quia a cibis paucis ingestis ad excretionem, ut videtur, intestina non stimulantur. Vigiliæ tenent nocturnæ, debilitas & macies quotidie augentur sine tussi aut pectoris oppressione. Interdum symptomata nervosa comparent, cordis palpitatio, tremores, convulsiones hinc inde leves, imagines horrificæ sub somno, solitudinis amor., facilis lacrimatio. Post menses bene multos febricula cum dyspnœa, tussi sicca, & interdum transitus in phthisin, quæ mali effectum sistere videtur.

At raro pus detegitur, aut tubercula, sed consumta quævis comparent, & exsucca, ut morbum primarium sistere videatur. In statu deplorato profunde in orbita hærent oculi; ossa maxillaria prominent; palpebræ aridæ connivent, vix attollendæ, tempora excavata; pinnæ narium contractæ; aures frigidæ, aridæ; frons dura, intenta, arida, buccæ tenues, facies plumbea, squalida, scapulæ alarum in modum exstantes; venter inanis, retrotractus, nates pendulæ; suræ consumtæ, crura &c. cum digitis arida articulis prominentibus; ungues curvati; capilli defluentes; venæ turgent lividæ; ubique ossa nonnisi cute tecta. Malo in mortem vergente extremitates œdemate turgent, lypothimiæ crebræ accedunt; sæpe autochiria vita maturius abrumpitur.

Exemplum tabis nervosæ mirum Ticini *Frank* vidit in marchione Botta 30 annorum fœmina emaciatissima, quæ ex phthisi pulmonali insanabili la-

borare videbatur *Carminati*, qui postquam mortem prædixisset intra triduum futuram, fœmina vero post 7 dies adhuc viveret,* *Frank* vocatur. A 13 mensibus dolorem adfuisse comperit lateris dextri inter 4 — 5 costam decubitum impedientem; a 7 mensibus febrem lentam adesse cum sudoribus nocturnis, binas de die exacerbationes habentem; a 5 mensibus sputa prodire, ut videbantur, purulenta cum sanguine mixta, crescente in dies macie; consentit *Frank* in diagnosin factam, de qua vero mox dubitat, quod cum tantis symptomatibus malum diutius durasset, quam durare phthisis solet. Quærit ex marito, num ægrota non habeat familiarem, ex qua cognoscere prægressa posset. Ablegatur ad famulam quandam ægrotanti a prima infantia sociam, ex qua comperit: heram suam pinguescere quondam incipientem pulchritudinique metuentem cibos assumsisse paucissimos, exercitia valida inter choreas nocturnas &c. instituisse, potato insuper aceto quamplurimo, macilenta quo fieret. Exhibuit nutrientia parca manu, & mitia stimulantia. Cessavit non ita post febricula matutina; sensim imminutus sudor. Potare cæpit aquas selteranas cum lacte; infusum frigidum corticis, quassiæ. Post 7 menses deambulare valuit, sputa nulla amplius reddens. Itinere per annum instituto sana vixit, donec sub ultimi belli tumultibus mania corriperetur, ex qua tamen fuit restituta.

S e d e m t a b i s n e r v o s æ quidam posuerunt in ventriculi nervis affectis, quibus sympathiam maximam habet cum corde &c. ita ut non bene peracta digestione mala sit applicatio. Nam juxta *Mortonum* in omni tabe nervosa, vel mox ab initio mali, vel non multo post digestio læditur, & diu ventriculus solus de debilitate testatur. Dein animi pathemata deprimentia, quæ præcipuam mali causam constituunt, vel maxime in ventriculum agere observantur.

Pro-

Probabile ſane eſt, aſſimulationem in hoc morbo peſſumdari, & organa digeſtionis, atque vaſa reſorbentia inteſtinalia muneri ſuo deeſſe, licet naturam impedimenti ignoremus.

An materiam quandam inviſibilem accuſemus, cum interdum abſque cauſa manifeſta, aut viſibili quadam excretione ſanetur. Exemplum *Whyt* adfert de podagrico, qui, cum diu paroxiſmum paſſus non eſſet, ita ſenſim conſumptus eſt, ut moriturus videretur; redit tamen paroxiſmus podagricus, & ſanatur homo. Annon cauſa pedes prius afficiens nutritionem impediviſſe cenſenda eſt? Contrarium illi, quod in tabe nervoſa fit, in diabete contingit, ſcilicet in quo fames ſumma, cita ciborum digeſtorum abſorptio, ſed citiſſima etiam reſorptorum per renes evacuatio.

C a u ſ æ t a b i s n e r v o ſ æ manifeſtæ, quarum tamen agendi modum non intelligimus, nam licet ſolida illis mutari, liquida corrumpi dixerimus, parum proficiemus, cum modum mutationis & corruptionis non comprehendamus, ſunt juxta *Mortonum*:

A. Aëris inſalubritas, abuſus ſpirituoſorum, defectus nutritionis priſtinæ lautioris, jejunia diuturna ob religionis præcepta &c. ab hebræis &c. inſtituta, unde adeo parum ſtimulatur ventriculus, ut digeſtioni deinceps non amplius præſit.

B. Studia profunda nocturna; curæ mordaces, animi pathemata quævis ingrata.

Hinc ſæpe incidunt, qui matrimonium infelix vivunt, inter odia &c. continua. Sæpe incidunt, qui matrimonium præmaturum ineunt, & frequentem in ætate tenera graviditatem experiuntur. Vide *Frank de politia medica*, Vol. I. Ad matrimonium enim ineundum non ſufficit menſium comparitio, ſed corporis robur requiritur ad generationis opus neceſſarium; in noſtris regionibus puellæ non nubeant ante 18 ætatis annum, nec ante 22 juvenes ducant. Quomodo enim ſine damno fœtum alet fœmella, quæ nutrimento in proprium incremen-

 tum

tum adhuc indiget? Non sufficit proles quascunque ex matrimonio obtineri, sed robustæ sint oportet, & longævitatem promittentes. Dein & educatione morali in matrimonio opus est, quam vero educationem a parentibus — infantibus — infantes exspectent.

Incidunt in cœlibatu viventes, nisi temperamentum habuerint cœlibatui aptum. Insanabilem hanc tabem *Frank* vidit in fœmina casta, ob viri impotentiam.

Incidunt persæpe nostalgia tacti, qua potissimum laborant Helveti, scoti, aliique montium incolæ. Qua qui laborant languore vexantur, dyspepsia, cardialgia flatulenta, & post aliquot menses occumbunt emaciati. Interdum intra 5—7 septimanas febre nervosa acutiore exstinquuntur. Alias symptomata sat magna cito disparent spe reditus in patriam facta, nec fere sanabatur malum nisi reditu in patriam concesso. Hujus rei triste exemplum puella sueva dedit, quæ ante biennium in clinico ex febre nervosa restituta, cum ob virium debilitatem, atque egestatem dimitti in patriam non posset, ex febre lenta contabuit.

Hinc lex fuit sub Galliæ regibus, ut militibus Helvetis nostalgia correptis mox reditus in patriam per aliquod tempus concederetur, licet quosdam, non amplius reversuros, sic perditum iri prævideri posset, cum alias omnes perderentur. Quemadmodum alia lege vetitum fuit cantare cantilenas Helvetas, præsertim illam Kuhreigen dictam, ne patriæ videndæ desiderium excitaretur.

Nec gregarii tantum milites helveti sic laborant, nec miseriam accusare licet, cum plerique melius nutriantur, quam nutriebantur in patria, cum & ipsi adeo præfecti militares interdum corripiantur. Novit *Frank* literatum, qui ne cum amicis quidem ab urbe, in qua degebat, tam longe recedere potuit, ut nil amplius de illa conspiceret; nam eo usque digressus, ut nullam illius partem

lu-

lustrare posset, in convulsiones incidit, illico reportandus.

C. Venena tanta dosi ingesta, ut illico non occidant; venena enim in omne quidem systema agere videntur, maxime tamen in nervosum. Huc pertinet arsenicum, protractus sublimati corrosivi usus. Puella venerea paucos ante dies dimissa post diuturnum sublimati usum in cardialgiam validam cum spasmis, & appetitu prostrato incidit, sat cito cessantem seposito sublimato, & assumta aqua menthæ cum liquore Hoffmanni &c. toxicationem lentam per mercurium corrosivum sat sæpe locum habere *Frank* putat. Villicus in agro ticinensi degens *Frank* conqueritur, quod ante aliquod menses doloribus colicis vexari cœpisset cum omni sua familia, emaciari, ac rigere. Causam in aqua domestica quærens, mundari puteum fecit, & dum interea aqua uteretur alia, cessasse hos dolores, qui vero redierunt, dum suam iterum aquam in usum trahere cœpisset, qui sæpius dein cruciarunt, aut cessarunt, prout aquam bibisset aut suam, aut alienam. Aquam vero hujus villici, qui laudabilis videbatur ad aspectum, examinans *Scopoli* sublimatum corrosivum deprehendit a vicino quodam invido probabiliter immissum.

Dantur & alia necdum satis cognita, quæ post 2—3 annos occidere per tabem valent, ut aqua tophana, quæ adhuc in Italia parari creditur, cujus tamen rei cognitionem *Frank* in Italia degens comparare sibi nullam potuit; nam nec comperire valuit, ubi, aut unde paretur, nec medicum novit, qui tabem ex aqua tophana natam tractasset.

Exemplum tabis a veneno natæ habetur apud *Amatum Lusitanum*, centuria II. &c. Etiam quæ innocua videntur medicamenta, diutius aut dosi majori data, sunt suspecta, ut *Cullen in materia medica* de amaris monuit. Sic amygdalæ amaræ facile necant psittacum aliasque aves majores. Et cum in Anglia arcanum quoddam, amara continens, intra annum exhiberetur 25 podagricis, libe-

berati quidem ſunt a podagra, ſed poſt triennium nonniſi tres ſupervixerunt,

Pratolongo mortuum ſavonæ novit hominem, qui ab empirico quodam contra febrem quartanam rebellem electuarium aſſumpturus præmonitus eſt, ne metueret a lypothimia, in quam lapſurus eſſet, quamque in multis aliis obſervaſſet a ſuo electuario; continebat vero amygdalarum amararum uncias tres pro doſi.

Prognoſis: Tabes quidem ubique occurrit, ſæpiſſime tamen in Anglia, præſertim nervoſa. *Chriſtophorus Benedetti (Benedictus) in theatro tabidorum*, opere claſſico, pag. 110 inquit: Tabidorum languor ſine viſceris labe comparens, tacite opprimens, Anglis potiſſimum ſæpe funeſtus eſt, quia vitæ tœdio affecti de medico vix cogitant, donec ſero medicina paretur. Deeſt autem digeſtionis potentia, hinc nec medicinas digerunt, quæ velut crudæ in ventriculo hærentes opem præſtare non valent.

• Sæpe fallit lenitatis ſpecie, & in ſubitam ſtragem juxta *Vogel* erumpit.

Accedente hydrope vel pedum œdemate conclamatum eſt de ægrotante, juxta *Morton phthiſiologiæ*, libro I. capite 1.

Plerumque laborant Angli ex Virginia, Americæ provincia redeuntes. An ob climatis diverſitatem & quamnam? An ut vegetabilia diverſo ſub ſole creſcentia aliis virtutibus gaudent, ita & animalia diverſimode afficiuntur.

Morbo diu durante, & cum magna debilitate incedente contingunt obſtructiones glandularum, pulmonum &c. unde functionum læſio, fatalis ſuppuratio, atque in phthiſin pulmonalem tranſitus. Phthiſin nervoſam *Richter* deteriorem dixit vulgari. An malo deterrimo, quale phthiſis ſiſtit, deterius datur? Atque ex phthiſi nervoſa interdum ſat cito ſanitas, quæ multo rarius ex vulgari ſuccedit.

In cura, quæ vero non quascunque tabis ſpecies amplectitur, præcipua ſunt:

1. Ut eruatur mali causa.

2. Ut eruta tollatur, aut imminuatur.

3. Ut inquiratur in complicationem forte præsentem v. g. in vermes, qui interdum cum tabe nervosa complicati sunt, licet eam producere per se possint, inanitionem inducendo.

Cum debilitas fere subsit cum summa sensibilitate juncta, nonnisi lenia erigentia volatilia exhibenda. Raro ex cortice &c. ab initio dato utilitas.

Maximo vero cum studio diæta ordinanda, quæ palato placens sit oportet; cum cibos fere respuant ægrotantes, etsi facilis digestionis, cum digestio lanqueat. Hinc arte quadam culinari medicus indiget, quæ hauriri magna pro parte potest e Zückerts medizinischen Tischbuche.

Cibus gratus, & nutriens parari potest ex vitello ovorum in aqua diluto, additis saccharo, & aqua cinamomi, chaudeau dictus.

Multis prodest lac ex mamma fœminea suctum, modo lac & suctio non displiceant, nam & facilis digestionis est, & bene nutrit, utpote homini plurimum analogum. *Frank* multos ex tabe nervosa restitutos vidit ope lactationis per 5—6 menses continuatæ. Fœminam nobilem *Frank* novit, quæ ante 30 annos ob tabem deploratam derelicta lacte humano ita restituta est, ut septuagenaria adhucdum Viennæ vivat. Huc pertinet infans 11 mensium tabidus lactatione restitutus. *Swieten* exemplum habet adolescentis nobilis, qui inter duas nutrices decumbens suxit, & ita convaluit, ut periculum esset, ne nutrices suas ipse nutrices efficeret.

In phthisi vera conducere lactatio vix posse videtur, nec sugere valent phthisici ob respirandi difficultatem sub suctione auctam. In defectu lactis humani servire potest lac asininum, equinum, caprillum, vaccinum recens mulctum cum aqua selterana, si ventriculus inde non gravetur. Hominem, qui rupta pulmonum vomica ad libr. jj. puris rejecit, dein sputa male olentia reddidit cum ema-

emaciatione notabili, restitutum *Frank* vidit lacte asinino cum aqua selterana exhibito.

Prosunt jusculа ex animalis junioris v. g. vituli 7—9 mensium carne tenera parata, quæ succum nutrititium humano analogum facile largitur. Nec tamen animalis nimis juvenis caro adhibenda, quia jusculum præbet nimis gelatinosum, hinc difficilioris digestionis. Mala hinc sunt juscula meraciora, Kraftsuppe, ex pedibus vitulinis &c. parata. At non omnibus tabidis juscula placent, aut satis conducunt. Anglis rarus jusculorum usus est, quia principium nutriens admodum dilutum habent, hinc majore illorum quantitate opus est, qua ventriculus sæpe extenditur, nausea afficitur.

Hinc jusculis præferenda est caro assata, si digerendæ capax ventriculus fuerit; assatione enim crusta formatur, qua fit, ut dissipari succi minus possint, quam sub coctione dissipantur, adeoque caro assata parva sub volumine multum nutrimenti continet. Dein vero sub ciborum ingestione non solum cogitandum de principio nutriente administrando, sed etiam de stimulo ventriculo applicando, ut ad agendum excitetur. Male hinc rustico convalescenti dabis nimis tenera, licet nutrientissima, cum ventriculus illius nonnisi a durioribus ad agendum induci consueverit. Convalescentibus quibusvis, si ventriculus digerendo fuerit, carnes assatæ præ jusculis conveniunt; quæ tamen non omnibus præscribenda, cum carnes quivis non digerat.

Tractavit *Frank* principem ex tabe nervosa non admodum provecta laborantem, qui cibum quemcunque repudians persuaderi denique sibi permisit, ut halecem recentem quotidie assumeret. Ubi quosdam cum appetitu sumpsisset, alia item fercula placuerunt. An sal marinus stimulo suo actionem ventriculi excitavit? An etiam carnes salitæ conducere possunt? An iis, qui carnes respuunt, pisces recentes commendandi?

Conducit potus nutriens, & stimulans; cerevisia etiam generosa, Porter Anglorum, pro viri-

viribus ægrotantis, & consuetudine assumta. Per Porter Anglis laudatum archiater imperatoris russici plures tabes a se sanatas testatur, quam per corticem peruvianum. Conducunt vina generosa, Burgundicum, Melniccense, Budense, reliqua hungarica facile nimis irritant sensibiliores, divitibus vero Tocajense, Capense. Vitanda vero sunt vina acida, austriacum, rhenannm, quia facile acescunt, & vapida in ventriculo redduntur.

Conducit cœlum calidius, nam Angli Italiam &c. petentes, si non sanantur, sat diu saltem vitam prorogant. Conducit sæpe sola cœli mutatio, licet ad clima calidius non transeatur. Prodest rusticatio; licet satis non sciamus, quid potissimum sub cœlo mutato prosit. An grata animi distractio, motus &c.

Conducit porro ad tabem nervosam sanandam animi distractio per musicam, grata spectacula, sermocinationes de objectis ægrotanti jucundis.

Musices in morbos etiam acutos apud eos influxum, qui ea delectantur, *May* testatur. Is filiam cantatricis tractans ex febre nervosa cum subsultibus tendinum, sopore continuo decumbentem, rogavit matrem, ut ad instrumentem caneret. Canit, non ita post lachrimæ, ut videbatur, involuntariæ per genas cadunt, nam adhuc soporosa jacuit ægrota. Cessatur a musica, repetitur a meridie, oculos aperit, cito tamen in soporem relabens. Ubi per tres dies sic continuatum esset, redire ad se cœpit, sensimque restitui.

Remediorum initium fieri fere potest ab acido *Halleri*:

℞. Acidi *Halleri* dr. jj.
Syr. rubi idæi vel
— ribesiorum vel
— Kermesini unc. iv.

Diluatur tantum in aqua, ut gratam aciditatem acquirat.

Sen-

Sensim ad amara mitiora transitur, ad decoctum quassiæ, infusum frigidum corticis, qui si maturius exhibeatur, utilitatem testante *Heberden* vix præstat.

Ubi stimulo majori locus est, infusum ex alterutro vinosum parari potest cum vino rhenano, malvatico, alioque generoso.

℞. Rasuræ ligni quassiæ unc. j. infunde in vini rhenani libr. jß. per 24 horas, colatura signetur ter quater de die vasculum ß—j. sumendum.

Elixir viscerale *Hoffmanni* aromaticum potens est remedium ad ventriculum segnem excitandum.

Conducunt aquæ martiales pyrmontanæ &c., nisi per alvum ruant, maxime tamen ad fontem haustæ, ubi iter institutum, cœli mutatio, grata animi distractio illarum actionem adjuvat.

Conducunt tinctura martis pomata illiusqne extractum cum aromate quodam, cinamomo, moscho & juncta.

Nec externi stimuli negligendi sunt, apponendum est ventriculo emplastrum quoddam cum camphora, ac pauxillo olei cinamomi paratum, stomachicum dictum. Qui pedibus difficulter moventur, iis imperanda equitatio, vectio in curru, injuncto simul officio, ut equos ipsi dirigant, si valuerint; sic enim & corpus movetur, & animus distrahitur occupatus.

Ante aliquot sæcula hujus generis ægrotantibus peregrinationes sacræ injungebantur, quæ sæpe profuerunt rerum visarum varietate, climate mutato, confidentia veniæ pro peccatis impetrandæ &c.

Magna tamen in cura tabis nervosæ patientia opus esse meminerit medicus, quia æger plurimum mutabilis medici remediorumque cito sæpe pertæsus fit. Hinc animus persuasione componendus, exhilarandus; medicamenta sæpius varianda, ratione simul habita, ut sapore grato se commendent ægrotanti.

In

In tabe nervosa a veneno, quod cum jam pridem ingestum sit, in massa humorum hæret totum systema afficiens, adeoque excuti vomitorio nequit, præter generalia vix dari consilium potest opportunum, eo minus, si venenum incognitum fuerit illatum. Lac tamen præ ceteris opporнum sese præbuit.

In tabe ex nostalgia vix quidquam juvat, quam reditus in patriam concessus.

In tabe ex onania, fluore albo nata, petenda sunt consilia ex tractatibus, quibus de his excretionibus auctum est.

PHTHI-

PHTHISIS PULMONALIS.

Phthiſis φθεινα ex vi vocis ſignificat diminutionem, corruptionem, colliquationem corporis, undecunque natam. Plerique Phthiſeos vocabulo utuntur ad deſignandam conſumtionem ex ulcere partis cujuscunque natam, addito hinc nomine partis, quæ exulcerata eſt, inde phthiſis hepatica, renalis, pulmonalis &c. Quidam phthiſeos nomen illi tantum conſumtioni tribuunt, quæ ex pulmonum ulcere pendet; Græci tamen conſumptionem ex pulmonum ulcere natam phtoen dixerunt.

Phthiſis pulmonalis vel pulmonia *Sauvageſio* eſt: corporis emaciatio cum febre amphimerina lenta, tuſſi, dyſpnœa & fere cum ſputis purulentis rejectis.

Reid in der zweyten Auflage über die Lungenſucht 1785. eſt: expectoratio materiæ purulentæ ex pulmone, cum febre lenta mane inter ſudores remittente, cum debilitate relicta.

Frank definitur: conſumptio cum febre hectica, cum tuſſi, & plerumque cum puris rejectione. At ſputa purulenta, rupta tandem vomica, ſero ſæpe comparent, ubi alia ſymptomata phthiſin adeſſe jam diu loquuntur.

Morbum frequentiſſimum phthiſis ſiſtit, ex qua in Germania ſextus quivis juxta *Hoffmannum* perit. In Anglia major adhuc illius lethalitas. In noſocomio Viennenſi tertius vel quartus ex phthiſi moritur. In urbibus populoſis endemica eſt.

Mira recentiorum obſervatio eſt, juxta quam referente *Beddoes* über die Urſachen, Zeichen und Verhütung der Lungenſucht, laniones, coriarii, aliique opifices, qui effluviis carnium putridis verſantur,

tur, immunes fere a phthisi videntur. *Nadehaud* montis pessulani 1788 dissertationem edidit, qua inquirit: an prodesse phthisicis possit commoratio in carnariis.

Dubium tamen contra *Beddoes* illud esse potest, quod nonnisi robusti, ad phthisin non dispositi, dictis opificiis se tradant. At observatione dignum videtur, quod in Scotia fœminæ, quæ pisces marinos vendunt, immunes a phthisi putentur.

An rarior phthisis in regionibus calidioribus, & quidem ob pauciores aëris vicissitudines? An rarior in locis depressis, quam elatis?

Raro ex phthisi moriuntur animalia, equis forte exceptis; an causa est in diversa vitæ ratione, minori pulmonum agitatione?

Phthisis ætatem juvenilem utriusque sexus inter 16—30 ætatis annum amat; potissimum tamen illos prehendit, qui pectore instructi sunt ad anteriora complanato, compresso, angusto, scapulis alatis, collo longo, faciei cute tenera, alba, genis rubentibus eleganti, (ein Gesicht wie Milch und Blut) dentibus albissimis, niveis, margaritaceis, quasi pellucidis, musculis gracilibus, laxis, qui cito in altitudinem excrescunt gracilem, cum ingenio fere eminentiori, qui vix non rachitici sunt aut scrophulosi. Vide *Morgagni de sedibus & caussis morborum*, epistolam XXII. num. 31.

Nec tamen omnes proceri, graciles ex phthisi pereunt. *Voltaire* summe gracilis 80 ætatis anno sine phthisi occubuit. Dentes item albi &c. quod magnum phthiseos signum *Simons* habet, interdum sine phthisi occurrunt.

Phthisis quibusdam familiis ita est propria, ut singula fere membra ex illa pereant. Matris phthisicæ proles septem phthisi enectas *Frank* vidit. Consilium *Tissoti, in tractatu de epilepsia*, petitum est pro infante ex patre phthisico generato, qui circa annum ætatis 15 phthisicus periit, postquam 13 fratres sororesve eodem morbo essent extincti. *Unzer* vix salvandos putat infantes ex pa-

rente

rente phthisico natos. Salvantur tamen interdum. Nec tamen a phthisi excluduntur teneri, nam *Baillie* in infantibus duorum annorum tubercula pulmonum vidit. Nec excluduntur senes, phthisici 70—80 annorum in nosocomio Viennensi occurrunt. An sexus fœminæus præ virili phthisi subjacet, *Frank* vix putat.

Symptomata in tria plerisque stadia dividuntur.

Stadium I. inchoationis incipit cum tussi sicca, aut nonnisi mucosa quædam excutiente, per menses & annos sine febre durante, ad noctem fere augetur, in multis pectoris oppressione, aut laterum aliquo dolore stipatur; accedit tandem horror & affectionis catarrhalis facies. Hæc tussis fere ubique negligi solita siccior redditur; dolor pectoris fit fixus, lancinans, respiratio quidquam difficilis, anhelosa, præsertim sub loquela, adscensione scalarum, motu quocunque paulo majori, ardoris sensus sub medio sterno; noctes transiguntur inquietæ, adest pulsus febrilis, sitis, sputa redduntur pauca mucosa, decubitus in alterutrum latus difficilis, tussim excitans. Hæc allata licet fere de tuberculis testentur, negliguntur adhucdum, quia catarrhum subesse putant ægrotantes.

Quibusdam tussis vix adest, sed omnibus dyspnœa quædam molesta insidiatur. Hæc tamen tussicula &c. vix metuenda, nisi in illis, qui in phthisin sunt dispositi; similis enim in verminosis occurrit symptomatica.

Stadium II. phthisis confirmatæ. Priora augentur; febris fit magis manifesta & regularis, crescit intensitate ac duratione, continuo enim anticipat, ut sensim circa meridiem incipiat, & nonnisi tempore matutino remittat sub sudoribus, insequente pallore ac lanquore. Somnus fere fugit; augetur a decubitu tussis, quæ ceterum sonora est, humida, sputa excutiens, puriformia, purulenta, globosa, striis sanguineis hinc inde notata, subin fœtida; nunc dolor lateris vix amplius adest, sed dyspnœa major redditur, respiratio brevis, anhelosa sub loquela, motu. Urina

qua-

qualis in quibusdam ſub primo jam ſtadio eſt, multis tincta, ſedimentum ponens rubrum, furfuraceum vix fundum petens; palmæ manuum, plantæque pedum ſub exacerbatione urentes, calentes item a meridie genæ atque rubentes, gena ſaltem lateris affecti, ceterum pallentes, collapſæ, oculi refugientes, emaciatio, debilitas totius corporis, ſpes vitæ inanis, ubi ſudores largi fieri incipiunt, menſes fere ſilent, quare culpa malorum in illorum retentionem fere rejicitur ab ægrotantibus.

Mirum ſane in hoc morbo eſt, quod ægrotantes reſpirandi difficultatem, circumſtantibus manifeſtam, negent, eamque una cum tuſſi, ad ſemetipſos fallendos mirum ingenioſi, in catarrhum vel in ventriculum male affectum rejiciant. Omnes enim phthiſici pericula ſua minora putant, aliud quidquam ſubeſſe exiſtimantes, cum ex alio morbo chronico laborantes augere periculum ament. Idem hoc medicis contingit phthiſicis. Sic *Sallaba* compagis gracilis, ſtudiis multum deditus, in praxi numeroſa difficili plurimum occupatus, celeri paſſu incedere, & ſcalas conſcendere ſolitus, diætaque utens male ordinata, emaciatus, anhelans, tuſſitans, tandem omni mane vomens, tuſſim, dyſpnœam, vomitumque ex pylori ſcirrho repetiit. At non ita poſt ex febre noſocomiali defunctus in lobo pulmonum dextro ſex ulcera ſat magna, in ſiniſtro vero 5 minora oſtendit.

Cave, ne dolor pectoris ſub hoc ſtadio ceſſans, ſputa libere prodeuntia, ſpes ægrotantis, te ipſum ſeducant ad ſpem concipiendam.

Stadium III. phthiſis conſummatæ. Alvus antehac obſtructa redditur fluida, ut aſſumpta cito per inteſtina ſecedant. Sæpe diarrhœa cum ſudore alternat, præſertim ſi ægri caloris nocturni impatientes eum ſtragulis abjectis ſuppreſſerint. Sub ſudore, aut diarrhœa largioribus ſputa plerumque imminuuntur, fere fœtentia, tenuia, atque ſoluta. Febris in quibusdam mitior comparet, ſub veſperam tamen exaſperanda; duplicem de die exacerba-

bationem, nec tamen ubique facit, ut *Cullen* vult, nisi forte sub finem mali.

Capilli fluunt, ungues curvantur; vires labuntur, macies increscit, pedes tument œdematosi, interdum & manus. Interdum accedit pneumonorrhagia, etiam lethalis, an e vasculis quibusdam erosis? Apud plerosque vox rauca, fere ablata, dolor sub deglutiendo, apparente interdum faucium, laryngis rubore, inflammatione, aphtis, sæpe tamen non detegendis; appetitus hactenus bonus fere dejicitur, quidam tamen ad mortem usque fame torquentur. Sæpius querelæ de oppressione ventriculi, dolore scapulari, epigastrii, abdominis cum nausea vomituque bilioso. Morbo ad finem tendente, animus redditur morosus, ad iram proclivis cum pronitate tamen in lachrymas, & indulgentiam; lenia hinc inde deliria, lypothimiæ, ubi mors fere placida non adeo distat, licet adhucdum sperent ægrotantes.

Juxta *Cullen* vasa corneæ rubra disparere incipiunt, atque induere colorem albescentem, in quam rem attentus *Frank* non fuit.

Ob vomitum biliosum suspicio ventriculi affecti, ac bilis peccantis nascitur apud ægrotantes, eo magis, cum dolor thoracis vix adsit. Hæc suspicio eo facilius nasci potest, si quondam calculos felleos adfuisse constat, quod *Frank* expertus est in phthisica nobili, ad quam sub tertio mali stadio vocatus est. Nec ægrotanti, nec affinibus de periculo, & periculi causa persuadere, aut ipse potuit, aut potuerunt medici in consilium vocati; sed hæc fœmina a *Sallaba* quondam tractata sub ætheris vitriolici usu calculum biliosum vomitu reddidit.

Vocis raucitatem & deglutiendi difficultatem *Portal* derivat ab irritatione nervorum recurrentium, qui laryngi, faucibusque prospiciunt, aut immediata sunt, aut mediata per congestionem sanguinis, inflammationem. Raucitatem vocis *Portal* observavit, ubi congestio ad partem superiorem pul-

pulmonum poſt mortem eſt detecta; idem *Frank* obſervavit. Influxum nervorum recurrentium in vocem vide apud *Camperum*; hic influxus illuſtratur caſu ægrotantis, cui, quotiescunque inteſtina per vulnus abdominis egrederentur, vox periit, ſed reſtituta eſt fomentis calidis admotis, vel inteſtinis repoſitis, quod phœnomenon explicandum ex unione nervorum inteſtinalium cum ramis paris vagi; quemadmodum intumeſcentia verminoſorum quorundam inde explicanda venit, ceſſans vermibus expulſis.

Deſcripta hæc ſtadia cito interdum vel intra 6 ſeptimanas decurrunt, phthiſis accelerata, quæ potiſſimum in junioribus evenit, quibus & citius, & certius lethalis eſſe ſolet. Plerumque tamen lente decurrit, apud adultiores vel maxime, per annos bene multos extenſa, ubi ulcera calloſa reddita ulteriorem ſuppurationem impedire videntur. Phthiſicam nobilem Hannoveranam, cui *Werlhof* vitam per 15 annos promiſerat, *Frank* tractavit, quæ rupto abſceſſu quodam majori in aſphyxiam 4 horarum incidit. Porrecto emetico pus evomuit, & 9 adhuc annos vixit, anno 16 poſt *Werlhofii* prognoſin mortua.

Sunt, qui uno alterove tuberculo ſuppurato rejecto febre aliquamdiu carent, nihilominus alio tuberculo ſerius ſuppurato enecandi.

Phthiſis non ubique modo ſuperius deſcripto decurrit, nam qui craſſi, & absque pulmonis incommodo vixerunt, abſceſſus, ac vomicas pulmonum poſt mortem oſtenderunt, quod jam *Hippocrates de morbis* libro I. monuit, & *Frank* vidit. Quare cavendum, ne ex doloris laterum abſentia ſeducaris ad negandam phthiſeos præſentiam, quam alia loquuntur ſymptomata.

Juxta *Hallerum* dolor laterum deficiens explicandus eſt ex parvitate, & paucitate nervorum pulmonalium. At *Scarpa* copioſos adeſſe, docuit ex nervo intercoſtali, & pari octavo, ſeu vago oriundos.

Doloris thoracici ſub phthiſi præſentis, vel abſentis, vel etiam in parte quadam diſſita comparentis ratio videtur eſſe in diverſitate partis pulmonum affectæ, ut monuit *Portal, in actis ſocietatis regiæ Pariſinæ* 1780, qui cum tuſſi, hæmoptiſi, ſputis purulentis dolores vidit ad umbilicum & renes cum urinæ ſuppreſſione, ad muſculos lumbales, ad ſcrobiculum cordis, & diaphragma. Labes poſt mortem in abdomine nulla; ſed abſceſſus in thorace multi ad pulmonis partem ſuperiorem, & poſteriorem, ubi paris vagi oriuntur rami, qui ad plexus abdominales efficiendos concurrunt; adeoque omnis hic dolor abdominis fuit ſymptomaticus. Annon ex hac nervorum unione oris amarities, & vomitus bilioſus in phthiſi occurrens explicari poteſt?

Plerique ſane phthiſici inter ſcapulas & ad ſummum humerum, aut ad cardiam, vel in ipſo abdomine experiuntur dolores cum vel ſine laterum dolore.

Dolorem a pectoris vitio cardialgicum *Portal* explicat

a) ex diaphragmate cum pulmone ſub inflammatione concreto, unde inflammari ipſum poteſt, & dolere præſertim ſub inſpiratione.

b) Ex concretione pleuræ cum illa pulmonum parte, ubi dolor pridem fuit, ex quo ad tubercula concludere fere licet.

Dolorem ad umbilicum fere perceptum ſub inſpiratione profunda *Frank* obſervavit in homine, quem phthiſicum declaravit; explicuitque ex lobo pulmonum inferiori inflammato, & cum diaphragmate concreto, quod deſcendendo diſtractum doleret dolore ad umbilicum percipiendo, atque ita poſt mortem fuit inventum.

Evidens eſt conſenſus pulmonum cum ſcapula ob nexum rami cervicalis quarti juxta baſin ſcapulæ decurrentis cum ramo brachiali primo, unde nervus ſcapularis formatur, qui jam irritetur neceſſe eſt, ſi pars pulmonum affecta ſuperior fuerit.

Vi-

Vide *Camperi tabulam anatomico — pathologicam* IV. pag. 10, §. 3.

Dolor ſcapularis cum tuſſi, & diſpoſitione in phthiſin ſæpe *Frank* monuit de mali præſentia, licet dolor lateris aut aliud pulmonis affecti ſymptoma non adeſſet.

Sæpiſſime quidem hemoptoë aut pulmonum inflammatio phthiſin vel præcedit, vel comitatur, attamen & citra illas adeſſe phthiſis poteſt.

T u b e r c u l a juxta *Cullen* frequentiſſimam phthiſeos pulmonalis cauſam conſtituunt, at non unicam; dantur enim phthiſes non infrequentes ex vomica natæ.

Tubercula, quæ optime *Stark* deſcripſit, variæ magnitudinis ſunt; a grani milii magnitudine ad fabæ majoris molem excreſcunt, acervatim ut plurimum ponuntur, ut acini uvarum, ſibi viciniſſima.

Plura ſane confluere videntur in tumorem unicum, vix tamen communicantem; nam ſæpe, dum pars quædam tumoris inflammata aut ſuppurata eſt, reliqua portio adhuc libera habetur. Inciſione ſubſtantia quaſi cartilaginea percipitur, at pus verum non detegitur, ſed materia lenta, caſeoſa. In tuberculis minimis diſciſſis cavitas vix obſervatur lateralis, niſi armato forte oculo, in majoribus vero capſulam ſiſtunt cavam, in quam ramulus bronchii cujusdam aperitur, evacuato pure cavitates ad fundum paulo majores deteguntur pus ſimile continentes preſſione demonſtrandum.

Tubercula unum modo pulmonem occupant, modo utrumque, ſed ad partem præcipue ſuperiorem.

Partes tuberculis vicinæ contractæ velut calloſæ ſunt, an ob compreſſionem? Venæ circa baſin tuberculorum decurrentia varicoſæ, arteriæ in cavum tuberculorum penetrantes fere occluſæ ſunt; *Sæmering* enim materiam in pulmones injectam adigere in tubercula nunquam potuit. An inde ſuppuratio pulmonum interdum absque hæmorrhagia locum habet?

De tuberculis etiam tractavit *Portal*, *Baillie in anatomia corporis morbosi*, quam commentatus est *Sœmering*; *Lieutaudius*. *Morgagnius* de tuberculis vix propria habet, metuens aperire phthisicorum cadavera, propterea, quod habitum phthisicum præferret, & contagiosa per Italiam phthisis haberetur; quemadmodum adhucdum habetur in regno Neapolitano & Hispanico, ubi per legem concremantur singula, quæ phthisico inservierunt.

Contra contagiosam phthiseos indolem inter primos *Castellani* Mantuanus scripsit. At si contagiosa non est, cur post uxorem ex phthisi mortuam phthisicus moritur conjux, & contra? An ex causa quadam utrique communi?

At non tubercula tantum, sed & vomicæ, abscessus, apostemata phthiseos pulmonalis causa esse possunt. Vomicæ in omni quidem viscere nasci possunt, unde phthisis renalis, hepatica &c. frequentius tamen in pulmone occurrunt, in textu celluloso, vel parenchymate sedem habentes.

Vomica est saccus peculiaris visceris cujusdam materia purulenta repletus plus minus fluida, alba, flava, cinerea, viridescente, inodora, fœtente; rupta si fuerit, rubescens, a sanguine admixto, eructatur.

A pollicis dimidii magnitudine ad pugni molem excrescunt, figuram ovalem fere habentes. *Boerhaave in Swietenii commentariorum*, tomo II. §. 836. vidit integrum pulmonis lobum adeo magnum, ut diaphragma descendere cogeret.

Vomica spuria pseudoabscessus est, dum sine substantiæ jactura materia puriformis colligitur in sacco morboso v. g. inter lobos pulmonum, dum lympha coagulabilis transsudans pro parte in membranam abit pulmonum lobos nectentem, saccumque formantem, in quo reliqua pars lymphæ concluditur. Talis abscessus pro vero facile imponit, nisi materia illius per spongiam ablata pulmonis integritas veram rei indolem nos doceat.

Quam-

Quamdiu sputa non ejiciuntur, nulla inter vomicam & bronchia communicatio est; ubi vero sensim eroduntur ramuli bronchiales, qui plures circa vomicam sunt, via in bronchia majora facta omnis pulmo communicare cum vomica potest. Si igitur erosione facta pus ex pulmone dextro exiverit in bronchium, ob debilitatem vero, aut copiam ejici nequeat, potest per bronchium alterum in pulmonem sinistrum delabi, atque abscessum, qui non adest, mentiri, quale exemplum habetur apud *Haënium* & in *actorum Edinburgensium* volum. V. parte 2.

Apertura bronchiorum in vomicam irregularis est & lacera. Vomica amplior sæpe reperitur vacua, ex cavis tamen bronchiorum lateralibus pus, quod continetur, exprimi potest.

Vasa ad basin vomicarum decurrentia varicosa sunt; quæ transcendunt, contracta comparent, quæ vero intrant, materia crassa, fibrosa, occlusa, unde non in omni licet magna vomica hœmorrhagia occurrit. Pars vomicæ contigua inflammata, dura est, aëri inflato non cedens, quia concreta est.

Juxta *Stark* vomicæ potissimum occurrunt in pulmonis sinistri parte superiori. Ubique *Frank* detexit.

Vomicam pulmonum futuram prævidemus ex signis suppurationis futuræ.

a) Ex absentia signorum solutionis peripneumoniæ per plures jam dies durantis.

b) Ex horripilationibus vagis accedentibus.

c) Ex dolore remittente quidem, sed non ablato.

d) Ex superstite dyspnœa, febre cum ceteris peripneumoniæ symptomatibus.

Vomicam cognoscimus factam:

a) Ex signis mox dictis, aliquamdiu persistentibus.

b) Ex tussi continua sicca, vel humida, sed spumosa ejiciente, post pastum motumque aucta.

c) Ex respiratione parva, frequenti, anhelosa, strepente cum loquela intercisa.

d)

d) Ex febre continua ad hecticam accedente, cum genarum & labiorum rubore, calore.

e) Ex situs erecti necessitate, decubitu magis horizontali difficili, in latus affectum tolerabili, in sanum vero impossibili, quia cum pulmone sano respirandum est.

Interdum tamen contrarium obtinet secundum *Morgagnium* &c. Juxta *Vogel de cognoscendis & curandis morbis* §. 640. interdum a vomica paralysis linquæ artuumve; cessatura post ruptam vomicam. Phœnomenon hoc *Frank* nunquam visum pendere videtur a varia vomicæ sede, unde compressis nervis pulmonalibus affici per consensum nervi variarum partium possunt.

Juxta *Zimmermann in operis de experientia* parte I. libro 3. pag. 406. sapor oris ingratus de pulmonum exulceratione testatur. Et *Platnerus* solo hoc signo & pectoris dolore ductus paracentesin thoracis instituit, qua facta pureque educto sapor ille ingratus cessavit. At primo dubitare licet, num ob signum hoc solum paracentesin instituerit; dein vero an sapor hic ingratus soli pulmonum suppurationi ita sit proprius, ut oriri nequeat a vermibus &c. a quibus fœtor molestus excitatur.

Difficillimum sæpe est de vomica præsente, vel non præsente cum certitudine statuere; sæpe enim prædicta non comparet post mortem; dum in illis comparet, apud quos de illa nemo cogitavit.

Hippocrates in prognosticis circa suppurationem pulmonum ita habet: si pars thoracis altera magis caluerit, & æger in aliud latus conversus doloris ponderis sensum perceperit, pus ibi adesse dicito.

At non semper id latus magis calet, ubi pus adest, & si pulmo suppuratus concreverit cum pleura, ponderis sensum sub conversione non percipiet ægrotus.

At juxta *Swieten*, ubi pulmo cum pleura concrevit, sensus distractionis sub versione percipiendus de pure præsente nos commonet. Sed sen-

ſus diſtractionis ab aliis etiam pulmonum vitiis eſſe poteſt.

Et in *prœnotionibus coacis* ita *Hippocrates* habet: purulentos habeto, qui poſt tempus inflammationis ſolitum elapſum febri lenta tenentur, miti ſub die, ſed exaſperata ad noctem, cum ſudore ad collum, claviculas; qui tuſſi vexati parum exſpuunt, oculos cavos, genas rubentes, ungues aduncos, digitos calentes, pedes tumentes habent; cibos non appetunt; phlictenas ad ſuperficiem gerunt.

Vomicae hinc ſymptomata ſunt: inflammatio pulmonum cum dolore &c. diu absque reſolutione perſiſtens, licet imminuta; dyſpnœa, tuſſis ſicca a paſtu, loquela & motu aucta; decubitus in dorſum, vel latus alterutrum difficilis; digeſtio læſa, febris lenta, ſub veſperas aucta, mane remittens cum ſudoribus; debilitas, macies cum doloribus pectoris hinc inde recurrentibus; ſputa ſtriis ſanguineis mixta, fœtida, cum oris fœtore; palpitatio cordis.

At non eadem a vomica & tuberculis ſuppuratis ſunt ſymptomata; a tuberculis mitiora ſunt, lentiusque decurrunt.

Phthiſeos tuberculoſae, perfrequentis in Anglia, ſymptomata optime deſcripſit *Cullenius*: tuſſis levis, ſicca, brevis, habitualis, vix animadverſa vel ab ipſis ægrotantibus; dyſpnœa a motu aucta; lanquor, emaciatio, appetitus ſane major, febricula continua ſed mitis. Atque ſic affecti per annum & ultra vivunt, de nulla re alia conquerentes, quam de modico frigore & tuſſi velut catarrhali. At diuturnitas mali cum difficultate reſpirandi & emaciatio veram mali originem docent.

Poſt longius tempus tuſſis redditur humida, præſertim mane, ſputa ejiciuntur viſcoſa, graſſa, flava, viridia, pro parte purulenta, pro parte aquoſa. Interdum in ſputis multis mucoſis nonniſi punctulum eſt flavum, ponderoſius. Reſpiratio reddi-

ditur difficilior, nox inquietior, febris, macies, debilitas manifestiores. Plerumque dolor ad sternum vel ad latus sub tussi; decubitus in latus alterutrum difficilis. Apud fœminas sub altero hoc stadio menstrua fere cessant, sed effectu morbi, non ut illius causa.

In Anglia sub frigore hiberno augentur phthiseos tuberculosæ symptomata, unde facilius pro malo catarrhali imponit; mitigatur tempore æstivo, hyeme futura rursus exasperanda, donec post 2—3 annos lethalis redditur.

Quam magna sit errandi occasio in phthiseos hujus diagnosi statuenda, sequens docere casus potest. Ante 5 annos *Frank* tractavit fœminam nobilem Viennensem, delicatulam, hystericam atque in phthisin dispositam, corpore instructam procero, pectore complanato, collo longo, genis rubentibus, febricula detentam continua, a meridie aucta, sudoribusque nocturnis. Dedit leniter excitantia, volatilia. Habito post aliquot septimanas consilio phthisin adesse tres medici declararunt; de tuberculorum quidem ad pulmones præsentia *Frank* non dubitavit. Aderant enim tubercula mammarum a multis retro annis, sed suppurata nondum putavit propterea, quod malum diu jam durans symptomatum augmentum vix exhibuit. Febriculam hinc adesse dixit lentam, nervosam, hystericis hypochondriacisque familiarem, atque in volatilibus continuavit. Et licet serius febricula tertianæ typum manifeste induxisset, lenia nonnisi amara exhibuit, tandem ad leves corticis doses transgressus, post 7 menses sanitas ita fuit restituta, ut excepto hysterismo sana adhucdum absque tussi &c. vivat.

Cullen spem fovet fore, ut apta medendi methodus contra phthisin tuberculosam inveniatur; de qua quidem re *Frank* dubitat, cum ob duritiem, vasorumque occlusionem tubercula non magis quam scirrhus affici remediis possint.

Contra tubercula nondum suppurata laudata est digitalis purpurea ab *Hufeland* & *Ma-*

clean

clean im physisch-mediz. Journal von 1801 S. 415, und im 2ten Stück von 1802, sic præscripta.

℞. Fol. digital. purpur. unc. j.
Alcohol rectif. unc. iv. Stent per aliquot dies in digestione.
Colatura servetur. Dentur bis in die guttæ x — xxxv.

Exhiberi etiam sequens potest.

℞. Pulv. herb. digit. purp. gran. j.
Sacch. alb. scrup. j.
M. F. pulvis detur talis bis, ter de die.

At in phthisi manifesta certe non juvat, hinc ubi juvisse dicitur, dubitare licet an tubercula sæpe adfuerint.

Interest sane nosse tempus, circa quod suppuratio pulmonis inflammati contingere soleat, circa quod vide *tractatum de peripneumonia in Epitomes* tomo II.

Hippocrates de morbis libro II. capite 16 in hanc rem dicit: Si correptus diebus primariis non purgetur, sed sputa retineat, suppuratur. Non probat hoc effatum *Frank*, quia secundum illius experientiam vix tertius peripneumonicus per sputa convalescit. Et *de morbis* libro I sic habet: qui pleuritici non purgantur superne, suppurantur intra 14 dies. De peripneumonia intelligendus hic locus videtur, cum sub summo licet dolore rarissima sit solius pleuræ inflammatio.

Juxta *Frank* suppurationis tempus accurate definiri nequit; & variabit pro varietate symptomatum, ætatis, medelæ adhibitæ &c. epidemiæ regnantis.

Circa tempus vomicæ rumpendæ ita *Hippocrates*: quibuscunque dolores ex his locis neque per sputa, neque per alvum, aut venæ sectionem, victusque rationem auferuntur, suppurati censendi sunt. Quibus, si tussis pergat & ptyalismus accedat, rupturam exspecta circa 30 diem. At certa hæc dies non est, potest contingere circa diem 20 —

40 &c.

40 &c. pro magnitudine febris, ſacci pus continentis tenacitate.

Erravit *Boerhaavius*, qui in peripneumonia, ſcilicet ſthenica, venæ ſectionem interdixit poſt diem quartam, niſi febris vehementior bonæ ſuppurationi obfutura videretur; quia jam incœptam hac die putavit ſuppurationem, quam ne turbaret per venæ ſectionem metuebat. Seductus ad hanc opinionem videtur, quod ignorabat diſtinguere materiam puriformem a pure, & ab abſceſſu vero pſeudo-abſceſſum, ſaccum nempe præternaturalem lympha coagulabili transſudante repletum, quem diſtinquere primus docuit *Guilielmus Hunter.* Quod ſi abſtuliſſet hunc ſaccum apertum, pulmones vidiſſet integros, ut aliquando *Frank* Ticini vidit, ubi magnam adeſſe vomicam exclamavit.

Certe non tam cita in peripneumonia ſuppuratio obtinet, niſi forte acceſſerit tuberculis jam antehac ſuppuratis. Bajulo Ticinenſi in peripneumonia per undecim dies neglecta, cum pulſum magnum, plenum, vibrantem conſtanter exhiberet, in ſcandalum reliquorum medicorum, huic *Boerhaavianæ* opinioni addictorum, undecim venæ ſectiones fecit, & reſtituit hominem, per plures deinceps annos optime valentem.

Non illa *Boerhaavii* vera eſt ſententia: peripneumonia levis periculoſa; gravis certe lethalis. Eſt quidem peripneumonia morbus utique gravis, multi tamen recta ſub medela recto tempore adhibita ſanantur. An illi periculoſior fors ideo viſa, quod ſine diſcrimine cuivis methodum antiphlogiſticam etiam generoſam adhibuit? an quod in vere ſthenica venam tundere metuebat poſt diem quartam?

Rumpitur abſceſſus:

1. In bronchia effectu optimo, niſi per vomicæ majoris aperturam ampliorem tantum puris ſimul in bronchia tranſeat, ut ejici nequeat, unde anxietas, vertigo, tremor, turgor oculorum, livor faciei, lypothimia, ut *Aretæus* jam monuit libro II. cap. 1.

Ca-

Catarrhus suffocativus variis malis finem imponere solet per mucum copiosum in bronchiis collectum. Suffocatio fieri solet per aneurisma aortæ &c., si in loco bronchiis vicino enatum, cum iisque concretum fuerit; ruptum enim in hoc casu aneurisma evacuabit sanguinem in tracheam suffocaturum, ut *Frank* vidit.

2. In cellulosam pulmonum substantiam, unde pus evacuari nequit, & hydropis purulenti speciem constituit. Interdum puris parte tenuiori resorpta pars residua exsiccatur in carunculæ vel tophi speciem.

3. In cavum thoracis, unde empyema, Eyterbrust.

4. Simul in bronchia, simulque in thoracis cavum, quod *Frank* in puero 14 annorum, cujus historia dabitur paulo inferius, detexit.

5. In partes varias, cum quibus sub inflammatione pulmo concrevit; in pericardium, mediastinum utrumque &c.

Si pulmo inflammatus concreverit cum pleura, potest vomica nata erodi hæc ipsa, erodi possunt musculi intercostales, costæ carie consummi, fistulæ multiplices nasci. Si concreverit cum diaphragmate, hoc ipso eroso transiere pus potest ad hepar, ventriculum, lienem, vel & in abdominis cavitatem, unde ascites purulentus, ut *Hippocrates* notavit, *Frank* vidit, atque exempla habentur in *actorum medicorum anglicorum* tomo I. & in *Swietenii commentariorum* §. 836.

Sed ex hepate quoque sub inflammatione cum diaphragmate, & pulmone concreto pus potest in pulmonem transire, & per bronchia sputorum forma evacuari.

Flohr, in dissertatione de repurgatione pulmonum per mictum purulentum, vomicam pulmonum evacuari per renes posse putat; putat *Lommius operum* tomo II. epistola 40; *Zacutus Lusitanus* in *observationibus mirabilibus; Swieten in commentariorum* tomo III. §. 1191.

De

De quo quidem *Frank* dubitat, putans intelligendum id esse de lympha coagulabili in thoracis cavum elapsa, quæ quidem resorpta sæpius per renes evacuatur, ut in clinico hoc ipso anno vidimus.

Prognoseos circa vomicam momenta. Vomica vel in mortem transit, dum pulmonem comprimendo respirationem elidit, vel rupta per catarrhum suffocativum sic dictum enecat, si nempe pus tanta quantitate subito in bronchia irruat, ut ea singula replens evacuari nequeat. Quidam pure licet feliciter evacuato, ob subitam depletionem in lypothimiam incidunt lethalem, nisi ipsis succuratur modo inferius exponendo. Aliquando feliciter inter tussim rumpitur cum sanitate insequente, ut *Hippocrates habet de morbis* libro I., cap. 8.

Conditiones vero ad sanationem obtinendam sunt: plenaria abscessus maturatio, atque cito facta absque duritie quadam residua, quæ nova suppuratione nova pericula inducente esset removenda; plenaria puris exspuitio, secus enim obtineri consolidatio nequit; bona materiæ rejectæ conditio, quæ sit alba, levis, æqualis, non ichorosa, aut fœtida; vires ægrotantis laudabiles.

Si vero juxta eundem *Hippocratem* diu non rumpatur vomica, neque per medicamenta inferius dicenda, contabescit æger, quia pulmo vix non omnis consumitur, dolore, tussi, febre, quæ somnum impediunt, corpus alterant, inedia vel quod appetitus lanqueat, vel quod ingesta in pus abeant, & fere perit, vel quod pulmonis parte majore consumpta subsistere vita nequeat, vel quod vomica tandem rupta puris copia ægrum suffocet.

Attamen non omnis sic affectus perit, etenim quibusdam saccus ita occalescit, ut serpere suppuratio, aut puris resorptio fieri vix possit; quare pus via in bronchia facta velut ex fonticulo absque notabili emaciatione per annos evacuatur. Inter-

terdum pulmone utroque vix non penitus consumpto adhucdum vita perstat, sed magis in senibus quam juvenibus.

Parvæ pulmonum vomicæ, quod in externis etiam partibus contingit, interdum exsiccantur; inveniuntur enim in pulmonibus nodi materia velut sebacea, sed indurata, repleti, ut habet *Osterdyk-Schacht.*

Interdum per urinam, alvum liberari cum salute dicuntur pulmonum vomicæ, qualem casum habet *Tulpius* libro II. observ. 6. An forte fuit excreta materia puriformis in phthisi sic dicta pituitosa?

Interdum pulmone cum pleura concreto vomica inter duas costas tumorem excitat; & ad superficiem corporis externam aperitur cum felici eventu.

Permagnum sane interesset scire, quonam in loco hæreat vomica facta, quæ non proditur tumore externo, ut aperiri in tempore posset. Interdum nosci potest calore ibidem majore, quare *Hippocrates* & *Avicenna* suaserunt lintea chartasve madidas utrique thoracis lateri applicare, atque observare, in quonam latere citius siccentur.

Riverius œdematosum lateris affecti tumorem ut signum tradit. At ubi hic comparuerit, sero fere medicina paratur, nam paracentesi licet facta dubius erit exitus.

Exemplum ulceris pulmonum per abscessum in regione renali sanati habetur in Sammlung praktischer Abhandlungen für Aerzte, Band VII. Stück 3. nempe pus inter musculos lumbales viam sibi fecit ad regionem renalem, ibique fistulam sub cute excitavit.

Si vomica in thoracis mediastini &c. cavum rupta fuerit, empyema habetur, respiratio, aliaque emendantur symptomata; quæ vero sat cito difficilis redditur cum decubitu in dorsum fere solum possibili, accedente nova febricula hectica.

Vomica facta indicationes sunt:

1. Ut illius ruptura ad bronchia cito, sed blande promoveatur.

Cita vomicæ ruptura ideo tentanda, ne major pulmonis consumptio succedat. Ad quam tamen impetrandam præter aquæ vapores singula alia *Frank* rejicit. Ipsi hi vapores non nimis calidi, sæpius de die per ¼ horæ ore attrahantur. Si fiduciam æger in aquam meram non habet, lac vel decoctum quoddam emolliens servire pro vaporibus potest.

Male fecisse videntur recentiores, qui vaporum fumorumque a veteribus adhiberi solitorum usum seposuerunt, quem non ita pridem commendavit Italus quidam in *dissertatione de vaporum inspiratorum utilitate.*

Conamen quodvis majus ad vomicam rumpendam commendatum v. g. risum, clamorem; nixum exspirationis validum ore, naribus clausis exercitum; tussim violentam; vectionem in rheda super strata lapidea rapidum &c. *Frank* reprobat, non quod conducere non possint, sed quia insecura sunt. Fieri enim potest, ut rumpatur non in bronchia, qui locus omnium optimus est, sed in thoracis cavum empyema faciens, aut in parenchyma pulmonum; vel licet in bronchia rumpatur, rumpi potest apertura majori, ita ut suffocationis periculum incurrat ægrotus. Si jam sub tali consilio suffocatio oppresserit hominem, vitio id dabitur medico.

Porro si sub nixu tali fortiori non rumpatur abscessus, nova hac irritatione augetur inflammatio, ipseque abscessus cum rerum periculis. Denique si sat maturus fuerit abscessus, absque ejusmodi conamine rumpetur.

Boerhaave ad rupturam vomicæ obtinendam multum bibere suadet, ut ventriculo &c. repletis magis urgeatur pulmo, dein vero auxilia priora adhibere; alii eodem fine ventrem per fasciam stringentem arctari jubent.

Ce-

Ceterum vero circa tempus vomicæ rumpendæ ſemper ægrotanti adſtet, qui debitum ipſi ſitum conciliet, ut exſpuere pus valeat, ſuffocationemque alias forte opprimentem fugiat. Nec talis æger, ſi lypothimia correptus, & ſudoribus diffluens mortis imaginem referat, mox ſibi relinquendus, ſed in ſitum debitum repoſitus pannis calidis perfricandus; ſæpe enim ad ſe redit, & interdum reſtituitur, diu poſt adhuc ſuperfuturus. Novit *Frank* hominem 40 annos viventem, qui poſtquam cum ſuffocationis metu libras tres puris rejeciſſet, velut mortuus refocillatus eſt.

Quidam pure licet feliciter evacuato ob ſubitam depletionem in lypothimiam incidunt cum ſudoribus, & mortis imagine, ſed ne hi quidem ſine auxilio adhibito ſibi relinquendi ſunt.

2. Ut cauſæ ſuppurationis præſentes tollantur, novæ vero arceantur, ne puris copia augeatur, aut pus malæ indolis. Inflammatio circa abſceſſum ſi fuerit, vel ipſa venæ ſectio indicari poteſt; in virium vero defectu excitantia conducent.

Atque ſecundum hanc virium diverſitatem victus quoque erit ordinandus, qui parcus, & tenuis ſit ſub ſthenia; largior vero, & modice vinoſus ſub aſthenia.

3. Ut ſymptomatibus urgentioribus occuratur. Hæc vero ſunt anxietas, inquietudo, tuſſis valida, ſuffocationem minitans.

Componuntur potu emolliente, & pillula anodyna, vel tincturæ anodynæ gutt. x. ſub veſperam exhibitis. Interdum, ſi febris valida fuerit cum pulſu pleno, duro &c. reſpiratione admodum difficili, requiri poteſt venæ ſectio; cave tamen, ne quavis pulſus irritatione ad eam faciendam seducaris.

Rupta vomica, aut empyema fit in loco vario, varioque cum diſcrimine, aut pus per bronchia evacuatur; ſi jam in hoc caſu dyſpnœa, & febris mox ceſſent, ſperare licet; ſin minus, phthiſis inſtat. Febris forte pergens tractanda ſecundum in-

indolem, quæ vero vomica aperta vix amplius erit sthenica.

4. Hinc ut satisfiat indicationi, quæ petit, ut debilitas per morbum inducta corrigatur, erigentia erunt adhibenda, ut toti simul systemati, simulque loco suppurato succuratur. Victus tamen nimis lautus non sit, nam, si chylus multus transierit pulmonem sauciatum, & viscus lædetur, & febris vespertina violentior redibit.

Empyema est puris inter pulmones & pleuram costas cingentem collectio.

Juxta *Cullen* illius characteres sunt: prægressa suppuratio, doloris remissio persistente tussi, dyspnœa, decubitu difficili, febricula; sæpe cum sensu aquæ in thorace fluctuantis & signis hydrothoracis.

Aretæus aliique veteres sub empyemate intelligebant puris collectionem in viscere quocunque factam.

Flohr definit materiæ vere purulentæ liberam, vel in thorace, vel in cellulari dyaphragma tegente, fluctuationem.

Plurimum interest rectius cognescere empyematis præsentiam, ne curam sinistram instituamus, dum aut empyemate facto paracentesin negligentes fato suo ægrum relinquimus; aut ubi empyema non adest, operationem frustra instituentes ægrum torquemus. Ante 3 annos in consilium *Frank* vocatur a filio pro muliere morbis nervosis subjecta, quæ peripneumoniam passa empyematis signa afferre videbatur; de quo tamen præsente ob symptomata nervosa *Frank* dubitavit, ideoque differre operationem suasit. Post paucos dies disparuerunt illa signa, atque mulier convaluit.

De empyemate præsente, ut rectius statuamus, attendendum:

a) Ad inflammationem prægressam non resolutam; gravior pulmonum inflammatio absque sputis terminata, indurationem si non reliquerit, facile suppuratur. Gravior pulmonum inflammatio non

non quidem ſemper expectorationem, at aliquam tamen evacuationem manifeſtam fere habet neceſſariam; hinc ubi febris quidem imminuitur, ſed non ceſſat, dyſpnæa vero, decumbendi difficultas ſemper adeſt, & evacuatio per ſudorem, urinam ſedimentoſam nulla ſuccedit, ſuppuratio facile contingit.

Ubi induratione finitur peripneumonia, adeſt quidem dyſpnœa & decubitus difficilis, at deeſt febris hectica, & ſudor nocturnus, quæ comparent poſt ſuppurationem factam.

b) Ad ſigna vomicæ factæ.

c) Ad ſigna empyematis præſentis, circa quæ *Hippocrates de morbis* libro III: quæ (vomicæ ruptura) ſi contigerit, nec tamen pus ore redditur, ſed in thoracem erumpit, ſanus videtur ægrotans, quod in locum latiorem pus tranſierit, & reſpirare melius poſſit. Senſim vero, an thorace magis repleto, an pure acriore reddito, dyſpnœa, tuſſis, febris hectica, impeditus in latus ſanum decubitus, quibus declaratur malum.

Præterea concludimus ad empyema, ſi tempus adſit, quo rumpi vomicæ ſolent; rumpuntur vero 20—60 die.

Denique circa tempus rupturæ novi contingunt dolores, quaſi nova inflammatio contingeret, & nova ſpiritus anguſtia; cave, ne ſeducaris ad faciendam venæ ſectionem, qua inſigniter augeri debilitas poteſt.

Ceterum diverſa ſunt empyematis ſigna, prout partes varias pus tenuerit. Sic ſub ſterno diutius hærens illud erodit carie, quam prævidens *Galenus* pus eduxit trepano applicato cum ſanitate inſequuta. At *Frank* puellam perire vidit oſſe ſterni per pus emollito, quum trepanatio negaretur a parentibus.

In pectoris cavo ad diaphragma hærens illud ad abdomen protrudit, quod tumens aſciten facile mentitur. Hoc in caſu pus erecto corpore in dyaphragma vel maxime premit, hinc difficilior ex-

ſpiratio, quam inſpiratio. *Saviar* caſum habet, ubi fluctuatio ad cartilaginem enſiformem, & cardiam percipienda diſparuit pure ex thorace per paracenteſin educto.

Ut aqua, ita pus in thorace hærens ſe prodit:

1. Tumore brachii, muſculi latiſſimi dorſi, an & pectoralis? Nam thoracis cavo per pus repleto reſpirandum eſt pulmone ſuperiori, inde comprimuntur venæ ſubclaviæ & refluxus humorum e brachio &c. impeditur.

Interdum pus per telam cellularem inter muſculos thoracis vel dorſi ad inferiora ſibi viam parat; hinc ſemper in morbis thoracis dorſum examinandum. *Overkamp* 10 fiſtulas inter coſtas hærentes ſectione perſanavit.

Richter atque poſt hunc *Groske in diſſertatione de empyemate* Gœttingæ 1784 habita dubia non ſpernenda movent contra empyematis originem, dicentes: vomicam natam a primo ſui tempore pleuræ adhærere, hinc pus evacuari non poſſe in cavum thoracis, ſed viam ſibi quærere inter pleuram & coſtas, adeoque paracenteſi opus non eſſe, qua lædi pulmo poteſt cum pleura ſine vomica forte concretus, nam multo ſæpius concretio, quam vomica obtinet.

At in thoracis cavum evacuari ſecundum *Frank* pus poteſt.

a) Si vulnus thoraci inflictum ad pulmonem penetraverit, & pus natum per vulnus externum non evacuatum fuerit.

b) Si ſolus pulmo absque pleuræ affectione inflammatus fuerit, ubi rarior ſane concretio, quia vomicæ pulmonalis apex non eidem ſemper pleuræ parti applicatus manet.

c) Si nodi jam ante pulmonum inflammationem adfuerint, qui non facile ad ſuperficiem inflammantur, hinc nec facile cum pleura concreſcunt.

d) Si eroſio vomicæ non ad apicem, qui ſolus cum pleura concreſcit, ſed ad partem ab apice remotam contigerit, ut ſæpius *Frank* vidit.

Du-

Dubia tamen, quæ *Richterus* propoſuit, id boni habent, ut cauti reddamur in paracenteſi thoracis ibi facienda, ubi dolor pridem fuit, quia præſente fors concretione pulmo facile læditur.

Swieten quidem præcipit ſub peripneumonia maxime dolentem locum notandum eſſe, ut facta fors ſuppuratione apertura ibidem fieri poſſit. At nequaquam ſuppuratio ibi ſemper habetur, ubi ſtante inflammatione dolor percipiebatur, ut *Stoll* atque *Frank* viderunt.

Quantum interſit abſceſſus pulmonum cum pleura concretos cito aperiri, ne coſtæ erodantur, vide apud *David* & apud *Strak*, qui coſtam eroſam in ſe ipſo expertus eſt.

Secundum dicta dividi empyema poteſt in verum, ubi pus effuſum in thoracis cavo hæret; & in ſpurium, ubi pus in cavum ſpeciale ſibi viam paravit, in quo velut in ſacco proprio hæret v. g. in mediaſtini cavo.

2. Proditur ſtrepitu, fluctuationis ſenſu, quem percipiunt ægrotantes celeriter in aliud latus moti, quam interdum audiunt adſtantes, ut ſecundum *Hippocratem* expertus eſt *Frank*.

Tenendum tamen, ſtrepitum, fluctuationem excitari etiam poſſe ab aquis in thorace hærentibus, ut adeo fluctuatio ſolum doceat, quidquam morboſi in pectore hærere.

Porro tenendum, poſſe thoracem eſſe repletum, quin fluctuatio percipiatur, ſi nempe pure multo penitus repletus fuerit, aut ſi pus ſpiſſius adfuerit, aut pluribus etiam loculamentis ſeparatum.

3. Percuſſione thoracis a *Leopoldo Auenbrugger* commendata, nam thorax pure repletus multo obſcurius reſonat percuſſus, quam vacuus.

Sed & hic tenendum, ſonum ſub percuſſione obſcuriorem excitatum non teſtari de pure præſente, quia per aquas collectas ſonus item mutatur, mutatur per pulmonum cum pleura concretionem. Parum etiam in homine pinguiore percuſſio docet.

4. Costis e situ suo motis, si nempe plurimum repletus thorax fuerit.

5. Inclinatione corporis in illud latus, in quo pus hæret, ita, ut scapula lateris affecti profundius quasi hæreat.

6. Proditur sæpe tumore circumscripto œdematoso ad illam thoracis partem nato, in qua pus hæret, vel ubi durante inflammatione dolor quondam hæsit. Vide *David in Diario chirurgico* tomo X.

An non proditur etiam thorace sub inspiratione inæqualiter moto?

Prognosis empyematis: Omne empyema malum; nam licet pus evacuetur per paracentesin, res ideo in salvo non est, quamdiu cicatrice pulmoni inducta fons purulentus resiccatus non fuerit.

Si pus paracentesi eductum album, leve, æquale, inodorum fuerit, cum febris & sitis &c. cessatione, salus interdum acquiritur; quæ si contra fuerint, nonnisi levamen in paracentesi habetur.

Si vero in thoracis hydrope puriformi paracentesis mature fiat, salus certa exspectanda. At in utroque casu difficilis diagnosis, & novit *Frank* thoracem esse apertum pro educendo pure, quod non est repertum.

Periculosius est empyema a vomica, quam a thoracis vulnere, quod in priori casu; si diutius thorax non aperiatur, pravam pus indolem assummit, pulmonem irritat, corrodit, vel per cellularem ad loca etiam dissita cum eventu vario migrat, sensimque hydropem lethalem inducit.

Majus periculum, dum pus in utroque thoracis cavo hæret, quia officio fungi pulmo neuter potest. An majus periculum, ob cordis afficiendi possibilitatem, si pus hæserit in thorace sinistro, quam dextro?

Empyematis cura. Omnis medela in matura puris evacuatione posita, quod igitur, fieri si

si possit, sectione facta educendum, ne suffocatio fiat aut mors lenta.

Sciendum tamen, a sectione auxilium certum non haberi, nam si pus fundere ulcus pergat, sanatio obtineri nequit. *Frank* adeo putat, in quibus casibus paracentesis profuit, in iis vix adfuisse pus, sed materiam puriformem absque substantiæ læsione secretam.

In quo vero loco paracentesis thoracis instituenda?

a) Ubi tumor vel fluctuatio percipitur.

b) Quæ si non percipiantur, sed si œdema adsit, & justa suspicio puris in thoracis cavo hærentis, sectio juxta *Groschke* facienda non in loco, in quo dolor fuit, sed in illius vicinia, ne forte accidat, ut pus non reperiamus.

Quidam in loco, ubi prius dolor fuit, sectionem fieri omnino vetant, quod pulmone ibidem cum pleura concreto abscessus aperiretur. Sed cur abscessum hunc aperiri non liceat?

c) Empyematis operatio quidem facienda foret, ubi probabiliter pus hæret, hinc ad dorsum loco satis profundo, quia gravitate sua illuc pus confluit. Sed cum difficilis ibi sit apertura, tum ob carnium multitudinem, tum quod costæ sibi vicinæ hæreant, fere fit loco inter sternum, & columnam vertebralem medio, eo magis, cum ægro conciliari facile is situs possit, in quo pus satis evacuatur. In latere sinistro, ubi profundior thoracis cavitas, apertura facienda inter costam 2 & 3 spuriam ab inferiori parte numerando; in dextro vero, ne hepar lædatur, intra 3 & 4, attamen & altiori loco fieri potest.

d) Si pns in utroque thoracis cavo hæserit, utrumque sine suffocationis periculo aperiri secundum *Richterum* potest.

e) Si pus in mediastini cavo fuerit, sternum pro pure educendo terebrandum, ut jam fecit *Galenus*.

Si coſtæ forte eroſæ, harum item cura gerenda; vide apud *Heiſterum* vol. I. obſerv. 174.

Si præſente empyemate dyſpnœa urgeat, ſputa vero purulenta ore reddita communicationem ulceris, & cum bronchiis, & cum thoracis cavo doceant, fieri nihilominus paracenteſis poteſt; monitis tamen affinibus operationem fore dubiam quoad ſanationem: nam palliando certo proderit, nec noxa eſſe poteſt ob aëris attactum, cui aliunde via ad ulcus conceditur per bronchia ſauciata. Nec tamen vel in hoc caſu impoſſibilis ſanatio; caſum felicem *Frank* vidit in puella Pittenſi.

Ubicunque vero febris hectica ægrum confecit, ſudores, ac lypothimiæ urgent, inutilis omnino erit paracenteſis; hinc eo minus facienda, ne occidiſſe videamur ægrotantem brevi moriturum. — *Frank* tamen in puella mox dicta applicato ſub ſimili rerum facie ſetaceo, pureque lente educto ſanitatem ſequutam vidit.

Si vero pus diutius in vomica ſtagnans ulcus formaverit, phthiſeosque ſymptomata induxerit, quod faciendum *Frank* commendat, vix habet, licet ex ulcerum conditione varii varias ſibi formaverint indicationes vix implendas.

Ulcera quidem externa chirurgi ad conſolidationem diſponunt; nam conſolidatio ipſa ſolis naturæ viribus obtinetur, dum impedimenta conſolidationis removent, aërem arcent, depurationem inſtituunt, ut illa in vulnus velut recens commutent. Sic in ulcere venereo luis curam inſtituunt; nimiam circa ulcus inflammationem moderantur diæta tenui, hirudinibus applicitis; ſegniorem vero ſtimulo quodam balſamico ulceri applicato intendunt, ut bona ſuppuratione inſequuta depuretur, & ad conſolidationem ulcus diſponatur. Hunc jam chirurgorum morem immitaturi medici herbas quasdam leniter adſtringentes vulnerarias dictas, fumos aromaticos, balſamaque varia ingeſſerunt, ut vi balſamica ſanguini conciliata ulcerum internorum conſolidationem efficerent. At

quam

quam dispar est rei ratio! In ulceribus internis, ad quæ accessus manui non conceditur, vix illa chirurgorum fieri possunt, eo minus in pulmone, qui in motu continuo constitutus est, ab aëre continuo lambitur, qui spongiosus, vim cordis vicini magnam experitur, qui fumis præsertim adhibitis ad tussim facile concitatur, atque singulis consolidationem impediri quis non videt? Nec sane loco affecto remedia applicari immutata possunt, nec alia ratione agere valent, quam universum corpus exstimulando, unde fors febris excitabitur nociva.

Causae phthiseos pulmonalis, circa quas consulenda est *phthisiologia Mortoni*, sunt fere sequentes:

1. Scrophulæ, etenim in scrophulosis frequentia sunt pnlmonum tubercula, docente *Portalio.*

Tubercula vel in fœtibus parentum scrophulosorum adesse possunt. In multis sane hominibus de pulmone vix conquestis, nec ex pulmonum morbo defunctis, tubercula sæpe inveniuntur. Nam hærere diu possunt immutata, sed catarrho vel levi nato, juxta *Baglivium*, cito sæpe suppurantur alterum ex altro, ita ut dum quædam habentur suppurata, pars alia teneatur inflammatione cruda. pars vero alia existat penitus immutata. Potest quis diu phthisicus esse ex tuberculis suppuratis, ut tussis continua, decubitus difficilis, macies, sudor nocturnus cum febricula innuunt, licet sputa non rejiciat, cujus rei ratio est juxta *Hippocratem aphorismorum* sectione VI. aphorismo 41. quod ob loci crassitiem tubercula nondum sint aperta in bronchia; possunt hinc, ubi tandem sputa rotunda tenacia comparent, res esse conclamatæ.

Notandum tamen, tubercula in glandulis pulmonalibus sedem habere, quare non omnis phthisis tuberculosa ex scrophulis erit repetenda.

2. Catarrhi neglecti, male tractati, qui vel recta via inflammationem suppurationemque subeunt, vel indurationes relinquunt, accidente nova inflammatione facile suppurandas.

Pe-

Peripneumonia gravis vel mitior neglecta, quæ utraque tuberculis licet non præsentibus facile suppurantur, ubi plures cellulæ materia puriformi repletæ funduntur, colliquantur, saccique majores formantur vomicam constituentes.

Occulta adeo pulmonum inflammatio sufficit ad suppurationem efficiendam ita, ut phthisis interdum satis provecta compareat, quin ægrotus de pulmonum incommodo sit unquam conquestus, aut morbi pulmonum, levem si forte catarrhum excipias, perpessi meminerit. Interdum & in hepate inflammatio suppuratioque occulta locum habet.

Cullen phthiseos ex catarrho originem negavit; quod in catarrho nonnisi glandulæ mucosæ essent affectæ, ex quarum affectione phthisis non oriretur. Attamen immerito negasse videtur hanc phthiseos originem eo magis, cum phthisin ex hemoptosi, pulmonum inflammatione, ex asthmate, tuberculis, & ex catarrho repetens ipse sibi contradicat.

3. Substantiæ variæ in pulmonibus latitantes, quæ irritando inflammationem, ac suppurationem invitare valent.

Huc pertinent calculi ex pulvisculis attractis nati apud lapicidas, crispatores &c. exempla jam habentur apud *Galenum de locis affectis* libro V.; & apud *Alexandrum Trallianum* libro V. cap. 4.

Exemplum phthiseos ab ossiculo in pulmones delapso habetur in *actorum Hafniensium* vol. I. pag. 23. Puella Ticinensis, quam *Burserius* post dentem inopinanti solutum, & in tracheam delapsum in tussim convulsivam cum sputo sanguinis incidere vidit, idem sine dubio contraxisset malum, nisi inter tussim vomitumque validum sat cito dens esset rejectus.

Huc & metastases revocari possunt.

Apud *Kæmpfium* casus habetur infarctus viscerum subito soluti cum insecuta pulmonum affectione ac suppuratione. Sic potest materia puriformis sub variolis, sub scarlatina resorpta cito in pulmo-

mone colligi, pseudoabscessum formare, phthisinque inducere. Exempla prostant in *Haënii rationis medendi* parte II. cap. 2, *in Murray dissertatione de puris origine absque inflammatione prægressa*, *operum illius* vol. I. pag. 101. — *In Kirklandi tractatu de febre puerperali* — in Sammlung praktischer Abhandlungen für Aerzte, Band V. Stück 1.

Sed male sensisse videntur *Haënius* atque *Murray*, qui statuerunt, pus in sanguine circulante formari posse. Male item sensisse *Reid* videtur, qui materiam in tuberculis contentam, lympham esse putat in pus conversam. *Haënius* habet hominem ex cruris ulcere demortuum, qui licet sputa reddidisset suspecta, pulmones tamen sanos ostendit, ut laborasse videatur phthisi sic dicta pituitosa. *Portal* nempe in quibusdam, phthisici qui interierant, invenit glandulas lymphaticas bronchiorum atque pulmonum turgidas cum varicositate vasorum, quæ rupta sanguinem emiserunt, interdum humorem nigricantem fundentes, alias vero repletas humore pituitoso, qualis sub catarrho in cavo narium deprehenditur, unde absque exulceratione phthisis pituitosa.

Tinea capitis præpostere sanata, labes venerea neglecta, herpes venereus incaute sublatus, qualem casum fere desperatum in homine placentino frictionibus mercurialibus intra 6 septimanas *Frank* Ticini sanavit, licet sat diu malum durasset.

4. Vulnera pulmonum, quæ interdum phthisi lethalia fiunt.

5. Vis quæcunque pulmoni illata per concussionem, costarum fracturam, exercitationes histrionum &c. declamationem tragicam, oratoriam, per cantationes, instrumentorum musicorum inflationem, præsertim si mox ab initio valida vocis contentio fuerit adhibita, quibus singulis sanguis ad pulmones cogitur debilitatos, unde pneumonorrhagia &c. vide *Morgagni* epistolam XXII. numero 13—14. & *Galeni de locis affectis* lib. V.

6.

6. Pneumonorrhagia, vel potius illius causæ, v. g. varicositas venarum tubercula cingentium, perreptantium.

At non quævis pneumonorrhagia mox phthisin minatur, non minatur quæ pendet a vi externa illata in homine ad phthisin non disposito; nec minatur, juxta *Christ. Benedictum in theatro tabidorum*, pneumonorrhagia periodica post hœmorrhoidum, mensium suppressionem orta, quod sanguis non ob substantiæ læsionem, sed per anastomosin excerneretur. *Frank* tamen phthisin inde sequutam novit.

Cavendum vero, ne sanguinem screando, vel tussiendo rejectum e pulmonibus venisse mox putes, cum, ut *Swieten* in se ipso expertus est, ex hiante faucium vasculo stillare possit, vel ex naribus posterioribus, quod & circa puris rejecti originem tenendum.

An sanguis aut pus ex trachea, an ex ipsis pulmonibus veniat, cognitu videtur difficile. Nam interdum, ubi ardor in trachea percipiebatur, vitium post mortem in pulmone est detectum; nec pulmonum ulcera plus puris semper reddunt, quam ulcera tracheæ, ut *Galenus* voluit; nec doloris absentia ulceris aut trachealis, aut pulmonalis, absentiam loquitur.

Secundum *Morgagnium* sanata asperæ arteriæ ulcera iis imposuerunt, qui phthisin pulmonalem a se sanatam contendunt.

7. Incauta frigidæ potatio post majorem corporis exæstuationem; nam cum œsophagus tracheæ ac pulmonibus admodum vicinus decurrat, impressio in œsophagum facta pulmonibus communicatur facile. Hinc frequens phthisis apud puellas choreis nimis indulgentes.

Eadem fere ex superficiei corporis excalefacti refrigerio noxa est, multus enim inter cutem & asperam arteriam consensus est, hinc cute refrigerata sæpe catarrhus &c.

8. Asthma; an ob tubercula, quibus sub asthmate pulmo sæpe obsessus habetur?

9.

9. Excretiones tum naturales, tum præternaturales, quibus assuevimus, suppressæ v. g- fluxus hœmorrhoidalis, menstruus, fluor albus per balnea sulphurea &c. qualis casus habetur *in actorum naturæ curiosorum* observ. 301. Mucus narium, qui copiosus secerni solebat, ob intermissum tabaci usum retentus; nam humor alicubi evacuari impeditus, aliam facile viam legit.

10. Jactura humorum, præsertim lactis in puerperis teneris ad phthisin dispositis, aut in sanis etiam, quæ vel diu vel duas adeo proles lactant, unde debilitas totius quidem corporis, sed major pulmonum cum respiratione difficili, dolore punctorio, tussicula, sputo sanguinis &c.

Sed quemadmodum ex lactatione nimia, ita ex negata phthisis oriri potest, vel ipsæ debiles interdum bene habent lactantes. *Mortonus* adeo exempla habet phthisicarum lactatione sanatarum.

An oriri phthisis potest ex lactis ad pulmones depositione? *Raulin*, *in tractatu de phthisi*, lac pullulare vidit, ubicunque pulmonem vulnerasset. An pullulare forte vidit humorem puriformem? *Frank* quidem non adeo frequentes lactis depositiones esse putat, quam Galli quondam autumabant, nec tamen omnino in muliere Bruchsaliensi, quæ lactare pusionem recusaverat, & mammis turgidis, dolentibusque vapores aromaticos admiserat, tumorem mammarum spiritusque angustiam cito abactam, sed ita ut nocte proxima tumor cruris insignis colorem lacteum referens oriretur. An hunc tumorem non a lacte subito resorpto, & ad crus deposito derivabis? & si ad crus deponi lac potest, cur deponi ad pulmones non posset?

11. Vestium arctarum, thoraculorum usus, quibus comprimuntur vasa cutanea, atque abdominalia, pulmones vero plus justo replentur, debilitantur &c.

12. *Reid* item allegat consuetudinem in Anglia familiarem, qua puellæ teneræ in frequentes hominum cœtus adducuntur.

Febris hecticæ illiusque ſymptomatum, quænam cauſa proxima? *Mortonus* eam quærit in pure ad maſſam ſanguinis reſorpto, quod acredine cor & arterias ad contractiones febriles incitaret, redituras, ubi pus novum fuerit reſorptum, unde ſenſim corporis attritio, emaciatio, ſanguinis ſolutio, diarrhœa, ſudorque colliquativus.

At febrim hecticam phthiſicorum oriri poſſe a pure reſorpto negavit *Reid*,

a) Quod pus ſpiſſius eſſet, quam ut reſorberi poſſit a vaſis pulmonum lymphaticis.

b) Quod in phthiſi non tumeant glandulæ colli lymphaticæ, cum in aliis caſibus, ubi reſorptio iniqua facta eſt, illæ tument glandulæ, ad quas adeunt vaſa lymphatica humorem iniquum vehentia.

c) Quod pus nec acre ſit ad guſtum, aut fœtens, nec parietes rodat, niſi mora &c. corruptum fuerit. Dolorem vero, quem excitat, non a roſione ſed tenſione pendere putat, aperto enim abſceſſu dolor ceſſat, licet continuet ſuppuratio.

d) Ipſum tempus, quo diarrhœa &c. colliquativa accedit, docere *Reid* putat, illam puris reſorptioni non eſſe adſcribendam; accedit vero ſerius vaſis pulmonum lymphaticis jam conſumptis, adeoque reſorbere non amplius valentibus. Hæc utut vera ſint, ipſe tamen *Reid* fortuna, ut videtur, non meliore febris hecticæ cauſam proximam repetit ex retentione illorum, quæ excernenda per pulmones eſſent, excerni vero nequeunt, quod pulmo pure repletus aëri redderetur impervius.

Frank quidem ob ſpiſſitudinem puris reſorbendi poſſibilitatem non negat, cum vaſa lymphatica ipſa adeo oſſa aggredi parteſque ſolidas reſorbere valeant, ut urinarum contenta docent. Ex ſolo tamen pure reſorpto febrim hecticam phthiſicorum non eſſe repetendam putat, cum præſentibus tuberculis, quæ puris parum continent, nonniſi parum reſorberi poſſit, febris adſit, quæ non adeſt ſub magnis abſceſſibus, qui largam ſane reſorptionem concederunt.

Adeo-

Adeoque *Frank* phthiſin totius ſyſtematis morbum habens, licet ex vitio partis natum, febris hecticæ, illiusque ſymptomatum cauſam proximam quærit.

a) In debilitate, cum & in aliis malis, ut in chloroſi, tabe dorſali occurrat, ubi ulcus non peccat.

b) In læſa pulmonum functione, qui non ſolum reſpirationi inſerviunt, ſed ad ſanguificationem etiam contribuunt.

c) In aliqua puris reſorptione.

An phthiſis contagioſa putanda?

Clari quidam viri, ut *Valsalva*, *Morgagnius* contagioſam illam putarunt, ita ut metuerint phthiſicorum cadavera ſecare. Quidam vero recentiores contagioſam phthiſeos indolem negantes inſurrexerunt contra duras illas leges politicas, quæ concremari jubent ſingula, quæ in uſum phthiſicis ceſſerunt. Huc pertinent *Caſtellani Mantuani epiſtolæ ad Targonium de phthiſi*, Mantuæ 1778 editæ. *Evers diſſertatio in contagium phthiſeos inquirens*, Göttingæ 1782. *Cullen* quoque contagioſam phthiſeos indolem vix non negat.

Frank contagioſam phthiſin non habet, quod alia ulcera ſimplicia contagioſa non ſint; fœtent quidem interdum, ut aliarum partium, ita etiam pulmonum ulcera, at fœtor contagium non eſt, lædere licet fœtor valeat. Quod poſt mariti phthiſici obitum & uxor ex phthiſi pereat, explicari poteſt, quod vel uterque conjux diſpoſitus fuerit, vel cauſam quandam phthiſin invitantem admiſerit.

Circa prognoſin cuncta fere terribilia, ita ut ſermonem de cura inſtituere cuidam videri poſſit ſupervacaneum. At tantum abeſt, ut rei difficultas quendam deterreat, ut excitare potius omnes debeat, cum ſi vel unicum ſalvaverimus, magnum ſimus percepturi ſolatium.

Phthiſeos prognoſis, fere lethalis. Multi tamen moriuntur phthiſici ob malum in primo ſtadio, inflammatorio, neglectum.

In ætate juvenili a 6 mensibus ad 2 annos extenditur, lentius tamen apud senes incedit, licet contrarium habeat *Hippocrates* dicens: ex pulmonum suppuratione citius pereunt senes, ex partium aliarum suppuratione citius juvenes. An translationis error hic forte subest?

Sed datur etiam phthisis celerrimo passu decurrens, intra 6 septimanas absolvenda. An forte jam pridem in hoc casu latuit malum, donec vitio graviori admisso velox summeret incrementum?

Phthiseos lethalitatem, quæ vel inde patet, quod Viennæ fere tertius quivis mortuus ex phthisi perierit, fatetur *Galenus de locis affectis* libro V. cap. 8. *Stoll rationis medendi tomo* II. atque *Frank*.

Multi quidem phthisici dicuntur sanati; *Morton*, *Musgrave* atque *Reid* gloriantur de phthisi initiante sæpius a se sanata; sed dubitare licet, an forte sanaverint phthisin pituitosam, quam ob sputa suspecta, aliquamque phthiseos imaginem pro phthisi vera habuerunt. Sic in medorrhœa contagiosa materia ex urethra fluens pus sæpe refert, quin sit; nam integra est urethræ substantia, hac vero integra nonnisi materia puriformls adesse potest; quod idem in coryza, & in opthalmitide locum habet. Atque hoc dubium vix erit superandum, quamdiu non noverimus pus distinquere a materia puriformi, circa quas materias frustra experimenta instituerunt *Hewson & Grasmeyer.*

Majus phthiseos periculum ex tuberculis, quam ex vomica vel vulnere pulmonum natæ; vomicæ enim & vulnera interdum sanantur, non ita tubercula suppurata, an quod ob duritiem cartilagineam bonæ suppurationis incapaces humorem acrem largiuntur vicina rodentem?

Sed phthisi tuberculosa laborantes diutius fere trahunt, quam aliunde affecti; quid quod tuberculis suppuratis rejectis mitigentur symptomata, donec nova suppuratione facta insurgant.

Phthisis ex causa cognita & amovenda v. g. ex labe venerea nata spem sanationis relinquit,

cu-

cujus rei exemplum ticini *Frank* vidit in nobili placentino per frictiones mercuriales restituto. Sic & asthma, phthisisque post fluoris albi suppressionem orta sanatur fluxu illo restituto. An vero in his casibus ulcus adesse censendum, an nonnisi secretio morbosa?

Phthisis hæreditaria vix præcavenda, præsens vero omnino incurabilis.

Tumor pedum, manuumque, sudores nocturni, diarrhœa, vox rauca, cynanche, capillorum defluvium, macies summa, leves lypothimiæ, lenia deliria mortem nuntiant proxime futuram.

Deliria, & cerumen aurium dulcescens, ut certum mortis signum habet *Hippocrates.*

Phthisici plerique pereunt circa æquinoctia, adeoque mense Septembri, Octobri, Martio atque Aprili.

Cura phthiseos:

Cum suppuratione nata primum phthiseos fundamentum sit positum, difficulter ubique, vix vero in scrophulis amoliendum, in eo vel maxime elaborandum, ut fatalis hæc suppuratio prævertatur.

Tuberculosi igitur, aliique dispositi ad præcavendum quod sanari nequit malum, caveant sibi a vitio quovis diætetico. Vitent aëris vicissitudines, semperque bene vestiti incedant, catarrhum ne contrahant, quem si vero contraxerint, domi se contineant, catarrho inservientes blandiendo. Inserviant excretionibus naturalibus, vitentque singula, quæ vim inferre pulmonibus valent, sputum sanguinis, inflammationem inducere v. g. vestes arctas, largiorem spirituosorum usum, iras, clamores, instrumentorum musicorum inflationem.

Phthisici atque in eam dispositi, quantum fieri potest, aëre potius molliore dicto, in locis planis obvio, quam multum oxygenato utantur, qualis ad montium cacumina habetur, qui præterea multis, quibus subjacet, caloris, frigorisque vicissitudinibus nocet. Sic phthisici urbis Genuensis ad litora maris sitæ venti, aërisque vicissitudinibus expo-

po-

positæ cito trucidantur, nisi ad Insubriæ planitiem transierint, aëris temperie magis constanti gaudentem. Hinc & hyeme, qui possunt, aërem mitiorem petant. Sic licet in Italia multi sint phthisici, melius tamen habent, qui cœlo frigidiore relicto illuc commigrant.

An ob minorem oxygenii quantitatem aër stabulorum a Gallis quondam laudatus ad vitam saltem protrahendam conducere phthisicis potest?

Phthiseos sanandæ, licet spes pauca sit, quædam tamen implendæ veniunt indicationes:

1. Inquirendum, unde phthisis sit, si v.g. alue fuerit, mercurialibus impugnanda; si a scrophulis, æthiope antimoniali cum extractis amaris &c. antequam suppuratio contigerit.

2. Incipiente pectoris dolore, aut stadio tuberculorum inflammatorio, videndum an fieri possit venæ sectio, quam quidam sine discrimine iteratam commendarunt, ut anglus quidam anonymus forte *Dower in actorum Edinburgensium* vol. I. *Mead in monitis & præceptis medicis*, *Macbride*; *Wilhelm Schræder in dissertatione*, Gœttingæ 1780 edita. *Pringle*, qui eam fere quavis septimana ad uncias IV—VIII repetendam suadet, quod sanguis emissus crustam fere exhibeat, atque levamen adferat. At levamen hoc plerumque sat breve est, ex crusta vero in sanguine misso observata male desumitur indicatio ad repetendæ venæ sectionis necessitatem.

Fieri sane potest venæ sectio in robustis, ætate floridis, nam non ubique tubercula cum manifesta totius systematis debilitate incedunt, sed impium est ad omnes late phthisicos extendere hanc methodum, quæ vires plerisque dejicit, eosque letho citius tradit. Et sane, si remedium tantum in venæ sectione esset, sputum sanguinis, evacuatio scilicet topica, deberet sublevare malum, quod tamen longe aliter plerumque habet.

Qua-

Quare si sub stadio inflammatorio asthenia peccet, & peccat quam frequentissime, lenes conveniunt stimuli; quales exhibent emulsio arabica, & decocta emollientia dicta, altheæ, salep tepida sumpta, interdum cum stipitibus dulcamaræ maritata. Nocent stimulantia potentiora, præsertim cortex peruvianus, qui sub 1 & 2 stadio, ubi inflammatione adhuc tenentur tubercula, exhibitus sputa imminuit, ac respirandi difficultatem auget.

Portal commendat Kermes minerale, terram foliatam tartari cum succo herbarum. Prodesse hæc possunt in glandularum pulmonalium obstructione, non item in vera phthisi, quæ sub stimulis fortioribus in mortem citius transit, quam sub blandiori emollientium tepidorum stimulo.

Pectori cum fructu inungitur unguentum altheæ, linimentum volatile, vel & vesicantia imponuntur. Quidam laudant setacea diu fluentia, quæ malo provecto debilitent necesse est, ob humorum, quam causant, jacturam. Ubi facta tuberculorum asthenicorum suppuratione tussis sicca per noctem urget, dandum lene anodynum forma pillulari, vel ipsa tinctura anodyna ad guttas x, quod proderit dolorem & tussim pacando, quibus pacatis minor est irritatio, minorque fiet suppuratio.

3. Interdum phthiseos causa quæsita est circa ventriculum, eamque initiantem *Stollius*, *rationis medendi* tomo II. repressisse dicit decocto saturato radicis graminis, taraxaci, cui serius decoctum lichenis islandici substituit. An vero justam fecit diagnosin? Ex viscerum abdominalium infarctu tussis quidem nasci potest, atque cessare infarctu soluto, an tamen phthisis vera subfuerit, dubitare licet.

Equitationem *Sydenham* in phthisi sine discrimine commendavit, sed male; nam per continuam concussionem atque aëris mutationem lædi pulmones debent inflammati suppuratique. An in diagnosi forte erravit, ut phthisin pituitosam, aliamve tabem cum sputis suspectis incedentem pro phthisi pul-

pulmonali haberet? Equitationem, ubi inflammatio, vel exulceratio adest pulmonum, reprobat *Simons* in Sammlung praktischer Abhandlung für Aerzte. Band VI Stück 1. *Reid* invehitur in eos, qui *Sydenhamum* indiscriminatim in hoc casu sequuntur. Equitationem lenem concedi posse *Frank* putat, sed solo tempore matutino, ubi nec dolor, nec respiratio difficilis adest, quibus præsentibus stimulus quivis lædat oportet.

Phthisicis, si non ad sanitatem restituendam, saltem ad vitam prolongandam, prodest commoratio in aëre rustico, sed qui in planitie habetur, cavendo a motu majori, multa sermocinatione, potato simul sero lactis cum aquis selteranis, vel lacte asinino.

In secundo phthiseos stadio *Frank* sæpe profuisse novit lac humanum e mammis suctum, si sugere ægrotantes, aut non nausearent, aut non impedirentur ob respirandi difficultatem &c.

Ex diæta quidam omnem carnem proscribunt; *Frank* tamen cum *Simons* carnes concedit, si iisdem concoquendis ventriculus par fuerit, ad vires conservandas, vitamque prolongandam. Jușcula tamen meraciora ex limacibus, pedibus vitulinis &c. parata fere nocent, quia digeri renuunt. *Salvatori* in *tractatu de phthisi* exhibens medicamenta pauca sed stimulantia, diætam largam, omnis generis carnosam, etiam salitam, vinosam una cum multo corporis exercitio commendavit.

Contra *Salvatori* methodum, quæ jam eviluit, scripserunt *Canella*, Veronæ 1789. *Bartholomæus Cernoni*, Trenti 1789.

Secundum *Reid* indicationes in phthisi sananda sunt sequentes:

a) ut febris causa tollatur, quæ in primis viis sæpe hæret,

b) ut reserentur obstructiones viscerum abdominalium.

c) Ut materia purulenta in pulmonibus contenta evacuetur,

d)

d) Ut mitigetur tuſſis;

e) ut dirigantur diæta, corporis exercitia, animi pathemata.

In primo phthiſeos ſtadio rationem habendam putat tuſſis per venæ ſectionem; alvi & obſtructionum per reſolventia, & eccoprotica; ad evacuandum vero depurandumque abſceſſum in pulmone hærentem conducere emetica lenia omni tertia, quartave die ingeſta, vomitumque minus incommodum exiſtimat, quam tuſſim. Ad tuendam vero emeticorum exhibendorum neceſſitatem provocat ad vomitum phthiſicorum bilioſum ſpontaneum, qui ponderis ad vehiculum hærentis ſenſum tollit.

Mortonus quoque in *phthiſiologia* pag. 313 emetica blanda repetita ab initio mali laudat ad evacuanda, quæ in pulmone hærent. Et *Simons* in *tractatus de phthiſi* editione altera dicit: Si poſſibile tubercula ſolvere, fieri id debet emeticis, præfert vero parvas, ſed iteratas, interdum binas de die datas radicis ipecacuanhæ doſes, cavendo tamen a debilitate fors inducenda; emeticorum vero uſum interdicit debilibus, gravidis.

Reidii conſilium ſequutus *Solengi* quosdam quidem ægros vidit ſublevatos, ſalvatum tamen neminem; quidam vero poſt emeticorum uſum queſti ſunt de pectoris dolore, & ſpirandi difficultate, quare ab illorum uſu receſſit.

Frank ſequi auſus non eſt, cum ſola puris evacuatio non ſanet malum, concuſſio vero per vomitum inducta novam facile inflammationem inducat, & ſuppurationem; quemadmodum violentiori abſceſſus externi mundatione fieri videmus, aut vaſe quodam majore rupto hæmorrhagiam lethalem, qua non mediocris medico inureretur infamia. Nec ideo quoque ſequendum putavit, quod ſæpe viderit in phthiſicis vomitum bilioſum ſpontaneum, non quidem aperte noxium, ſed nec proficuum, cum ad unum omnes morirentur.

An forte conducere emetica possunt, ubi multum puris adest, sola tussi quod rejici nequit?

Quidam ob febris hecticæ remittentem naturam alternis diebus exacerbantem corticem peruvianum exhibent; at *Fothergil* in Sammlung praktischer Abhandlungen für Aerzte, Band III. Seite 400 in vera phthisi illum semper inutilem expertus est. *Donatus Monro* eum nonnisi tum utilem concedit ad vitam prolongandam, ubi commoda respiratio & expectoratio. Damnant *Gesner*, & *Haen* rationis medendi, tomo XII. *Pringle* non nisi sub convalescentia illum adhibere audet.

Polygala senega quibusdam laudata *Frank* nunquam satisfecit; in stadio primo, atque secundo nimis stimulat, febrimque majorem accendit. Melius ipsi cessisse visa est, licet sanationem non præstiterit, polygala amara cum lichene islandico juncta.

℞. Polygalæ amaræ
Lichenis island. aa. dr. jjj. &c. concisa & mista dentur, ut coquatur in s. q.
Aquæ fontis
Colatura libr. jß bibatur per diem vel sola, vel lactis portione addita.

Marcus im Magazin der speziellen Therapie und Klinik, Band I. Stück 1. nullum auxilium expertus a cortice, lichene islandico, polygala senega, digitali purpurea, balsama opiumque laudat.

℞. Pulv. chinæ electæ drjjj.
Balsami peruv. dr. jß.
Extracti opii dr. ß.

Fiant pillulæ gr. j. Signetur omni bihorio una. Præterea tincturam opiatam simul exhibet.

Frank reprobat formulam, quod a balsamis, stimulantibus, febrim, aliaque incommoda sæpe vidit aucta, tum etiam, quod largo opiatorum usu sudores largi moveantur, tam molesti, quam debilitantes.

Balsama a *Mortono* quoque laudantur ob vires antisepticas, & antispasmodicas, sed pro subjectis laxis. Laudantur a *Simons*, & *Gesnero* in

Samm-

Sammlung von Beobachtungen aus der Arzneywissenschaft, Band I., & a *Musgrave* in Sammlung praktischer Abhandlungen für Aerzte Band V., Stück 4.

Si stimulantibus locus fuerit, dari etiam potest balsamum copaivæ vitello ovi subactum, & cum extracto liquiritiæ in pillulas redactum.

Oleum asphalti a *Leuthnero* commendatum laudat *Lentin*, & *Richter*; *Frank* in 7 casibus, si non cum damno, saltem absque fructu dedit.

Tincturam myrrhæ cum extractis spirituosis, & vitriolo martis laudat *Griffith* in Sammlung praktischer Abhandlungen für Aerzte, Band VI., Stück 4. *Saunders* in Sammlung praktischer Abhandlungen für Aerzte, Band V., laudat myrrham cum vitriolo martis solo in pulsus viriumque debilitate.

Myrrham *Frank* sic præscribere solet:

℞. Extr. myrrhæ aquosi gr. j—jj.
Pulv. gummosi scr. j.

Fiat pulvis, summantur tales tres de die.

Camphoram, nimis facile stimulantem, *Musgrave* præscribit.

Vapores item & fumi aromatici, balsamici, myrrhæ, thuris, storacis, terebinthinæ laudantur a *Swieten* & *Monin* in Sammlung praktischer Abhandlungen für Aerzte, Band IV., Stück I. *Frank* tussim inde auctam, & respirationem difficiliorem redditam vidit ob stimulum nimium inductum.

In aëre stabulorum, utpote minus oxygenato, a Gallis quondam laudato, facilius quidem respirant ægrotantes, at sanitatem non inspirant.

Aerem carbonicum seu fixum laudant *Simons* & *Percival* in Sammlung praktischer Abhandlungen für Aerzte, Band II., Stück I. Aerem oxygenio ditatum dephlogisticatum laudant alii. Nocet juxta *Beddoes*, frustra illum adhibuit *Frank* in asthmatica; in phthisi tentare ausus non est ob stimulum nimis magnum.

Quemadmodum multi stimulantibus, ita *Muzel* in medizinischen Sammlungen, Band II. refrigerantibus,

bus, mucilaginosis, aquis selteranis cum lacte asinino in phthisi agendum putat. Conducere quidem stimulus illorum mitissimus videtur phthisicis, salutem non reddit.

Zimmermann Anglorum quandam compositionem proposuit, lac asininum artificiale dictam, licet lac omnino non recipiat, illudque nonnisi colore albo referat, qui a resina pendet præcipitata.

℞. Limacum hortens. nro. xviij.
Hordei puri, rasuræ cornu cervi,
Rad. eryngii montani aa. unc. j. coque in
Aquæ fontis libr. vj. lento igne & in vase figulino, colaturæ libr. jjj. adde
Syr. Balsamici Londinensis unc. jß.

Signetur bis vasculum.

Tenax remedium est, a debili ventriculo non subigendum, cui ex syrupo &c. vires aliquantum stimulantes sunt.

Lichen islandicum, quo solo alces vivunt, *Scopoli* proposuit ob principium mucilaginosum nutriens, atque amaritiem roborantem. Hac quidem prodesse potest, sed quantum principii nutrientis habebis? Ab uncia ß—j. qua quidem quantitate decoqui solet, sanatum *Frank* novit neminem. Lichenis decoctum in phthisi post morbillos laudat *Schœnheyd* in *collectaneorum Hafniensium* vol. I,, und in Sammlung für Aerzte, Band III., Stück 3 & 14 ægrotantes sanatos dicit.

℞. Lichenis islandici unc. j. coque in
Aquæ fontis unc. xvj.
Colaturæ libr. j. adde
Oxymellis squillitici unc. ß.

Signetur omni bihorio uncia j—jjj.

Laudat *Herz* in Briefen an Aerzte, Sammlung II. qui loco oxymellis squillitici, syrupi papaveris albi unc. jj. dedit; laudant *Heberden*, *Gesner*, *Kaltschmidt*.

At in respiratione difficili cum tussi sicca non convenit, nam sputa supprimit, respirationem difficiliorem reddit. Sub sputorum vero & respirationis

faci-

facilitate lichenis decoctum cum corticis peruviani decocto uniri potest.

Acida mineralia, Halleri, Minsichti, Anglorum ad guttas x—xv ter, quater de die ex decocto salep &c. sumpta laudantur ab *Haënio rationis medendi*, tomo XII. cap. 6. §. 5. in secundo stadio a *Simons*. Nisi tussim moventia seponenda sunt, febris ardorem, sudores nocturnos sæpe minuunt, non sanant.

In phthisi conclamata cardo in eo vertitur, ut vires conserventur & symptomatibus urgentioribus prospiciatur.

Contra sudores nocturnos *Pringle* laudat aquam calcis cum lactis quadam portione remistam & ad pintam de die haustam. Alii infusum salviæ, alii acida mineralia præferunt.

Ad cohibendam diarrhœam colliquativam, quæ cortice illiusque extracto non cohibetur, quidam lenia opiata cum mucilaginosis exhibent v. g. granum j. opii cum emulsione arabica, vel decoctum ligni quassiæ, campechini, radicis columbo cum tinctura anodyna. Sæpe quidem diarrhœa post illorum usum silet, sed interea sudores vexant, aut ipsa diarhœa brevi redit.

Qui ea, quæ hactenus de phthisi pulmonali tradebantur, satis tenuerit, is de phthisi tracheali, hepatica, lienali, meseraica, renali facile judicium feret.

IN-

INDEX.